



V
B J
C
58923
III




Didacus


VADE FRANCISCE REPARA DOMUM MEAM QUÆ LABITUR
NOVUS ASSERENDÆ IMMACULATÆ CONCEPTIONIS DEIPARÆ VIRGINIS MODUS
V. Servus Dei Ioañ Duns Scotus Doctor Subtilis
S. Bonauentura S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis Doc Seraph
S. Bernardinus Sen
S. Ludouicus
B. Ioannes Capistran
B. Simon de Lipnica Po
Ioannes de Dukla Pol
S. Didacus
S. FRANCISCUS Patriarcha Pauperum et Doctor doctus doctrice gratia





Sciendum nobis eſt, quod Diuina operatio, ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis, nec Fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. *D. Greg: Magn: Hom: 26. in Euang:*

Quâcunq; horâ, quâcunq; die, aliquis fidelium, cum totis præcordijs & viſceribus, honorat Virginem, increpandus non eſt pertinacitèr, ne ipſius Virginis animaduerſio incurratur, quæ auxiliatrix & amatrix eſt omnium fidelium, ſuorum laudatorum; ſicut illi qui tales ſunt, experimento multiplici cognouerunt. *S. Bonauentura in 3. Diſt: 3. Art: 1. Quæſt: 1.*



NOVVS ASSERENDÆ IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS DEIPARÆ VIRGINIS MODVS.

Sacræ Scripturæ & Sanctis Patribus, consentaneus. A Sanctis & Classicis DoctoribusEcclesiæ, insinuatus.

Ex principijs Venerabilis Serui DEI Ioannis Duns Scoti Doctoris Subtilis, deductus.

Primò

Per A. V. P. Dominicum Coruinum KOCHANOWSKI, Polonum, S. Theol: Lectorem Generalem Ord: Min: Obseruantium S: Francisci, Prouinciæ Poloniæ Minoris Alumnum, compositus, & Viennæ Austriæ, sub annum 1666. impressus.

Nunc denuò, post fata Authoris

Per A.V.P. Franciscum Coruinum Kochanowski, Fratrem vterinum piè defuncti, in eadem Prouinciâ, Prædicatorem & Lectorem S. Theol: Generalem, ac actualem Cracouiensem, Diffinitorem actu, Serenissimi MICHAELIS Poloniæ Regis, Theologum, multis additionibus copiosè auctus, & quadruplici Indice, Authorum, Locorum S. Scripturæ, Rerum notabilium, ac Conceptuum prædicabilium, sufficientèr ornatus, & iterùm prælo datus.

CASIMIRIÆ ad Cracouiam

In Officina Typogr: Balthasari Smieśkowic, S.R.M. Typog.

Anno à Partu Virginis M.DC.LX.IX.

Pectore fert Ales sursùm TVA *Stemmata* PRINCEPS,
Vt plus syderibus compleat Astra TVIS;
Lumine sicque TVO *perbellè augebitur æther,*
Augebitq; TVOS *gratus & ipse dies.*
Fœdere sic sancto mutabitur æthere terra
TV MICHAEL *nobis Sydus & Æther eris.*





SERENISSIMO
ET POTENTISSIMO PRINCIPI
DOMINO

D. MICHAELI

DEI GRATIA
POLONIARVM REGI
AVGVSTISSIMO.
MAGNO DVCI LITHVANIÆ,
Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ, Wołyniæ, Podoliæ, Kiiouiæ, Włodimiriæ, Podlachiæ, Czerniechouiæque.
WISNIOWIECIO DVCI
HÆREDITARIO.
Domino Domino suo Clementissimo.



Am delicatâ amoris teneritudine, fertur immaculata Regina in Te, SERENISSIME & POTENTISSIME REX, *vt quem in supremum Christianissimi huius Regni Præsidem, iam olim à gloriosâ Triade praelectum, nupèr in Martijs ad Varsauiam campis, à millenis Ordinum centurijs, prauio intra solicitos & in varia disgregatos Electores, tùm Columbæ, tum Examinis Apum, consessu,*

cunctis

cunctis mirè ac planè prodigiosè consentientibus, plausibilitèr & vnanimi calculo electum, à quibusuis iniurijs, in ortu, tractu, & decursu gubernij, aut præseruare, aut vindicare, conatur, eidem Nouum hunc, illibati ortus sui asserendi & defendendi modum, à quibusuis impetibus tutandum & protegendum committat. Tuis ergò sub Sceptris, Libellum hunc, immunitati suæ deditum, deponere non erubescit FILIA PRINCIPIS, PIENTISSIME PRINCEPS, *quatenùs à Magnanimo Principis militiæ cælestis Nomine, quod Tu primus inter Poloniæ Monarchas geris,* REX INCLYTE, *firmißimum sumat robur, & sub communi Tibi cum eo armaturâ, secura quiescat. Etenim augustißimus Regnantium Regnorumq; Gubernator* DEVS, *cùm benigno almam hanc Poloniam complexus sinu, tanti ab æterno æstimauerit bellicosißimam Prosapiam Tuam, vt Te de eâ, parem Sceptris præsentibus designauerit, & tandem Diademate, Purpurâ, cæterisq; Regni Insignijs, ornatũ, Gladio & Vexillo, munitum, Regio in Throno locauerit; nutu suo monstrare voluit, Tibi eo fine habenas imperij commissas, locumq; supremi Regis, in terris concessum, vt cum eo, pro eo, heroicè decertans, Sacra colere, Sanctitati studere, Fidem promouere, Immunitati Ecclesiæ fauere, Integritatem Patriæ fouere, totum deniq; quidquid melius occurrerit, viuidè exercere, non detrectes, sicq; diuisum habens imperium cum eo, qui Te imperare fecit, Tuum facias, quidquid ipsi Tecum commune censetur. Tuum inquam, nam amor & imperium, non patiuntur socios.*

Res agitur Virginis intemeratæ, DEVOTISSIME IN VIRGINEM PRINCEPS. *Communis illa hactenùs Cœli Terræq; Regina, Tua peculiaris esse contendit. Hæc namq; pro immaculato ortu suo, in Ecclesiâ militante, adhuc militans, Te quærit, Tuum Thronum conuenit; Tuum suffragium exambit. Sis rediuiuus Hercules, vt eas, si*

quæ

quæ in aduersum prodire tentauerint, Hydras, Tui Sceptri, aut nutu confundas, aut motu contundas. Sis Cherubin, vt flammeum atq; versatilem vibres gladium, pro custodiendâ viâ Ligni vitæ. Ferax Ligni vitæ Paradysus, MARIA est Mater veræ vitæ, quæ CHRISTVS est. Illi ergò adstes nouus Cherub, eamq; à quouis nociuo incursu custodias. Vel si mauis Tui Tutelaris magis gaudere symbolo, sume Stateram, & erige Mucronem. Pondera æquâ lance, quæ pro & contra decertant, & verum à falso rescinde. Opus hoc, crede mihi, non erit molestum litigium, sed amœnum voluptatis delicium. Cùm enim Tibi, exemplo Prædecessorum aut Sceptri aut Sanguinis, Martio æstuandum sit calore, has inter Conceptionis immaculatæ Rosas, securus respirabis, Bellonaq; Tua, vertetur in Floram, vt dies Tui, aut sub hyacintinâ CHRISTI Filij vmbrâ, purpurei, aut sub candidâ MARIÆ Matris nube, floridi, perseuerent, nomenq; Tuum, à Parente bellicosissimo, Auis, Proauisq; victoriosissimis, ac omnibus antiquissimæ CORIBVTHEÆ DOMVS Heroibus, Triumphatoribus perpetuis, Marte celeberrimum, etiam à Mineruâ Deâ Sapientiæ, MARIA inquam Matre increatæ Sapientiæ, sumere incipiat veræ culmen gloriæ: vt & hic, in finem sæculorum, per longam perennet annorum seriem, & post sera fata, perpetuam, ope Virginis Deiparæ, (quæ suos nunquam deserit cultores) obtineat felicitatem. Verùm dùm Te REX INCLYTE OPTIME, hac compello literâ, acrem ipse subuereor censuram, ne temeritatis aut imperitiæ arguar, quod rem Ecclesiæ, Regijs supponam Sceptris. Ast hæc minimè deterrent. Noui equidem, & Te verum Matris Ecclesiæ pullum, sacrosanctè dogmata eius venerari, & propositam materiam, tot iam sæculis ab eâ apprehensam, non sub arcano ventilari. Non ergò Maiestatem Tuam latere debet, quod tot centenis annorum, celare concessum non est.

Nar-

Narrant sæcula. Deprædicant cathedræ. Ecclesia colit. Celebrant Regna. Vouent Principes. Plebs inclamat. Et (annuentibus indubiè cælicis Sceptris) iam vix non vniuersus, intrepidâ mente amplectitur Orbis; Virginem Matrem, purißimæ Proli, in suis concipiendæ visceribus, non impuram debuisse ministrare materiam: alioquìn nec verè purus diceretur Filius, si ex veteri maßâ, labe Adamicâ infectâ, traheret originem. Ergò puram. Ergò immaculatam. Ergò à communi labe immunem, Matrem DEI *hominis, paritèr ac suam sanctißimam Prolem, absq; formidine de opposito, in facie Solis & Tuâ* REX SERENISSIME, *prædicamus. Age ergò,* DEVOTISSIME IN VIRGINEM PVRISSIMAM PRINCEPS, *vt ab Augustißimis Romanis Imperatoribus, & Serenißimis Hispaniarum Regibus, sumpto exemplo, Reginam immaculatè conceptam, eo Titulo, in Patronam Regni Tui assumas: Ortum eius illibatum, pro viribus defendas: ac pro determinandâ aliquandò materiâ hac, sub articulo Fidei, prænominatis* SERENISSIMIS CONFRATRIBVS TVIS, *viuidè laborantibus, Tu quoq; calculum apponas, ac eo nomine, amplißimam Maiestatem Tuam, ad Sacram Sedem interponas. Et quod ad Te mihi sit sermo iste, ô* REX SERENISSIME, *ignoscere dignaberis, perpensis verbis Cyrilli Alexandrini, Libris suis contra Iulianum editis, Patronum Theodosium secundum Imperatorem, quærentis, quibus audactèr innixus, simulq; præsumptæ audaciæ veniam, supplex expetens, sic Te compellabo.* Parce ô Princeps inclyte, quod dùm Tibi alij exhibent victorias, Coronas, gratulatoriasq; voces, & alia, quibus Tua potentia iure honoratur; nostri, qui Diuino Sacerdotio fungimur, muneris est, offerre Tibi Libros, ad Diuinam potissimùm gloriam. *Interea gratulante sibi festiuis applausibus amplißimo hoc Regno, Te tantum in Throno Heroem. Gratulan-*

tulantibus tribus in Dynastia Tua Prouincijs Nostris Obseruantium, eximium Protectorem. Gratulabor & ego, benignum Operi præsenti Patronum. Et dùm omnes pro Te Tuiq; Regni faustissimis successibus, vota votis cumulant, illorum & ego suffragijs, addo meum. Viue Wisniouieciæ Domus gloria. Viue Sarmatiæ decus eximium. Viue inclytæ Coronæ Polonicæ Præses augustissime. Viue pauperculæ nostræ Franciscanæ Obseruantiæ Mæcenas munificentissime. Et post vitam hanc, in qua fortunatissimè & auspicatissimè agis Poloniarum Regem, tranquillitate Regni integrè restituta, rebusq; nostris hactenùs turbidis, in optota quiete compositis, transeas ad præcelsum Regis sæculorum Regnum, agasq; æternum in Empyreo solio, Regem. Ita vouet. Ita precatur. E Conuentu Cracouiensi ad S. Bernardinum in Stradom die 20 Decembris 1669.

Serenissimæ Maiestatis Tuæ

Fidelis Subditus

perpetuus Exorator

& cliens

Fr. FRANCISCVS KOCHANOVVSKI
Ord. Min. Obs. S. Fran &c.

APPRO-



APPROBATIONES PRIMÆ EDITIONIS

FACVLTAS THEOLOGORVM ORDINIS.

Fr. Gregorius Malomfaluay Ord: Min: Strict: Obs: S. Franc: Prouinciæ S. Mariæ in Hungariâ Pater, pro tunc Guardianus Conuentus Ferropolitani.

LIbrum hunc, cui Titulus est. *Nouus asserendæ Immaculatæ Conceptionis DEIPARÆ Virginis modus*, à R. Patre F. Dominico Kochanouio Polono, Ord: S. P. Francisci, SS. Theologiæ Lectore Generali &c. concinnatum, ex mandato Adm: R. Patris Didaci Babczansky, eiusdem Ord: Lectoris ac Prædicatoris Generalis, nec non Prouinciæ S. Mariæ Hungariæ Ministri Prouincialis, optimè meriti &c. cum iucunditate animi perlegi. Et quia in eo nihil quod honestati, Doctrinæ Christianæ, & Orthodoxæ fidei, obuium esset, reperi, ideò, vt seruatis seruandis prælo mandetur, & lucem videat, consultum iudico. Hoc ipsum meum iudicium, censuræ S. Matris Ecclesiæ, subijciens. Actum Posonij, Die 9. Martij 1665.

Fr. Gregorius Malomfaluay
qui suprà.

EGo infra scriptus, de mandato Adm: R.P.Prouincialis, opera Patris Adm: Venerandi Fr. Dominici Kochanowski SS. Theologiæ Lectoris Generalis, super Immaculatam Conceptionem DEIPARÆ sempèr Virginis MARIÆ, accuratâ & attentâ diligentiâ perlegi & ruminaui. In ijs nil nisi sanctum, pium, & virtuosum, nil tale quod contra bonos mores, aut fidem esset, reperi. Quapropter dignum iudico, vt ab omnibus pietatis & virtutis studiosis, legantur, & ex ijs flores suaueolentes, ac fructus honoris ac honestatis decerpant, ad honorem eiusdem Gloriosæ Virginis DEIPARÆ. Datum Sopronij. Die 30. Martij 1665.

Fr. Felix Miskey Prouinciæ S. Mariæ Hungariæ Diffinitor & S. Theol: Lector.

IVssu Adm: Reuerendi Patris Didaci Babczanski Ministri Prouincialis, eâ quâ potui diligentiâ, euolui & perlegi Nouum asserendæ Immaculatæ Conceptionis DEIPARÆ Virginis modum, inuentum & compositum per A. V. P. Dominicum Kochanouium Ordinis Fratrum Minorum SSæ. Theologiæ Lectorem Generalem. In quo nihil inueni contrarium Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus. Ideò vt opus typis mandetur, dignum iudico. Datum Posonij Die 17. Maij Anno 1665.

Fr. Paulus Semquiczy Prouinciæ S. Mariæ Hungariæ Diffinitor.

FACVL-

FACVLTAS A. R. P. MINISTRI
Prouincialis.

CVm iudicio & approbatione, aliquot Patrum huius Almæ Prouinciæ S. MARIæ Hungariæ, Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ Theologorum, (quibus hoc commiſimus) liber intitulatus: *Nouus aſſerendæ Immaculatæ Conceptionis DEIPARÆ Virginis modus*: diligenti labore & curâ. R. P. F. Dominici Kochanowski eiusdem inſtituti Sacræ Theologiæ Lectoris Generalis, compoſitus, ad eiusdem Glorioſiſſimæ Virginis DEIPARæ honorem, multorum ſpiritualem vtilitatem, concipiendamq; ampliorem ergà eandem Immaculatiſſimam Conceptionem, deuotionem ac feruorem, vt publicam mereatur lucem, harum tenore, præfato R. Patri facultatem impartimur, quatenùs ſeruatis ſeruandis, iam dictum librum, typis mandare valeat. Datum Poſonij in Conuentu noſtro Beatiſſimæ Virginis Annunciatæ, Die 27. Maij 1665.

L. S.

Fr. Didacus Babczansky Prouinciæ S. Mariæ Hungariæ Miniſter Prouincialis.

APPROBATIO & FACVLTAS MAGNIFICI DOMINI RECTORIS ALMÆ VNIVERSITATIS VIENNENSIS.

Imprimatur

JOANNES LVDOVICVS
Doctor pro tunc Rector.

APPROBATIONES SECVNDÆ EDITIONIS.

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS COMMISSARII Generalis Familiæ Ciſmontanæ Ordinis S. Franciſci, pro reuidendo Libro.

COncedimus facultatem Patribus, Adriano Kondratowicz Lectori S. Theologiæ Generali Diffinitori actuali, & Vincentio Kalmerſki S. Theologiæ Lectori Generali Diffinitori habituali & Secretario Prouinciæ noſtræ Poloniæ Minoris, reuidendi Librum cui Titulus eſt, *Nouus aſſerendæ Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis modus*, editum iam in lucem à Patre Fratre Dominico Kochanowſki Prouinciæ Noſtræ Obſeruantium Poloniæ Minoris Theologo, & nunc ad eandem mittendum, augmentis ſuorum laborum, à Patre Fratre Franciſco Kochanowſki Sacræ Theologiæ Lectore & Prædicatore Generali Diffinitore actuali eiuſdem Prouinciæ: quo perlecto, transmittant nobis atteſtationes, vt poſſit denuò Typis mandari. Datæ Romæ ex Arâ cæli Die 29. Junij 1669.

L. S.

Fr. Euangeliſta Perzzaggus Commiſſarius Generalis Ordinis.

TESTI-

TESTIMONIA THEOLOGORVM.

DE mandato Reuerendissimi Patris Joannis Euangelistæ Perzzaggi Cremensis, Familiæ Cismontanæ Ordinis Minorum Commissarij Generalis & o-manæ Curiæ, Superioris Nostri colendissimi, legi Librum cui Titulus, *Nouus asserendæ Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis modus*, conscriptum olim, & typis Viennæ Austriæ vulgatum, per A. V. P. Dominicum Kochanowski Polonum, Lectorem Sacræ Theologiæ Generalem; nunc verò per A. V. P. Franciscum Kochanowski Lectorem S. Theol: & Prædicatorem Generalem, Prouinciæ Poloniæ Diffinitorem actualem, nouis additionibus benè auctum, & egregiè exornatum. In quo quidem Libro, omnia Legibus, Diuinæ, Ecclesiasticæ, & Politicæ, sunt consona, & nihil bonis moribus aduersum. Ideò vt reimprimatur cum suo Auctuariò, dignum & vtile censeo, ac hisce fidem facio, in hoc Opere, Authoris sublimitatem ingenij, inuentionis nouitatem, & varietatem doctrinæ, plurimum elucere. Datæ Cracouiæ ad S. Bernardinum die 3. Augusti 1669.

Fr. ADRIANVS KONDRATOWICZ S. Theol: Lector Generalis & actualis Cracouiensis, Prouinciæ Poloniæ Diffinitor actualis.

NOuum modum asserendæ Immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ, diuisum in tres Decades, cum suis Resolutionibus, compositum per bonæ memoriæ A. V. P. Dominicum Coruinum Kochanowski Polonum, Lectorem S. Theol: Generalem, & meum tùm in Philosophicis, tùm in Theologicis, longè dignissimum Professorem, impressum Viennæ Austriæ 1666. præmissâ facultate A. R. P. Prouincialis, Theologorum approbatione Prouinciæ S. Mariæ Hungariæ, Censurâ Magnifici Domini Rectoris Vniuersitatis. Ego infra scriptus, diligentèr perlegi, ex mandato Reuerendissimi Patris & Superioris Nostri colendissimi, Patris Euangelistæ Perzzaggi Cremensis Commissarij Curiæ Romanæ & Commissarij Generalis totius Cismontanæ Obseruantiæ. Vnâq; cum suo auctuario nupèr facto per A. V. Prem Franciscum Coruinum Kochanowski Vterinum piè defuncti, Lectorem S. Theol: & Prædicatorem Generalem, Prouinciæ Poloniæ Diffinitorem actualem, dignum esse iudico, vt reimprimatur Cracouiæ, & in publicam prodeat lucem, ad honorem Virginis gloriosissimæ, tum ad inflammanda corda fidelium, nouo amoris igne, erga immaculatam conceptionem eiusdem. Authores deuotissimi habeant in præmio, *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Datæ Cracouiæ ad S. Bernardinum die 3. Aug: 1669.

Fr. VINCENTIVS KALMERSKI S. Theol: Lector Generalis, Prouinciæ Poloniæ Diffinitor habitualis & Secretarius.

FACVLTAS A R. P. MINISTRI PROVINCIÆ POLONIÆ Minoris, ad reimprimendum Opus cum Auctuario.

PRodeat in publicam lucem, *Nouus asserendæ Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Modus*, ad honorem eiusdem Deiparæ, concipiendamq; in cordi-

bus Fidelium, erga immaculatam Conceptionem ipsius, ampliorem deuotionem ac feruorem, concinnatus non minus subtilitèr quam iucundè, per A. V. P. Dominicum Kochanowski, huius nostræ Prouinciæ olìm Lectorem Generalem: & reimprimatur cum suo Auctuario, elaborato per A. V. P. Franciscum Kochanowski, eiusdem Prouinciæ Lectorem Sacræ Theologiæ & Prædicatorem Generalem, Diffinitorem actualem. Maximè accedente ad hoc speciali licentiâ Reuerendissimi Patris Commissarij Generalis totius Cismontanæ Familiæ, & Theologorum nostrorum, ex mandato eiusdem Reuerendissimi, approbatione. Immaculatè concepta Virgo, zelantes suum honorē nouo modo, de plenitudine suæ hydriæ, nouo gratiarum & charismatum incremento, remuneret hic & in futuro. Datæ in Conuentu nostro Cracouiensi ad S. Bernardinum, die 3. Augusti 1669.

L. S. Fr. STEPHANVS LENDZKI Minister Prouincialis Prouinciæ Poloniæ Minoris.

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS COMMISARII Generalis Ordinis, pro reimprimendo Opere cum Auctuario.

NOs Frater Benignus Bruni de Florentiâ Ord: Min: Regul: Obs: S. Theologiæ Lector Iubilatus, ac in Cismontanâ Familiâ Obseruantium, Cōmissarius Generalis & Seruus

Dilecto nobis in Christo Patri Fratri Francisco Kochanowski S. Theologiæ Lectori & Prædicatori Generali, Prouinciæ nostræ Poloniæ Diffinitori actuali, salutem.

Vt Liber, cui Titulus est, *Nouus asserendæ Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis modus*, iam à Patre Dominico Kochanowski Polono, compositus, & in lucem editus, nunc verò à Te, nouis additionibus benè auctus, & â Patribus, Adriano Kondratowicz Lectore Sacræ Theologiæ Generali Diffinitore actuali, & Vincentio Kalmerski S. Theol: Lectore Generali, Diffinitore habituali, & Secretario Prouinciæ Nostræ Poloniæ minoris, reuisus & approbatus, denuò reimprimatur, facultatem concedimus, si ijs ad quos spectat videbitur. Datæ Romæ ex Arâ cæli, die 18 Octobris 1669.

L. S. F. BENIGNVS BRVNI Comm: Gen: Ordinis.

FACVLTAS ET APPROBATIO CENSORIS ORDINARII Librorum, per Diœcesim Cracouiensem.

Cùm hoc Opus, nouâ ratione afferens immaculatam Sanctissimæ Virginis Conceptionem, grauium Theologorum iudicio probatum, iam alias Viennæ in Austriâ impressum fuerit, permitto illud in hac quoq; Diœcesi imprimi, & in lucem edi. Anno Domini 1669. Die 4 Octobris.

HYACINTHVS LIBERIVS S. Th: Doctor, Præpositus SS. Corporis Christi, Canonicorum Regularium, Librorum in Diœcesi Cracouiensi Censor.

Admodum Reuerendis, Religiosissimis in CHRISTO Patribus

PP. DOMINICO ET FRANCISCO KOCHANOVIIS

FRATRIBVS GERMANIS

S. Theologiæ Lectoribus & Prædicatoribus Generalibus, alteri superstiti, Definitori Prouinciæ Min: Pol: Reg: Obs. Operis Authoribus.

M. Ioannes Gostumiowski Philosophiæ Doctor, Collega Minor, Ordinarius Astronomiæ in Alm. Acad. Crac. Professor.

Inter festiuos Gratulantium applausus, læto accinit animo.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.



Ltum Coronæ Pannonicæ decus,
Fæcunda magno sanguine Principum
CORVINA GENS augusta Sceptris,
Threÿciæ metuenda Lunæ,
Laudes ab æuo quas tulit aureo,
Interq; curas Romulidum graues,
Quas Marte felici triumphans
Dalmatijs meruit trophæis;
Has Sarmatarum Climate Martio,
CORVINE Splendor, Stirps KOCHANOVIA,
Olim mereris prorogatâ
Per Proauos, Atauosq; famâ.
Sed me vetusti secula temporis
Iubet Propago Vestra relinquere,
Se copiosam splendidorum
Materiem generosa præbens
Præconiorum; quæ celeberrimum
Genti Polonæ Nomen, & optimæ
In Vniuerso prorsus orbe
Conciliant decus omne laudis;
Post fata nec non vltima, quæ sibi
Fortis Gradiui per memorabiles
Actus, ad immortalitatem
Marte viam proprio parârunt.
Hîc Lechicorum qualiter efferam
Vobis propinquum sanguine, Principem
Vatum, triumphali Maronis,
Mæoniæ similemq; Musæ.

Cui

Cui tota lymphis se Latialibus
Romana fudit gratia, dulceq;
Ebur Pelasgum, cui sonoro
Ad cytharam dedit ire plausu.
Vos o Sacratæ cara Propaginis
Amore Fratres, Lechica Pignora,
Dotes ob insignes, & altos
Ingenij, calamiq; sensus,
Septemtrionis lucida Sidera,
Vincensq; priscos Tyndaridas iubar,
Autum per oras prædicare
Sarmaticas, Aquilæq; Prolem
Veram Polonæ. nam nitidissima
Pupilla vobis; quâ licet aureum
Fulgur, coruscantemq; lucis
Empyreæ faciem tueri,
Illudq; claris mentibus assequi
Secretioris dogma Scientiæ,
Arcana quod cæli profundis
Secula detinuere fastis.
Vobis quis altum celsius extulit
Conceptionis Virginis inclytæ
Mysterium? quod nulla dignè
Mens hominum, calamiq; nulla
Vis eruditi, tot per anhelitus,
Reclusit orbi, quod niueâ manu
Nimbisq; digna Liliatis
Virgine pro niueâ, beato
Fecistis ausu; dum noua pandere
Inuenta magni pectoris, arduo
Labore, dulce est vindicando
Innocuam sinè labe Matrem.
Sed occidit mox, qui prius aureis
Diuinâ cæptis ferre volumina
Hæc visus, ad summum reliquit
Herculeis superesse curis.
Ergo secundis Frater amabilis
Secunde votis splendide Phosphore
Procede felix, & coruscis
Lucis opus radijs corona.
Tu destinatis meta laboribus,
Tu vita Fratris, Tu noua gratia,
Iubarq; Scriptorum perenne,
Tu Stygijs inimica Laruis

Inta-

Intaminatæ Virginis hostibus
Romphæa, flammis Seraphicæ manus
Ignita quâ laté refulges
Vindicias animosus inter.
Carentis omni labe Viraginis
Opus quod à Te publica lux diù
Poscit sitibunda, & fauentes
Iam tibi fert animos, sinusq́.
Succede Polluci impiger Hercules
SublimeGentis Sarmaticæ decus,
FRANCISCE, Subtilis Magistri
Mens, & amor, geniusq́ SCOTI.
Augusta Nostræ gloria Palladis,
Sidusq́ Sacræ grande Propaginis,
O pulchra Doctorum corusco
Gemma oculos recreans nitore.
Vocalis Orphæi nectareum melos
Testudo promens eloquij Sacri,
Quo corda Diuinis calescunt,
Per Cathedras animata flammis.
Ergò beatum Te foueat diu
In Orbe, rerum Conditor Optimus,
Ecclesiæ lux, & vetustæ
Progenies generosa Stirpis,
Flos eruditi candide germinis,
Decusq́ Sacræ dulce Propaginis,
Flòresce DEFINITOR, almi
Delicium, Columenq́ Cœtûs.



P Æ A N
ASSERTÆ NOVO ARMORVM APPARATV, IMMAculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ.



T hoc nouorum, quod genus interim,
In Martiales Lechiadûm plagas
Excurrit, armorum? grauesq́
Egregiâ ciet arte pugnas,
Et Literatum, prouocat ardua
Ad bella, trini pneumate classici
Feruenter orbem; comprehensas
Innocui sine cæde Martis

Tollendo

Tollendo palmas? Vicimus, ô benè est!
Intaminatis primitiâ lue
Cunabulis, est lumen ortum;
Est columen positum, profanos
Aduersus hostes: quos maculæ carens
Lacessit vsquàm, Virginis inclytæ
Conceptus; in cælum renatos,
Et malus error agit Gigantes.
Iam nunc, vel imo de Barathro, suam
Adsciscat audax Impietas manum!
Labisq; primæuæ nefastas
Accumulans maculas, iniustum
Magnæ Parentis pergat Originem:
Quâ lux, perennis conscia luminis,
Terris suam deduxit augem;
Pura minus, nisi fonte manans
Sat vsq; puro. Quid? Furor hiccine,
Persistet vstas, ferre potentius,
Triariæ Virtutis vnquam
Suppetias? Oculi sub ictu,
Tristi ruinâ concidet impotens
Vis omnis: acrem strinxerit ac simul
Contra, DECAS TRIPLEX, *sarissam;*
Terga fugax dabit hostis, herbam
Multiplicatis adijciens manu
Fractâ, tropheis. Heu qua Minoribus
Virtus Palæstris! masculiq;
Roboris ingenium! quod Orbi,
Sacratioris dia Scientiæ
Arcana, pandens; non sinit improbæ,
Funesta laxari Lupata
Stultitiæ; sed vbiq; summo
Contra stat ausu, perq; decemplices,
Vindex sacratæ Virginis hostium,
Perrumpit obiectus; abundè
Parthenios spolijs triumphos
Ornans opimis. Hæc tua Doctor ô
Subtilis olim creuit adorea.
Vnius: agnatum Magistri
Ingenium, tibi dat secundam:
Quem pulchra Virtus, nomen amabile,
Ac expeditæ dos Sapientiæ,
Magnum Minores inter, Orbis
Iudicio probat eruditi.

Te Laureato Vectus in essedo;
Honos Parentis Virginis, impigrum
Tanto suæmet puritatis,
Munere, suspiciens Achillem;
Ibit niuatis, orbis in extimas
Oras, quadrigis; & sinè sanguine
Latè triumphatum per hostem,
Liligeros agitabit axes.
Sic perge, eburnâ candidior niue,
Conceptus almæ Virginis! at choros
In quatuor distinctus Orbis,
Occinat omnis: Io triumphe!

D. D. C.

M. Sebastianus Piskorski Ph: D. in Almâ Vniuersitate Cracouiensi Collegij Minoris Professor.



TRIVMPHVS
SINE ORIGINALI MACVLA CONCEPTÆ MAGNÆ Virgini, nouâ methodo, celeberrimè adornatæ.



O triumphe! Mariano sub pede
Draconis infesti caput
Gemit: canamus absq; labe conditæ,
Io triumphe! VIRGINI.
Potuit cerastes stygius inficere suo
Primos Parentes toxico:
Non potuit afflauisse Magnam VIRGINEM,
Dei Parentem VIRGINEM.
Nascuntur omnes, quotquot ex lumbis Adæ
Nascuntur, iræ filij:
Ex Matre natâ gratiosi nominis
Est Nata, VIRGO *Gratiæ.*
Quæ culpa totum polluit hominum genus,
Abest abest à VIRGINE.
Concepta naturæ ordinem contrà fuit;
Vt ipsa concepit DEVM.
Posterius ergò quando creditur, prius
Cùr non sit aptum creditu?
Hoc erudito KOCHANOVIVS *libro*
Rectè docet, pulchrè probat.
Io triumphe! victus est nequam Draco,
Io triumphe! victus est.

Hinc,

Hinc, Tu, deinceps, KOCHANOVI, *pro pio,*
Quem, præparasti VIRGINI
Magnæ, Triumpho, iure KOCHANOVIVS
Diceris ipsi VIRGINI.

Cecinit P. STANISLAVS PAPCZYNSKI.
Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Piarum Scholarum.

TABULA
AVTHORVM QVORVM POTISSIMVM VSVS IN HOC OPERE CERNITVR.

Abdias Babylonicus
Albertus Magnus.
Alexander Alensis
Doctor Irrefragabilis.
Aluarus de Palacios.
Ægidius Romanus.
B. Amadæus.
S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis Doctor Ecclesiæ.
Ambrosius Catharinus.
Ammonius.
S. Anastasius Sinaita.
S. Andreas Cretensis.
S. Andreas Jerosolymitanus.
S. Anselmus. Archiepiscopus Cantuariensis.
S. Antoninus Archiepiscopꝰ Florentiæ.
Arator.
Aristoteles.
Arnoldus Carnotensis Episcopus.
S. Athanasius.
S. Augustinus. Episcopus Hypponensis Doct: Ecclesiæ.
Baronius.
S. Basilius Magnus.
Basilius Seleucensis.

Vene-

Venerabilis Beda.
S. Bernardus. Abbas Clareuallensis
S. Bernardinus Senensis.
Bernardinus de Busto.
S. Birgitta.
S. Bonauentura Doctor Seraphicus Cardinalis S. R. E.
Caietanus S. R. E. Cardinalis.
Carthagena.
Cerdanus
S. Chrysostomus. Patriarcha Constantinopolitanus Doctor Ecclesiæ.
Constantius Sarnanus.
Cornelius à Lapide.
Cornelius Mussus Episc: Bitontinus.
S. Cyprianus Martyr Episcopus Carthaginensis.
S. Cyrillus Jerosolymitanus.
S. Dominicus Patriarcha Prædicatorum.
S. Dionysius Areopagita.
Dionysius Carthusianus.
Elsinus Abbas Rhemensis.
S. Elisabeth.
S. Ephrem Diaconus Syrus.
S. Epiphanius. Episcopus Cypri

Euse-

Eusebius Gallicanus.
Faustinus Episcopus Paduensis.
S. Franciscus Patriarcha minorum.
Franciscus Quinnonius Cardinalis.
Franciscus Mayronius Doctor Jllu-minatus.
Franciscus de vellasco.
S. Fulbertus Carnotensis. Abbas.
S. Fulgentius. Episcopus Ruspensis.
Galfridus Abbas
S. Gennadius Patriarcha Constant.
Georgius Venetus.
Gerson. Cancellarius Parisiensis
Gilbertus Abbas
Granado
S. Gregorius Magnus Doct: Ecclesiæ.
S. Gregorius Nyssenus.
S. Gregorius Nazianzenus
Guerricus Abbas.
Guilelmus Abbas
Rabbi Haccados.
Rabbi Hankelos.
Henricus de Hassiâ
S. Hesychius. Presbyter Jerosolym.
S. Hieronymus Presbyter. Doct: Ecclesiæ.
Hugo de S. Victore.
Hugo Carensis Cardinalis S.R.E.
Hyppocrates.
Jdiota
S. Jgnatius Martyr.
S. Jldephonsus. Archiepiscopus To-letanus
Innocentius tertius
S. Joannes Damascenus
Joannes Baptista de Lezenâ.
Joannes Cantacuzenus.
Venerabilis Ioannes Duns Scotus Doctor Subtilis.
S. Jsidorus.
Lactantius.
B. Laurentius Iustinianus. Patriar-cha Venetus
Lezagna.
Lucas Vadingus.
Lucius Dexter.
Ludouicus de Torres
Lyranus.
Marcus Maximus Episcopus Cæsar-augustanus.
Martinus del Rio Soc: Jesv.
S. Maximus.
S. Melchtildis.
S. Methodius Martyr.
Michael Glycas.
Nicephorus.
R.P. Nicolaus Cichonius Polonus So-cietatis Jesv.
Oecumenius.
Origenes.
S. Paulus Apostolus.
S. Paschasius.
B. Petrus Damiani. Cardinalis S.R.E.
S. Petrus Chrysologus.
Petrus Lombardus Magister senten-tiarum.
Petrus Abbas Cellensis.
Petrus Galatinus.
Petrus Canisius. Societatis Jesv.
Petrus Soto.
Philo Judæus.
Possevinus.
S. Prosper Episcopus Aquitanus.
Richardus Victorinus.
Rupertus Abbas.
Salazar-
Suares. Societatis Jesv
Tertullianus.
S. Theodoretus. Episc: Cyrensis.
Theophilactus Archiepiscopus Bulga-rensis.
S. Thomas Doctor Angelicus.
S. Thomas à villâ nouâ Archiepisco-pus Valentiæ.
S. Vincentius Ferreriensis.





TABULA

CONCEPTVVM PRÆDICABILIVM PRO FESTIVITATIBVS ANNVIS B. MARIÆ V. PRIOR NVMERVS, Paginam, posterior, NumerumMarginalem, indicat.

PRO FESTO IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS B. M. VIRGINIS.

1.



Liber Generationis IESV CHRISTI. Matth. 2. Meritò auspicatissimæ Solennitati Immaculatæ Conceptionis B. V. ordinatur elogium Euangelicum, in quo accurata Generationis CHRISTI texitur linea. *Videtur enim (ait S. Tho: à Vill: nou: Conc: 2. in Nat: Virg:) communiter sensui, nonnihil facere ad Principis gloriam, antiqua Parentum Nobilitas, quasi iam nihil turpe aut fædum sperandum sit ab eo, cui ab antiquo tam natiua & tam ingenita Nobilitas est.* Optimè sanè ad Nostræ Virg: gloriam. Spectatâ enim Diuorum Parentum suorum Ioachim & Annæ virtute ac Nobilitate, 182. 4. & 183. 8. 9. facilè ab originali noxâ vindicabis eorum Filiam, qui per senectutem steriles, potiusGratiæ, quàm Naturæ filiam, genuerunt. Quid ergò fædi tali conceptui talis Filiæ interuenisse potuit ? quò Virgo, non tam Adæ 181. 1. & 183. 6. & seq: quàm DEI, gignitur Filia. 193. 27. 28. Rem apertè docet S. Germanus Constantinop: in suo Mariali, fragmento 13. *Magnum & à sæculo Oraculis proditum mysterium admirandum. Hodie in visceribus Castæ Annæ concipitur MARIA DEI Filia, præparata in habitationem Vniuersalis Regis sæculorum, & in reformationem generis nostri.* Sublime satis MARIæ elogium. *Concipitur Maria DEI Filia.* Si DEI Filia? Ergò inGratiâ: consequentèr Originalis noxæ minimè rea. 181. 1. & sequ: vsq, 30.

2. *Liber Generationis IESV Christi.* D. Remigius in Cat: D. Thom: *Dicit autem, Liber Generationis IESV Christi, quia nouerat scriptum esse, Liber Generationis Adæ. & ideò sic exorsus est, vt opponeret Librum Libro, Adam Nouum Adæ veteri, quia Omnia per istum sunt restaurata, quæ per illum sunt corrupta. Gen:* 5. dicitur. *Hic est Liber Generationis Adam, in die quâ creauit DEVS Hominem, ad similitudinem DEI fecit illum.* Vbi Glos: Ordin. *Adam ad similitudinem DEI factus est, alij ad similitudinē Adæ, sed postquam per inobedientiā, hanc similitudinē deleuit, factus terrenus, terrenos generauit.* Librum ergò Generationis Christi, opponit libroGenerationis AdæS. Matth: quiaChristus Generationem Adæ peccato vitiatam & maledictam 21. 1. 2. per suam ex VIRGINE Generationem,

nem, restaurauit. 23.6. 7. & 304. 9. 10. edocens fideles, non secundum carnalis Adæ, sed spiritualis, f. Christi Generationem, regeneratos & regenerandos. 25. 13. 14. 15. & 205. 3.

3. *Liber Generationis &c.* Opportunè ex generatione Christi, quæritur laus Immaculatæ Conceptioni Beatæ Virg: Christus enim ab æterno decretus & prædestinatus, in tempore Homo futurus, ab æterno quoq; decretam & prædestinatam supponit Matrem. Hinc illud D. Augustini Tract: 8 in Joan. *Antequàm de illâ natus esset, in prædestinatione nouerat Matrem, & antequam ipse ipsam Deus crearet, de quâ ipse Homo crearetur, nouerat Matrem.* Simultanea igitur prædestinatio Christi & Mariæ. 2. 1. & sequ: 8. 8. & sequ: vsq; 12. immunem a peccato Origin: arguit Virginem. 141. 1. vsq; 23.

4. *Liber Generationis &c.* Glos. Ordin. *Id est Saluatoris non perditoris, quod fuit Adam.* Felicissima IESV Christi generatio, quæ non perditioni sicut Adæ, sed saluti seruit. *Liber Generationis IESV Christi. Hæc verba* (inquit Marcellinus de Pize Capuccinus Tract: de B. V. sect: 2.) *possunt habere hunc sensum. Iste liber est Generationis rerum omnium, quas genuit siue edididit D. IESVS ab initio Creaturæ, fuit enim Christus antè Mariam ab initio, & antè sæcula, vt ait Paulus ad Heb: 13. IESVS Christus heri & hodie ipse & in sæcula.* Multa D. IESVS quâ Deus, antè sæcula edidit siuè genuit, immo *Omnia per ipsum facta sunt.* Ioan: 1. Specialior tamen editio seu genitura eius, Homo de quâ Iacobi 1. *Voluntariè enim genuit nos verbo Veritatis, vt simus aliquod initium Creaturæ eius.* Vbi V. Beda apud Glos: Ord: *Per hanc* (inquit) *genituram, non putemus nos esse id quod ipse est, sed quendam principatum in Creaturis, adoptione nobis concessit.* Ly: *Vt simus initium Creaturæ.* D. Hieronym: lib: 1. contra Iouinianum, legit. *Vt simus primitiæ Creaturarum eius.* Vatablus. *Vt principatum obtineamus inter Creaturas eius.* Oëcumenius: *Vt simus primi & honoratissimi.* V. Beda *Vt simus cæteris Creaturis meliores.* Varia hæc lectio, ad vnicum V. Bedæ tendit conceptum f. Adoptionis insinuationem, hâc enim homo, inter cæteras Creaturas princeps, prior, honoratior, ac melior. Felicior tamen adoptionis huius genitura seu sors, obtigit B. Virgini. Hæc enim inter omnes adoptiuos filios Dei, ab æterno primatum obtinuit, facta cæterorum omnium adoptionis metrum, idea, ac forma. 301. 1. vsq; ad 13. Indè V. immaculatè conceptam venare.

5. *Dauid autem Rex genuit Salomonem, ex eâ quæ fuit Vriæ.* Quærunt SS. PP Cùr cùm aliæ mulieres, proprijs notentur nominibus, Bersabee nomen subticeatur. ℞. S. Remigius in Cat: D. Thom. *Quia cæteræ mulieres, quamuis reprehensibiles fuissent, tamen laudabiles erant Virtutibus, Bersabee verò, non solùm conscia fuit adulterij, sed etiam homicidij Mariti sui, & ideo proprio nomine eam non nominauit in Genealogia Domini.* Idem ferè Hugo Card: *Prædictæ mulieres tres nominatæ sunt, quia ex generationibus suis laudari meruerunt; hæc autem Bersabee non nominatur, quia peccauit ipsa cum Dauid.* Alto sanè mysterio, in Genealogiâ Christi, quâ Virg: Gloriosæ Immaculatæ Conceptioni, laus per Spiritum S. in Ecclesiâ ordinabatur, famosæ

mosæ peccatricis nomen, silentio inuoluitur, nè eidem, publicæ ac generalis Originalis noxæ nota, inureretur. Hæc enim de facili Christum etiam, ex eâ natum, simili noxâ maculatum notare posset, cùm non vindicatâ Matre ab hac originali maculâ, vix & Filius vindicaretur ab eâ. Matris enim ignominia, redundaret in Filium. 143. 5. & sequ: & 152. 11. & 171. 16. & 236. 8. 9. & 295. 9. & sparsim alibi.

6. *De quâ Natus est* IESVS. Quid Conceptioni Virg: cum Natiuitate Christi? Multum sanè. IESVS enim interpretatur Salus seu Saluator. Porrò Ecclesia canit. *Hodie Concepta est B. V. M. ex progenie Dauid, per quam Salus mundi credentibus apparuit.* Magnum reuera mysterium innuit Ecclesia, dum per Virg: Mariæ Conceptionem, salutem mundi apparuisse profitetur. Apparuit sanè hodiè, quod in æternitate latuit; ibi enim iam in Matrem DEI prædestinata, per suam prædestinationem, genus humanum æternæ damnationi obnoxium, ab eâ liberauit. 160. 18

7. *De quâ Natus est* IESVS *&c.* Opportuniùs forsan dixisset. Quæ genuit IESVM: sed dignitati Mariæ, congruentius dixisse videtur, veram & naturalem Matrem Christi, eam indigitans. *Christus* (ait Hugo Card: in Matth.) *natus est de Patre substantialiter, de Matre materialiter, de Spiritu S. potentialiter siue virtualiter.* Benè ait. *De Matre materialiter.* Totam enim materiam corpulentæ substantiæ, de suâ purissimâ carne, Virgo præbuit Christo. Intellige hinc, Virginis carnem, incarnando DEI VERBO seruientem, absq; omni næuo seu maculâ, intaminatissimam in suâ Conceptione, fuisse præparandam. 160. 17. & 273. 18.

PRO EODEM FESTO, JVXTA VSVM ORDINIS MINORVM.

8. *Beatus Venter qui te portauit.* Luc: 11. *Valdè mirabile* (inquit Sylueira, t: 3. l. 5. c. 23. n. 83.) *hoc mulieris præconium, corpus non beatur, nisi ex redundantiâ animæ beatæ. Si ergò Maria est in viâ, quomodò eius vterus beatus decantatur?* ℞. ibid: num. 84. *A plenitudine gratiæ creatæ Mariæ, optimo argumento, eius vterus beatus ac gloriosus prædicatur.* Accipe luculentius testimonium Odonis Episcopi Cameracen: Opusculo intitulato, Gratiâ plena. *Si* (inquit ille) *gratiâ plena? nihil eius omninò erat vacuum gratiæ, nihil ergò eius, peccato vacabat, cuius totum gratia implebat. Igitùr gloriosus venter, gloriosa viscera, gloriosũ totũ, qd totũ gratiâ plenum.* Mira verborum emphasis. *Gloriosus venter, gloriosa viscera.* S: enim Thomas p 1 q. 26. art. 2. ait. *Esse autem gloriosum, significat esse beatum.* Iam si noueris vndequâq; Virginem gratiâ circũfusam, quæ est inchoatio gloriæ, ventrem vtiq; eius beatum non negabis, vt potè quæ sola inter omnes homines, secundùm corpus, sortita est statum Corporis, in illo primæuo innocentiæ statu, à DEO intentum & creatum. Indè Virginem à maculâ primæuâ, liberam prædica. 195. 1. vsq; ad 18. & 235. 4.

9. *Beatus Venter qui te portauit.* Doct: Angelicus inter alia priuilegia propter quæ Virginis venter beatus dicitur, ponit etiam hæc, Serm: in Dom: 4. Quadrag. *Quia portauit eum, qui in seipso summe beatus est.* Et. *Quia portauit pretium redemptionis.* O eximiam Virginei vteri laudem! Si portauit in

seipso

seipso summè beatum, cum eoq; simul pretium redemptionis; quis arguet æqualem cæteris hominibus redemptionis sortem, ab æterno fuisse repositam in præmium Virgini? omninò sicut infinitum est discrimen Matris DEI & seruorum, ita præ illis augustior eidem debebatur redẽptio, & ita potior à subleuatiuâ & præseruatiuâ. Huc refer dicta 248. 1. & seq: & 251. 11. vsq; ad 23. Hæc redemptio, dicitur Sanctitas & redemptio vnitiua. 252. 15. 16.

10. *Beatus Venter qui te portauit &c.* Optimè sanè & non ad insipientiam tibi optima mulier, quæ ventrem Virginis beatificas! quidni beatum dixeris? *Vndè caro* (inquit Guerr: Abb: Sermone 1. de Annunt:) *eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, solium summæ Maiestatis, thronusq; potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis &c.* Pensa illud. *Cibus vitæ immortalis*; & Eucharisticum intellige panem. Hic enim in Virginis vtero excoctus, cælestis alimoniæ nutrimentum præbens hominibus, eosdem Diuino prorsùs interserit statui. 172. 17. 18. & 231. 30. & 177. 26. Cant: 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël.* Rupertus Abb: lib: 3. in Cant. *Quis enim* (inquit) *est lectus Salomonis, qui inter nos & Dominum, pacem composuit, nisi ille in quo Diuina natura, humanam sibi coniunxit? Et quis ille est, nisi vterus tuus, ô dilecta Dilecti, vterus Virginalis?* An igitùr non beatissimum censebis vterum Virginis, in quo Natura Diuina humanæ sociata, magnum illud dissidium, primæuo primorum Parentum peccato, inter Deum & hominem ortum, Verbum DEI composuit? Hinc B. Petrus Damianus, Thronum illum Salomonis 3. Reg: 10 ℣. 18. Virginis fuisse figuram asserens, hæc subinfert. Ser: 1. de Nat: Virg: *Meritò tale opus pacifico scribitur assignatum, quia venit IESVS instaurare quæ in cælis & quæ in terris, pacemq; & concordiam inter homines & Angelos, mediante Virgine, reformare.* Indè B. Virg: Reconciliatricem & Redemptricem generis humani simul cum Christo, deprædica. 12. 11. 12. consequenter ab originali noxâ liberam argue.

Pro hac Festiuitate, vide dicta infra in Festis Natiu: & Præsentationis B. Virg: pro opportunitate textûs Euangelici.

PRO FESTO NATIVITATIS B. M. V.

1. *Liber Generationis IESV Christi.* Maijronius Doctor Illum: Serm: de Nat: Virg. *Mater Domini fuit Liber, in Matris sterilis vtero, Dei digito descriptus.* Notat Abulensis, Ly, *Generationem*, non solùm in rigore linguæ Hebraicæ, significare primam rei existentiam, quâ de non esse exit ad esse, sed totam etiam substantiam cursumq; vitæ, prout aduertit D. Ambrosius in illud. *Gen: 5. Noe Vir iustus atq; perfectus fuit in Generationibus suis.* lib: de Noë & Arca. *Idem ergò est* (inquit Sylueira t. 1. l. 1. c. 3. n. 8.) *Liber Generationis IESV Christi; ac liber vitæ, seu operationum Christi.* Aduerte grande Mysterium: Nascitur Virgo, & ecce per Spiritum S. in Ecclesiâ, vitæ ac operationum Christi liber expromitur: quantum enim virtus ac operatio Diuina potuerit, per Virginem natam, mundo clarè innotuit. Si enim Deus huic mystico

mystico libro exarando, (iuxta Mayron:) adhuc in vtero Matris, digitum suum admouit, quomodò non omnigenâ perfectione cumulata, prodijt in lucem Virgo? Intuere Virginis Corpusculum, prorsus sine Adamicâ tenebrositate lucidissimum. 235. 4. vsq; ad 14. Intuere animam, & ecce post Christum gloriosissimam prædicabis. 288. 14. vsq; ad 18. De vtroq; etiam. 230.26. & sequen.

2. *Liber Generationis &c.* D. Chrysost: Hom: 1. Op. Imp. *Liber est quasi Apotheca gratiarum, sicut enim in apothecâ diuitis alicuius, omnis homo quod desiderat, inuenit, sic & in isto libro, omnis anima quod necessarium habet, inuenit.* D. Gregorius Nazian. *Sola (inquit) Virgo Maria, Liber est Generationis IESV Christi.* Quomodò sola? cum Diuina Bonitas diues, in omnes copiosos suæ gratiæ dispenset thesauros. *Iacobi 1. Dat omnibus affluenter.* Benè. *Sola.* In hac enim ditandâ immensâq; donorum opulentiâ munerandâ ac ornandâ, plus adlaborauit bonitas Diuina, vt potè quæ concaput totius creaturæ futura cum Christo. 172. n. 17. & sequen: vltra omnem felicitatem Angelorum, erat euehenda. 153. 11. & 252 n. 15. Recense & illud. *Sicut in apothecâ diuitis &c.* nam benè quadrat Deiparæ, per eam enim, toti mundo cœlestia à Deo charismata dispensantur. 12. 11. 12. & 180. 32.

3. *De quâ Natus est IESVS &c.* Pulcherrimus vnaq; ditissimus natæ Virginis census. *Quid amplius quæris* (ait S. Thom: à Vill: nou. Conc: 2. in Nat: Virg:) *Quid vltra requiris in Virgine, sufficit tibi quod Mater Dei est.* Sat compendioso eminentem natæ Virginis laudem collegit stylo, at simul stupendo & ad superbiam seculorum admirando prouexit encomio *Sufficit* (inquit) *quòd Mater Dei est* Sufficit profectò & Virginis dignitati & totius mundi vtilitati. *Prou: 8. Ab æterno ordinata sum.* Quorsùm ista gloriatio? *Hoc enim* (inquit idem S. Th: vbi supra Conc: 3.) *omnibus non modò Sanctis sed omnibus creaturis commune est. Quid ergò magnum dicitur de Virgine, ab æterno ordinata sum?* ℞. ibidem. *Virgo dicitur singulariter ordinata & electa, quia electa est ad maximam & singularem dignitatem. Vnde ad duo fuit electa. Imò vt sit Mater Dei. 2dò vt sit mundo aduocata.* Vtrumq; certè magnum, & dignissimo Virginis sufficiens encomio, ex quo enim Mater DEI, infinitam participat dignitatem. 162. 2. ex quo Aduocata, immensam gratiam ac puritatem. Hinc rursùs S. Thom: vbi sup. *Vndè facta est idonea, Aduocata? Idonea, quia purissima. Idonea, quia acceptissima. Idonea, quia pijssima. Hæc enim omnia ad Aduocatam requiruntur.* De puritate. 156. 13. 14. & 283. 13. 14. De Gratiâ gratum faciente (per hanc enim acceptissima) 214. 1. 2. & 215. 3 4. vsq; ad 10.

4. *Liber Generationis IESV Christi.* D. Chrysostomus Hom: 2. in Math. *Cuius verò rei gratiâ, librum ipsum Generationis Christi vocat, vbi non sola vtiq; Generatio, sed tota prorsus ipsius mysterij dispensatio, continetur?* ℞. statim. *Quia totius, scilicet dispensationis, caput & radix atq; principium, omnium nobis in hoc consistit bonorum.* In quo sanè? Subinfert ibid: S. P. paucis quibusdam interiectis. *Quod Deus, Homo factus est.* O bonum, in quo & ex quo omne bonum!

num! Verbi enim Diuini humanatio, glorificandæ ac beandæ naturæ humanæ gratiâ, in æterno Dei decreta consistorio. 3. 3.

5. *De quâ natus est IESVS.* Symbolum Apost: *Natus ex Mariâ Virgine.* Benè ex Virgine nascitur, ideò enim Maria Mater, quia Virgo, & ideò Virgo, quia Mater; nec enim decebat Deum incorporari aliundè, quàm de Virgine, nec Virginem concipere & parere, nisi DEVM, qui & Homo esset. Piam D. Bernardi excipe mentem, Hom: 2. supra Missus. *Deum huiusmodi decebat natiuitas, quâ nonnisi de Virgine nasceretur: Talis congruebat & Virgini partus, vt non pareret nisi Deum: proinde factor hominum, vt homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram. Voluit itaq; esse Virginem, de quâ immaculatâ, immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus.* Duplex motiuum adstruit S. P. quo Deus in terris hominem acturus, non de aliâ Matre quàm de Virgine, fuit sibi prouisurus. Decentiam scilicet & debitū. Vtrumque maximè opportunum, ac peragendo Verbi incarnati mysterio, summè peridoneum. Dum enim Verbum caro factum, ad reparandum & recreandum genus humanum: hæc reparatio ac recreatio, primæ creationi erat commensuranda, vt qualis primus Adam in statu innocentiæ, talis secundus Adam in statu gratiæ, fieret. Porrò cùm ille de Virgine terrâ, formatus esset, totumq; postea genus humanum, Virgineè, non carnali generatione, ab Adam. 22. 2. vsq; 34. sed ab Euâ, saluâ eius Virginitate, operâ Spiritus S. fuerat propagandum. 33. 1. vsq; 30. fusè, istum paritèr ex Virgine concipi & nasci oportuit. ibid: vbi supra, præsertim 36. 4. 5. 6. 7. & seq: Et 33. 6. & 24. 8. 9. 10. &c. Huc facit dictum D. Irenæi aduersus Hæreses lib: 3. Cap: 31. *Quemadmodum protoplastus ille Adam, de rudi terrâ, & adhuc de Virgine (nondum enim pluerat DEVS, & homo non erat operatus terram) habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei, id est Verbo Dei, omnia enim per ipsum facta sunt, & sumpsit Dominus limum à terrâ, & plasmauit hominem: ita recapitulans in se, Adam ipse, Verbum existens, ex Maria, quæ adhuc erat Virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationis.* Et post pauca, occurrit obiectioni. *Quarè igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Mariâ operatus est plasmationem fieri? Vt non alia plasmatio fieret, neq; alia esset plasmatio quæ saluaretur, sed eadem ipsa recapitularetur, seruatâ similitudine.* Similitudinem istâ attende, penes Virgineam eius generationem. 23. 6. & exindè naturam Christi humanam quâ Redemptoris nostri, non potuisse fieri per creationem, sed de Virgine, argues. 170. 14. 15. 16.

6. *De quâ natus est IESVS.* Porrò Angelus ait ad Ioseph, Matth: 1. *Quod enim in eâ natum est, de Spiritu S. est.* Iam supra habes ex Hugone n. 7. In Festo Conc: *De Matre, materialitèr de Spiritu S. potentialitèr.* Cùr non & de Patre aut Filio, potentialitèr, cùm opera Trinitatis ad extra sint indiuisa? R. Hugo. *Non dicitur, de Patre & Filio, quia de solâ bonitate Dei fuit, quòd incarnaretur. Quod attribuitur Spiritui Sancto.* Glossa item Ordin: *Spiritus S. dicitur Deus, & donum*

num Dei, & Charitas; & sola charitas, eum incarnari fecit. Benè sola bonitas, sola charitas, opus enim Incarnationis, cùm sit omnium operum creatorum præstantissimum, 170. 14. ex summa processit gratiâ & bonitate. 250. 9.

Huc reuocare poteris dicta supra de Concep: sup: idem Euang.

PRO FESTO PRÆSENTATIONIS BEATÆ VIRGINIS.

1. *Extollens vocem quædam mulier de turbâ.* Magnum in hac muliere elatæ vocis Sacramentum. Contra enim sui sexûs conditionem ac modestiam, in tantâ multitudine, vocem leuasse videtur. Benè tamen leuasse censenda est, dum stupendam primò inter homines, publicam, publicè, Virginis orditur panegyrim. Isai: 40. *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem.* Quæ est hæc Ierusalem? Illa nimirũ, de quâ Cant: 6. *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem.* Ierusalem interpretatur, Visio pacis; mysticè per hanc intellige Virginem. Rupertus in Cant: *Suauis & decora es sicut Ierusalem, in eo, quòd anima tua semper supernam videt pacem.* En amplissimum præconiorum hodiernæ Solennitatis emporium. Sistitur Virgo in Jerusalem, offerturq; Templo, Templum ipsa in vtero matris effecta. *Hodie* (inquit Sanctus Germanus Constantinop: Oratione primâ in Præsent: B. V.) *trimula prodit, dicanda in legali Templo, quæ vnâ templum fuit immaculatum & celsissimum, Pontificis & Sacrorum Principis Dei.* Addiderim ego, Virginem Beatam Templum fuisse Pacis, verius & felicius illo olìm à Romanis

manis effecto: Dùm enim in suo vtero Verbum Diuinum conclusit, veram pacem intulit mundo. *Per te* (ait D. Epiphanius Serm: de laud: Virg.) *ô Sancta Virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissoluit, per te pax cœlestis donata est mundo.* Huc reuoca authorita tates SS. PP. B. Virginem Collum mysticum, Mediatricem Dei & Hominum, vniuersi Reconciliatricem &c. indigitantes. 12. 11. 12.

Num: 10. *Canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis, in recordationẽ Dei Vestri.* Lyranus addit. *Quod ad honorem Dei offerantur, & accepta sint coram eo.* Sileant iam ô Iudæi tubæ vestræ, cessent holocausta & vestræ victimæ pacificæ, nouum en Virgo in templo Salomonis holocaustum, noua victima pacifica. *Hodiè* (inquit S. Germanus vbi sup:) *Sacrum templi Altare splendescere incipit, transit enim ad vsum incruenti sacrificij.* Vis huius Altaris holocaustum? Tenerrimam Virginis carnem attende, totam Dei ac templi obsequijs mancipatam. *Fiebat* (ait S. Bonauentura Medit: vitæ Christi Cap: 3. ex D. Hieronymo) *vt in vigilijs inueniretur prior, in Sapientiâ legis Dei eruditior, in humilitate humilior, in carminibus Dauidicis elegantior, &c.* Vis victimam pacificam? animum mentemq; Virginis contemplare. Nulla quippè in eâ rebellio, nullum dissidium, cùm omnes sensus externi, rationis parerent imperio. 206. 5. & 207. 7. 8. 9. 10. Præsertìm cùm in eius Conceptione, ablata fuerit animalitas sensualis. 204. 1. 2. & 205. 3. 4. vsq; 16. & ita Virginem in animâ suâ, (iuxta cit: Rupertum) sempèr supernam vidisse pacem, non dubitabis, acceptissi-

ceptissimamq; ex Virgine, hodiè oblatam in templo hostiam coram Deo, asseuerabis.

2. *Extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit. Beatus venter qui te portauit.* Exere vocem ô mulier, dilata os tuum, laxa tua labia, linguam quâ poteris virilitate extende, in laudem Sacratæ Virginis. *Etenim eius magnalia* (inquit S. Germanus vbi sup.) *vastissimum pelagus fecit gutta illa cælestis, quæ ab ipsâ manauit.* Nonnè tibi videtur cælestem hanc intellexisse guttam, mulier hæc inclamando. *Beatus venter qui te portauit? Tetigit enim* (ait noster Ioannes à Carthag: tom: 3. de B. V. lib: 15. homil: 15.) *originem ac fæcundam illam venam, vndè omnia cælestia charismata, diuina beneficia, ac portentosa priuilegia, Beatæ Virgini diuinitus collata, ortum habuêre.* Originem hanc, seu venam, intellige Maternitatem Dei, quæ in tantum ampliauit magnalia Virginis, in quantum per eam eò euecta est, vt maior sub Deo creari non potuerit. 170. 14. Indè solam Virginem, tam secundùm animam, quàm secundùm corpus, fuisse perfectissimam imaginem Dei, iudica. 230. 26. vsq; 33. & 223. 4.

3. *Beatus venter qui te portauit.* Grande innuit mysterium hæc mulier, beatificando ventrem qui Christũ portauit. *Nunquid potest Virginis vterus* (ait D. Chrysost: apud metaphrastem in Annunt: Virg:) *Deum capere, qui comprehendi non potest? Verè mysterium magnum & mirandum.* Ita sanè. Incomprehensibilem non comprehendisset vterus Virginis, nisi mentis latitudo eum ampliâsset. *Si attendas* (ait Guerricus Abb: Serm: 3. de Annunt:) *angustias vteri, locus prorsus angustus est; Si latitudinem cordis, Thronus grandis est, propter quam etiam, vterus tantæ maiestatis capax est.* Diuinus propè, Diuini conceptus ingenij, sed diuiniorem attende, in S. Gregorio Nyss: Orat: de Natali Domini exclamante. *O Beatum vterum illum, qui bonitatis suæ præstantiâ, ad se traxit animi bona, in reliquis omnibus vix animus purus Spiritûs S. præsentiam capit, hic autem caro fit Spiritus S. receptaculum.* Excessisse videtur in hoc vteri virginalis præconio S. Pater, in quo (si diligentius attendas) eius puritatem quâuis mentis puritate, quorumuis sub Christo Electorum, præcellere ait. Hæc profectò singularis singulari debita laus Mariæ, cuius, nedum anima, sed etiam Corpus, in purissimum Spiritum transisse censetur. Quid censum miraris? Caro Christi & Mariæ, est vna. 260. 12. & à carne Virginis, descendit puritas in carnem Christi. 295. 9. 10. Totam ergò fuisse spiritualizandam, & de facto spiritualizatam, crede. Pro hac spiritualitate carnis Virginis, recollige dicta 57. 1. vsq; 47. præsertìm 3. 4. 6. 7. 8. 14. 15. vsq; 20. & ex his carnem Beatæ Virg: plenè spiritualizatam, non dubitabis. Patuit huius carnis spiritualizata virtus in Virgine, dum hodiè trima, sinè omni humanâ directione, gradus Templi Salomonis festinè transijt. 208. 14.

4. *Beatus venter qui te portauit.* Diuus Bonauentura super Lucam. *Quasi dicat, Beata mulier quæ portauit tam bonum Filium.* Recollige illud à Christo cuidam adolescenti dictum, Mar: 10. *Nemo bonus, nisi vnus Deus.* Vbi Theophilus in Catenâ D. Thom: *Voluit Dominus*

minus per hæc verba, mentem iuuenis facere altiorem, vt ipsum cognosceret tanquam Deum. Cognouit hodierna mulier Christum tanquam Deum, altiùs enim introspexit naturam eius, beatum prædicando vterum qui eum portauit, non puri tantum hominis, sed & veri Dei Matrem illam insinuans. Huc refertur illud D. Athanasij Dialog: 4. de Trinit. *Hominem igitùr genuit Maria? Nudum & duntaxat Hominem? Nequaquam; sed Deum qui Hominem indueret. Primum enim Dominus fuit cum eâ diuinè, & tum demum infantulus ex eâ òeconomicè: quamobrem etiam Deipara est Maria.* Magnum verborum mysterium, *primum fuit cum eâ diuine*, fortassis per hæc, illud secretum Diuinitatis arcanum commonstrare voluit S. Pater, in quo sibi eam ab æterno elegerat Matrem; ex hac enim ratione, simultaneam cum Christo sortita prædestinationem. 2. 1. & seq: & 8. 8. & seq: vsq; 12. totam præcessit creaturam. ibid. Accipe & alium verborum prædictorum sensum. Deus cum Homine dicitur esse diuinè, per suam gratiam gratificantem, hæc enim transfert homines in sortem filiorum Dei. Virgo igitùr Beata, quia ab æterno òeconomiæ verbi Diuini, hoc est, Incarnationis, (hanc enim SS. PP. passim òeconomiam vocant) ministra ordinata est, ideò primò specialitèr vltra omnes Angelos & Homines, gratiosa est effecta. 214. 1. & seq: vsq; 10. Quantum putas sibi complacuisse Deum ex præsentatâ in templo hac gratiosâ puella!

5. *Quinimò beati qui audiunt Verbum Dei.* &c. D. Chrysost: hom: 45. in Matth: *Non fuit hoc responsum repudiantis Matrem, sed ostendentis, quòd nihil ei partus profuißet, nisi valde bona & fidelis fuisset.* Et S. Augustinus lib: de S. Virginitate cap: 3. *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quàm carne gestasset.* Duplicitèr B. V. Deum concepit & portauit, mente scilicet & carne; mente concepit ab instanti Conceptionis suæ in vtero Matris, ventre, dùm in eâ Verbum caro factum. Hinc S. Laurentius Iustin: de Connub: Verbi & Animæ cap: 9. *Quem cæli capere nequeunt, Maria mente concepit, concepit in ventre.* Felix vterq; conceptus ac partus, sed felicior mentis seu cordis. Per hunc enim valdè bona & fidelis antè Deum reperta, conceptû & partû ventris digna iudicata est. Quis ille mentis seu cordis partus? Ille nimirùm, quo se in instanti Conceptionis suæ ad Deum reflexit; & ita reflexit, vt totâ vitâ suâ sinè interruptione etiam momentaneâ, mentem suam circa Deum solum occupauerit 205. 4. & 209. 17. 18. 19. & 223. 5. & 224. 6. 7. & 286. 9. Non tibi paradoxum videatur; ab illo enim instanti, fomite & sensualibus concupiscentijs caruit Deipara. 206. 5. 6. & seq: & 280. 4. & 281. 8. Ergò meritò, tam sacrata Virgo, sacrato ac Diuino offertur templo: Vbi teste D. Hieronymo, vel quisquis alius Author libri de Ortu Virginis; *Quotidiè Virgo ab Angelis frequentabatur, quotidiè Diuina Visione fruebatur &c.* Non tibi moueant bilem postrema verba, fuit enim viatrix & comprehendens. 201. 14. Habens statum medium inter statum simplicis viatoris, & statum simplicis comprehensoris. 287. 10.

Pro

Pro eodem Festo, videre poteris suprà in Festo CONCEPTIONIS B. V. ad idem Euangelium, à num: 8.

PRO FESTO ANNVNTIATIONIS B. VIRGINIS.

1. *Missus est Gabriel Angelus &c. ad Virginem.* D. Augustinus de Sanctâ Virginitate apud D. Th: in Cat. *Illũ enim solum Virginitas decentèr parere potuit, qui in suâ natiuitate parem habere non potuit. Oportebat enim caput nostrũ, propter insigne miraculum, secundum corpus nasci de Virgine; quod significaret membra sua, de Virgine Ecclesiâ, secundum spiritum nascitura.* En noua genitura, prior enim scilicet carnalis, ex maledicto processit. 21. 1. 2. posterior Christi, vt potè spiritualis, omne bonum primæuo statui innocentiæ ordinatum, intulit. 36. 4. & seq: nouum in nobis suscitando hominem per baptismum. 135. & per quẽ Deiformes efficimur. 138. 9.

2. *Aue gratiâ plena.* Hugo Card: in Luc. *Huius salutationis forma tanto pretiosior est, quanto rarior. Nusquam enim in scripturis reperitur antea, nec ab alio quàm Angelo, nec alij quam Mariæ, debebatur hæc salutatio. In omni salutatione fiebat priùs, aut vitæ imprecatio. Dan: 2. Rex in æternum viuè: aut salutis. 2. Reg: 16. Salue Rex; aut benedictionis: Ruth: 2. Benedicat tibi Dominus &c. Hæc salutatio B. Virginis ex omnibus est conflata, & ideò est dignior.* Expende illud *Ex omnibus est conflata*, gratiæ enim plenitudo debita Mariæ quâ Matri Dei, qualscunq; gratias, cæteris aliquandò collatas, in se conclusit eminentèr; summa enim decebat Virginem. 219. 16. & 282. 12. vltra quam maiorem non posset recipere. 215. 3. Vndè plus gratiæ in suâ Conceptione, & in Matris vtero, habuisse censenda est quàm Sancti in cælo. 214. 1. & seq. Disertissimè de hac plenitudine gratiæ D. Thom: à Villâ nouâ Conc: 2. in Nat: Virg. *Quænam obsecro pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria, Matri Dei non congruit? Solue cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, & describe apud te in animo Virginem quandam &c. omni gratiâ plenam, omni sanctitate pollentem, Dei gratissimam, quantùm potes, tantùm auge, quantùm vales, tantùm adde, maior est ista Virgo, excellentior est hæc Virgo, superior est Virgo ista. Non eam Spiritus S. literis descripsit, sed tibi eam animo depingendam reliquit; vt intelligas, nihil illi gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quam animus in purâ creaturâ concipere possit, defuisse.* Benè ergò ab Angelo salutatur, gratiâ plena: plenè enim eâ perfusâ est in instanti Conceptionis suæ, ita quod nihil ei totâ vitâ accesserit in esse gratiæ gratum facientis, quin illud totum, in eo obtinuerit momento. 281. 10. & seq:

3. *Benedicta tu in mulieribus.* Græcus in catenâ D. Thomæ. *Vna scilicet præ cunctis mulieribus, vt etiam benedicantur in te mulieres, sicut mares in filio; sed magis vterq; in vtrisq;, velut enim per vnam fæminam & vnum marem, peccatum simul cum tristitiâ intrauit, sic & nunc, per vnam & vnum, benedictio reuocata est, & lætitia, & ad singulos est profusa.* Notantèr dixit Author. *Vterq; in vtrisq;*. Et. *Per vnam & vnum.* Virgo enim Beata, Christo, Capiti hominum & Angelorum, in adiutorium simile, & quasi concaput facta est. 12. 11. 12. & 165. 1. & seq: & 174. 21.

per

per quam, Vniuersum, suam accepit perfectionem ac benedictionem. vbi sup: 12. & 170. 14. & 180 32.

4. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Glorientur cæteri sibiq; gratulentur, se, terrenorũ Principum ambitioso fastu, & quæsiisse, & inuenisse gratiam; fallax hæc, naturâq; suâ, subdolo delinita fuco, quæ plerosq; cum superbo, superbè, ob Regis gratiam exultante Aman. Esther 5. ℣. 9. è Regum palatio, aut furcæ probrosæ, ibid: 7. ℣. 10. aut squalo carceri, cum innocente IosephGen: 39. ℣. 20. mancipauit, feliciores forsan futuros, si priuatâ priuatorũ experijssent consuetudinem, quàm magnatum fauorabile exambijssent consortium. Sufficiat gloriæ, immò & gloriationi, nostræ Virginis, ipsam, apud ipsum solumq; Deum inuenisse gratiam. Apud (inquam) Deum; qui mutari nescius, quos suo Diuino fauore honorare decreuerit, æternâ complectitur dilectione. Quis hâc felicitate felicior, ipsâ Deiparâ Virgine? quæ primogenita antè omnem creaturam. 177. 25. omnium hominum & Angelorũ præcedens prædestinationem. 8. 8. prima specialissimam sortita est adoptionis gratiam. 301. 1. vsq; 13. prout vera & naturalis veri Dei genitrix futura. 169. 12. 13.

Ioan: 1. *Et Verbum erat apud Deum.* Interlinearis. *Vt alia persona, non tamen vt alia substantia. Præter hoc etiam* (inquit Hugo Card: in Ioan:) *notat, Apud, permanentiam contra motum vel transitum, notat etiam vicinitatem seu paritatem, contra superioritatem & inferioritatem, & ita notatur per præpositionem æqualitas Verbi cum Patre, & coæternitas permanens.* Compone vtrumq;, ly; *Apud*: Angelicum scilicet. *Inuenisti gratiam apud Deum.* Et S. Ioannis. *Verbum erat apud Deum,* & indè perauguſtam perauguſtæ Virginis excellentiam pensa. Apud Deum Verbum, apud Deum Maria. Num quid æquali cum Verbo situ, aut æquali vicinitate seu paritate? absit; Nulla enim creatura æquiparatur Deo, vel ad eum æqualem habet vicinitatem: optimè tamen sub Deo; quatenùs ei propinquior est, & talem vicinitatem, respectu Dei, supponit Angelus in Mariâ quâ Matre eius. 10. 9. Deo enim nullus viciñior, quia nullus familiarior, aut gratior, quam Maria, quæ simul prædestinata cum Christo 2. 1. & seq: & 8. 8. & seq: vsq; 12. & totius creaturæ cum eodem concaput effecta. 12. 11. & vbi sup: citatur num: 4. eminentem supra cælestes Spiritus, se solâ, immediatè post Deum, constituit Hierarchiam. 252. 13 14. & 255. 21. Fauet huic asserto Albertus Magnus in suo Mariali cap: 236. *Ipsa enim inuenit gratiam propinquiorem quam aliqua alia creatura, non tamen æqualis sitûs potuit esse cum Deo, impossibile est enim in situ vel in aliquo creaturam æquari Deo. Oportet ergò si dicitur quo ad aliquid, esse apud Deum, quod hoc sit respectu aliarum creaturarum.* Plùs iam aude, consideratâ maternitate Dei in Virgine; ob hanc enim consubstantialis Christi. 171. 16. & 294. 6. non solùm æqualitatem ad Deum, sed & identitatẽ habet. 12. 10. 11 & 177. 26. Hinc rursus idem Albertus Magnus. *Hæc omnia inuenisti apud Deum, apud dico, propinquissima, similitudine, dignitate, familiaritate, naturæ vicinitate.* Benè ait.

ait. *Naturæ vicinitate.* de naturâ enim Christi & Matris eius, vniformitèr sentiendum, & loquendum. 269. 1. licet Christi natura, nobilior naturâ suæ Matris. ibid:

5. *Quomodò fiet istud, quoniam Virum non cognosco?* D. Chrysostomus in Catenâ D. Thomæ. *Quinimò eò ipsô continget, quod est coniugis inexperta: Nam si virum experta fuisses, non digna censeveris hoc mysterio, non quia profanum sit coniugium, sed quia Virginitas potior.* Non tu potiorem censebis? quæ ipsi quoq; Diuinitati affinis, æternam æterni Patris generationem indigitat. 39. 8. Deoq; semper placita. 45. 23. quomodò non hæc sola specialitèr & ipsiusmet Christi generationi deseruiret? 40. 12. & 41. 14. 16. & seq: & 48. 29. Hinc illud D. Greg: Nyss: de Virginit: cap: 2. *Quæ Dei Verbi aduentum nuntiaret, sola castitas idonea est.* Huc refer dicta in festo. Nat: B. Virg: num: 5.

6. *Quomodò fiet istud, quoniam Virum non cognosco?* Lyranus *Id est, non cognoscere propono.* D. Greg: Nyss: in Cat: D. Th: *Quia oblatum corpus Dei, quasi quoddam ex sacris inuiolabile reseruari debebat, & ideò ait, quoniam virum non cognosco. O miram pudicitiæ curam!* (exclamat S. Thom: à Villa nou: conc: 2. de Annun: Virg:) *O inæstimabilem castitatis amorem! Mater Dei ab Angelo pronunciatur, & pro suâ Virginitate solicitabatur, Deum habitura est filium, & de suo pudore quæstionem facit, neq; tanto pignore, puritatis damna compensat; tanta erat in ea puritatis sanctimoniæq; dilectio.* Quale putas in Virgine naturæ simul & legis prodigium, Diuina ei promittitur proles, nihilominùs anxiè nimis, suam intemeratam zelat Virginitatem. O inæstimabilem humano sensu Virginem! Iudicum 11. Iephte filia, postquam se, in sacrificium Deo, ex voto Patris sui, cessuram intellexit, illud solum deprecata est Patrem: *Dimitte me vt duobus mensibus circumeam montes, plangam Virginitatem meam.* Quorsùm ille planctus? R. Lyranus: *Quia tunc temporis opprobrium erat mori sine prole.* Venustiùs D. Thom: à Vill: nou: vbi sup. *Luget diutiùs, non quia occiditur, sed quia absq; sobole moritur innupta, acerbiorem ipsâ morte, reputans orbitatem.* Quid si huic puellæ talis tantusq;, ac nostræ Virgini, fuisset repromissus filius, quales quantosque adauxisset planctus, mortem præmaturam deploratura? quæ adhuc nescia, num quandoq; paritura, an sterilis mansura, tantoperè insueto indoluit lamento. Cessit lex, infæcundam damnans, & natura sterilitatem verecundans, Virgini Mariæ, quæ pientissimo quodam suæ Virginitatis zelo, filij Dei Mater effici, pientissimè contremiscit. *O Virginem puram* (exclamat iterum D. Thomas vbi supra) *Virginem vnicam, Virginem singularem, & verè singularem, verè vnicam, ad quam nulla est alia Virgo!* Peramplâ satis emphasi, sola mortalium & vnica, Maria, adstruitur fuisse Virgo. Recollige illud nobilissimum Ecclesiæ epithetum, quo eam dignificat, Virginem Virginum, profitendo, quasi inter omnes, Virginem eminentissimam, vel quasi Virginem per essentiam, à quâ solâ in omnes descendit virginitas. 173. 20. Hinc conijcies Deiparam magis fuisse Virginem, quàm fuerit Eua in statu innocentiæ. 11. 10. in fine: tunc enim

enim Virginitas naturæ humanæ perfectior fuit virginitate naturæ Angelicæ. 242. 5. Et exindè illi speciale illud priuilegium, quod eam aspicientes, nullâ vnquam mouerentur concupiscentiâ, immò, ad castitatem allicerentur. 246. 18. Quid mirum, cùm & quælibet alia Virgo, Virgo permanens, minorem det tentationem, quam corrupta. 246. 18.

7. *Ecce Ancilla* Domini, *fiat mihi* &c. S. Titus Bostrorum Episcopus apud glossam Ord: à Leandro Benedictino auctam. *Hæc Sacratissima Virginis Oratio huc tendit. En tabula sum, quamuis scripturam excipere idonea. Scribat in me scriba ille, quodcunque visum fuerit, faciat de me Vniuersorum Dominus, quidquid libuerit.* Audis resolutam & in pleno resignatam Virginem? quidni seipsã resignaret Diuinæ voluntati, cùm & ipse Deus in primo instanti conceptionis, sic se firmauerit in Virgine, vt nunquam Virgo ab eo auerti posset. 284. 1. & seq:

PRO FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

1. *Exurgens Maria, abijt in montana cum festinatione.* Siste gradum ô Deipara, cohibe hunc velocem cursum, ô sacrata puella; Verbum Diuinum in vtero gestas, ad cuius nutum Iob 26. ℣. 10. *Columnæ cœli contremiscunt & pauent.* Vel illud tu quoq; reuerere, & potius adgeniculata, Diuinam eius venerare præsentiam. Quidni festinem? ait Virgo. Quidni iter meum accelerem, accelerante ipso Dei Verbo? *En dilectus meus loquitur mihi: Surge propera amica mea* Cantic: 2. ℣. 10. Cornelius à Lap: in hunc locum, tertio sensu principali. *Hisce verbis, Surge, propera, Christus euocat Beatam Virg: vt licet grauida, surgat, & abeat in montana, cum festinatione, ad salutandum Elizabeth eiq; seruiendum.* Quid est; *Eiq; seruiendum?* Ergòne Regina cælorum, creatoris Mater effecta, ancillabitur creaturæ? Aduertite mysterium; properat Virgo, quia properat IESVS. *IESVS enim* (ait Origenes hom: 7. in Luc:) *qui in vtero illius erat, festinabat adhuc in ventre Matris, Ioannem positum sanctificare.* Non seruile censeas obsequium, nec inglorium credas ancillatum, ad quẽ exhibendum festinat Virgo, imò Regale officium, ac munus Diuinum iudica, vnâ cum Christo Mariam festinè cucurisse. *Superior* (inquit D. Ambrosius lib: 2. in Luc:) *venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur: Maria, ad Elizabeth, Christus ad Ioannem.* Hinc videre libet, rectè Beatam Virginem concaput Christi & adiutorium nuncupari. 12. 11, 12. & 165. 1. & seq: & 174. 21.

2. *Abijt in Montana, cum festinatione.* Quis in montana percito euolat cursu, & non lento pergit gressu? Et ecce tenerrima Virgo, eaq; Verbo fœta Diuino, festina currit in Iudææ montana. Benè maturat iter sibi vndequaq; de facili peruium, ac minimè arduum. Isaiæ 19. ℣. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* D. Procopius *nubem leuem appellat Sacram Virginem, cuius vlnis delatus in Ægyptum est. Leuem dictam* (intellige tam quoad corpus quã quoad animam) *quod libera erat omni passione & fomite, & quod super omnes res terrenas volabat.* Energiam attende. *Leuem dictam, quòd libera erat* &c. Fomesne est passio grauis? imò onerosissi-

rosissima. *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam.* Sap: 9. ℣. 15. D. Bernardus Serm: 2. in septuag. *Non simpliciter corp⁹, sed corpus quod corrumpitur, aggrauat animā, vt immunē ab hoc grauamine, primi Parentis animā, noueris extitisse, donec adhuc corpus gereret incorruptum.* Transijt hæc immunitas ab hoc grauamine in Beatam Virginem, quæ in vtero Matris, concepta licet ex copulâ maritali. 182. 4. quod necesse fuerit illam sic concipi, ibid: 5. Caro tamen eius nullam traxit grauitatem. quia spiritualis facta. 196. 6. & seq. Homo enim antè lapsum, habuit corpus spirituale & spiritum corporeum. 57. 58. & seq: & 3. 4. 5. &c.

3. *Vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu S.* D. Ambrosius lib: 2. in Luc: *Citò autem euentus Mariæ, & præsentiæ Dominicæ, beneficia declarantur.* Et Origenes hom: 7. in Luc: loquens de Ioan: Bapt: *Non autem antea repletus fuerat spiritu, donec assisteret, quæ Christum gerebat in vtero; tunc autem & Spiritu erat plenus, & resultabat in parente.* Cùr non antè repletur quàm assistat Virgo? Tangit forsitan Origenes singulare priuilegium Virginis, quòd per eam, sua Deus disposuerit dispensare beneficia. Vel fortè, non aliter sanctificare voluit Baptistam, quàm ad præsentiam suæ Matris, vt ita commonstraret, sanctitatem B. Virginis in Conceptione, incomparabilitèr fuisse maiorem & perfectiorem, sanctificatione quorumuis in vtero sanctificatorum, consequentèr & ipsius Baptistæ. 189. 1. & sequ.

4. *Benedicta tu inter mulieres.* Rectè antè hæc verba præmisit S. Lucas. *Et repleta est Spiritu S. Elizabeth.* Quis enim, Virginem benedictam inter mulieres, reuelasset ei, nisi Spiritus S. quod eo magis censendum, quod eadem benedictione, quâ eam benedixit cælestis Paranymphus, Elizabeth benedixerit Virginem. Indè Beda lib: 1. in Luc: cap: 3. *Eâdem autem voce ab Elizabeth, quâ à Gabriele, benedicitur, quatenùs & Angelis & hominibus veneranda monstretur.* Veneratio, debetur Eminentiæ: Virgo igitùr, & Angelis & hominibus veneranda monstratur, vt potè primogenita antè omnem creaturam. 177. 25. prædefinita simul cum Christo. 141. 2. præcedens prædestinationem hominum & Angelorum. 8. 8. ac se solâ vltra eos, quartam in cælis constituens Hierarchiam. 252. 13. 14. & 255. 21. Origenes ad prædicta verba in Cat: D. Thom. *Dicit autem, benedicta tu inter mulieres, nulla enim vnquam tantæ fuit gratiæ particeps aut esse poterat. Vnius enim Diuini germinis, parens est vnica.* Nota *Aut esse poterat.* Cùm enim maternitas eius sit quodammodo infinita. 162. 2. Summa ei debebatur gratia. 282. 12. quâ maiorem non posset recipere. 215. 3. Pensa & illud. *Vnius enim Diuini germinis* &c. Christus enim prædestinatus est Filius huius Matris determinatæ. 11. 10. nec potuit præuideri sinè hâc Matre Mariâ. 143. 4. quem etiam necesse fuit nasci, de muliere tantum & non de viro. 24. 10.

5. *Et ait Maria. Magnificat anima mea Dominum.* D. Thom: à Vill: nou. conc: 2. de Visit: Virg. *Sileant omnes Musæ, sileant gentilium celebratæ Camœnæ sileat Sybilla furens, sileat Laciniosa Pòe-*

sis, sileat Syrena dulcis, garrula etiam Philomena contineat, sileat omnis hominum auiumq; harmonica laus: Cythara Regis sonat, Deipara Virgo canit. Quid canit? *Magnificat anima mea Dominum.* Attende Virgo quid dixeris: Quis enim Deum, nec augmentum nec decrementum suscipientem, magnificare potest? Magnificat profectò, bona & iusta cuiusq; vita. 124. 7. Subtiliùs D. Bernardus, Ser: in Cant: B. V. in personâ eius. *Magnificat omnis creatura Dominum, sed amplius super omnem creaturam anima mea, Dominum magnificat. In omni enim creaturâ, nihil tam magnificè fecit Dominus, sicut animam meam.* Reuerâ magnificè facta, quæ in suâ essentiâ vltra omnes animas, post animam Christi, perfectissima, perfectissimè imago Dei extitit. 223. 5. & sequ: & 230. 26. &c. & 239. 15. 16. 17.

6. *Magnificat anima mea Dominum.* Hugo Card. *Corpus eius mysticum augmentando.* Quod illud corpus? nempè electos fideles, qui sunt filij Dei adoptiui. 302. 4 hos augmentauit Virgo, eâ enim adoptatâ, adoptati sunt concomitantèr & alij electi. 303. 9. Vel quia de corpore sumpto de Matre Virgine, consistit omnium Sacramentorum ratio & finis. 173. 18. per quæ vniuntur Deo; in baptismo quidem regenerati, in nouam creaturam. 137. 6. & 134. 1. in Eucharistiâ adunati ipsimet Christo. 172. 17. 18. & 36. 4. 5. & 231. 30. & 134. 3.

7. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus &c.* D. Thom: à Villâ nou: conc: 2. de Visit: Virg. *Quàm mirè, quàm succinctè, Verbi Incarnationem expressit? Suscepit (inquit) non enim conuersione Diuinitatis in carnem, non substantiarum confusione, non mixtione, aut compositione aliquâ vtriusq; naturæ, sed assumptione mirificâ humanitatis in Deum, Deus Homo factus est. Rationem quoq; huius tam admirandæ vnionis, sapientèr exprimit, cùm ait. Recordatus misericordiæ suæ. id est, non alicuius meriti, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed ex misericordiâ suâ, & gratiâ suâ purâ. Quis enim tantum donum vnquam potuisset promereri?* Certè quod Homo Deus factus, id fuit puræ gratiæ, hæc enim Incarnatio, non tam propter nostram Redemptionem prædefinita, quàm propter ipsam gloriam Dei. 5. 3. & 176. 24. licet enim Homo non peccâsset, adhuc tamen stetisset ad manifestandam Trinitatem. 3. 3. quod tamen ordinatum fuit in gloriam, cessit post peccatum ex misericordiâ in Redemptionem. ibid.

PRO FESTO PVRIFICATIONIS B. VIRGINIS.

1. *Postquam impleti sunt dies &c.* Vide ô Virgo, ne sis tuo iniuria filio, Diuinum eius prodigendo honorem. Quid tibi cum lege purificationis, quæ vltra leges naturæ, Deum partu protulisti? *Verè ô B. V.* (ait D. Bernardus Ser: 3. in purif.) *verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione.* Cedit tamen legi, cui etiam liberè Filium suum se in circumcisione submisisse cognouit. nec in hoc prodegit honorem Filij, dicente Spiritu S. Prou: 15. *Mens iusti, meditabitur obedientiam.* Hinc Richardus in illud Cant: 6. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* ait lib: 4. *Quia anima Mariæ, per incendium charitatis parata fuit instar metalli liquefacti, in omnes modos Diuinæ voluntatis.* Huc refer dicta supra in Festo Annuntiat: n. 7.

2. *Post-*

2. *Postquam impleti sunt &c.* Purificatur Virgo, non conceptûs aut partûs sui maculas eluens, (nam vt ait D. Zeno Serm: 2. de Nat: Domini. *Non filius Matris aut suis est vllis sortibus delibutus, neq; enim reuerâ aliquid circa se habere posset immundum, qui humani generis peccata, sordes, maculas, venerat mundaturus.* Sed maiorem puritatis gradum prætendens. Iuxta enim Albertum Magnum, puritas vel est per recessum ab impuro, vel per accessum ad summè purum. Secunda puritas hîc enituit in Virgine. Si enim iuxta D. August. Ser: 22. in Nat: Domini. *Virgo partu nupsit, Virginitatem dum pareret duplicauit*: ita hîc ex mente Sylueiræ philosophandum, quia *Virgo* (ait ille tom: 1. lib: 2. c. 5 n. 19.) *in suâ purificatione, maximè se assimilauit primæ puritatis regulæ, Christo Iesu* (explicat ibidem, quòd subiens se legi ex humilitate exemplo Christi) *Ergò* (concludit tandem) *dum Virgo conformatur Filio suo, puritas ac sanctitas in eâ creuit.* Vtramq; elicies puritatem. 156. 13. 14. & 283. 13. 14.

3. *Et vt darent hostiam &c. Par turturum aut duos pullos &c.* V. Beda in Luc: *Hostia autem hæc, pauperum erat.* Ergò pauper Maria? vbi illa parentum suorum hæreditas ampla? vbi thesaurus planè regius à Magis oblatus? Hæreditas diuendita, & in pauperes erogata, thesaurus regius ijsdem elargitus. *Totum infra paucos dies pauperibus erogauit.* ait D. Bonauentura Meditat: vitæ Christi cap: 9. Itane Virgo prodiga? imò Diuinè ac regiè liberalissima, per hanc suam liberalitatem, Reginæ ac Matris Vniuersorũ executa officiũ, palam faciens mundo, se bonorum cælestium dispensatricem constitutam. 12. 11 12 & 180. 32.

4. *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* D. Athanasius in Cat: D. Th: *Bina iussit offerri, quia homine consistente ex animâ & corpore, duplum à nobis poscit Deus, castitatem & mansuetudinem, non solum corporis sed etiam animæ: alioquin erit homo fictor & hypocrita, gerens integumentum occultæ malitiæ, innocentiam apparentem.* Vtrâq; castitate eminentèr claruit Deipara, secundum enim corpus, lucidissima. 238. 14. &c. vt potè digito Dei formata. 188. 19. & in carne spirituali facta. 196. 6. &c secundùm animam, gloriosissima, quia perfectissima imago Dei. 223. 5. & 230. 26. &c. Vndè in instanti suæ Conceptionis, ita fuit luminosa sicut esset Adam in puncto suæ translationis in cælum. 234 1. &c. hinc non inconcinnè à SS. Patribus Beata Virgo sola, Homo, nominatur 195 1. 2.

5. *Aut duos pullos columbarum.* Quærunt DD quid præcisè obtulerit Virgo, turturesnè an columbas? Vtrumq; simul obtulisse censent alij cum Origene hom: 14. in Luc: Solas obtulisse columbas, innuit Richardus Vict: de differentiâ Sacrificij Abrahæ & Mariæ. *Illud* (inquiens) *videtur inquisitione dignum, cùr magis elegerit offerre duos pullos columbarum, quam duos pullos turturum.* Fauet Sylueira t. 1. l. 2. c. 5. n. 52. *Quia columbæ, minori pretio emebantur, ideoq; communitèr à pauperibus offerebantur.* Cùr igitùr Maria elegit columbas?

Cantic: 1. ℣. 14. *Ecce tu pulchra es amica mea &c. oculi tui columbarum.* Psellus apud Theodoretum *Columbæ autem oculos memorat; vt purum Virginis obtutum significet, tam mundos enim oculos habet,*

habet, vt puritèr pulcherrimum sponsum aspiciat. Quis ille obtutus Virgineus? Ille nimirùm, quo se Virgo adhuc in vtero Matris, secundùm omnes animæ potentias, amplius inauertibilitèr retulit ad Deum. 205. 4. 223. 5. 224. 6. 7. & ita Deipara, in suâ hodiernâ columbarum hostiâ, iterum obtulit seipsam Deo.

6. *Accepit eum in vlnas suas.* V. Beda in Cat: *Accepit senior Christum, vt insinuet, hoc sæculum quasi senio iam defessum, ad infantiam & innocentiam Christianæ conuersationis rediturum.* A quo putas, infantem Iesum, accepisse hunc Senem? è manibus certè Mariæ. Cerne mysterium. Christus per Mariam Seni porrectus, senio defessum mundum ad infantiam rediturum innuit, vt intelligas per B. Virginem, totam naturam, quâ natura, restauratam. 174. 21. ac per eam, nouam generationem, scilicet spiritualem, mundo inuectam. 23. 6. 7. & 304. 9. 10.

7. *Nunc dimittis seruum &c.* Barradius t. 1. l. 10. c. 3. *Canus Simeon desiderio & expectationi suæ satis esse factum videns, imminente morte, vt Olor candidus, dulce fudit è senili ore melos.* Et D. Iulianus Archiep. lib: 1. Prognosticon c. 13. *Lætus itaq; de morte iam proximâ, & de vicinâ accersione securus, accepit in manus puerum, & exclamauit, & dixit. Nunc dimittis &c.* Quæ hæc lætitia senis mortem expectantis, imò eam ad se euocantis?

Prou: 13. ℣. 12. *Lignum vitæ desiderium veniens.* Lyranus. *Id est, completio desiderij, est causa delectationis & gaudij.* Baradius vbi supra cap: 7. *Res desiderata* (supple Simeoni) *Christus erat, qui arbor est vitæ, arborem ille vitæ manibus tenens, mortem non timet; quis mortem timeat, vitæ fontem habens?* Alludit ad illam paradysiacam vitæ arborem, quæ vitam immortalem prorogasset hominibus. 274. 18. cùm in eâ fuerit verè & realitèr vita 89. 14. Hinc etiam ex Simeone patet, quarè SS. appetant mortem. 277. 21.

PRO FESTO ASSVMPTIONIS B. V. MARIÆ.

1. *Intrauit Iesus in quoddam Castellum.* Hugo Card: *Id est in B. Virginem, in quam venit Dominus ad pugnandum, vel potiùs ad expugnandum diabolum.* De Castello, idem subdit. *In alto debet esse: & B. V. in alto fuit fundata, ita vt omninò diabolus accedere non valeret.* Mira allegoria mystica castelli & Mariæ, in quâ dum Ecclesia Assumptioni Virginis gloriam pendit, obfuscare potius videtur. Quomodò enim Christus hoc mysticum ingressus castellum, expugnauit diabolum? vel quomodò ad illud accedere non valuit, dum Virginem B. morte strauit temporalis? *Inuidiâ autem diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.* Sap: 2. ℣. 24. *Stipendia etiam peccati, mors.* Rom: 6. ℣. 23. Absit hic census infamis à Deiparâ, moritur quidem sed gloriosè. Sicut enim mors Christi fuit alia à morte nostrâ. 72. 31. & 210. 21. & 272. 12. (cùm alia sit causa mortis nostræ temporalis. 207. 10. hinc Christo fuit exaltatio. 135. 4. nobis supplicium. 272. 13.) ita censendum de morte Mariæ; hæc enim in eâ non fuit pœna, sed conditio. 274. 19.

2. *Intrauit Iesus in quoddam &c.* Cornelius Mussus Episc: Biton: Conc: de Assum: V. par: 1. *Non videtur vobis*

quod

quod Maria caſtrum eſt ſingulare, cùm Mater ſit, & ſimul Virgo ſit, cùm Filius & Homo ſit, & Deus, vnicus Æterno Patri, vnicus B. Matri. Benè; *Vnicus Patri, vnicus Matri.* Chriſtus enim Matrem non habuit in cœlis, Patrem in terris, ſed æternalitèr genitus ex ſolo Patre, in tempore ex ſolâ Matre, eum enim naſci neceſſe fuit, de muliere tantùm, & non de viro. 24. 10. Sinè quâ etiam præuideri non potuit. 143. 4.

3. *Et Mulier quædam Martha nomine &c. & huic erat ſoror nomine Maria.* Gloſſ: Ord: *Per iſtas duas ſorores, duæ ſignificantur vitæ ſpirituales.* Actiua ſcilicet & contemplatiua. Vtramq; hanc vitam, eminentèr reperies in Maria. Hinc exclamat Cornelius Muſſus vbi ſupra. *O te beatam & millies beatam Virginẽ, quæ duas has vitas, tam concorditer copulaſti, vt nec actio turbaret contẽplationẽ, nec contẽplatio impediret actionẽ: eras Martha ſed imperturbata, eras occupata, ſed quieta, vt Martha iuuabas, vt Maria fruebaris.*

Cantic: 1. 11. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo.* Hebraicè *Dùm eſſet Rex in circulo ſuo.* Sermo eſt de B. Virgine iuxta SS. PP. Maria ergò circulus Dei. Cùr circulus? ℞. Sylueira tom: 1. l. 1. c. 3. n. 23. *Perfectus circulus, quandò aliquid ſui in medio cingit: nullum eſt in circulo punctum, quod per lineam rectam contento non reſpondeat. Meritò ergo Beatiſſima Vir: dicitur circulus Chriſtum ambiens, quia adeò extitit perfecta, vt nullum inſtans aſſignari poſſit, ſiuè in Conceptione, ſiue in Natiuitate, vel vitæ decurſu, ſeu morte, in quo in Chriſtum non tetenderit, ac quantum fas eſt puræ creaturæ, Filio ſuo non proportionaretur.* Summam hinc in Virgine contemplationem argue. 205. 4. Martha enim, licet extiterit actuoſa in miniſterio Chriſti, extitit ſimul & Maria Deo intenta, ita vt nullo vnquam momento mentem ſuam ab eo auerterit. 223. 5. 6. 7.

4. *Et Mulier quædam.* Cornelius Muſſus vbi ſup: *Non habuit Lucas vocem contractiorem ad exprimendam infinitam dignitatem & excellentiam huius mulieris, hâc voce incertâ & indefinitâ. Quædam* Et infra. *Quid dicam de hac magnâ Dominâ? Si eam cœlum appellauero, multo eſt ſublimior: Si ſtellam, infinitis modis eſt purior: Si Imperatricem mundi, adhuc nobilior eſt: Si Dominam Angelorum, habet titulos digniores: Si Matrem Dei, eſt quidem hic proprius honor, eſt eius dignitas, eſt eius gloria, ſed in explicanda hac Maieſtate, quæ quaſi infinita eſt, quæ lingua non obmuteſcet?* Maieſtatem maternitatis in Virgine quodammodo infinitam, non dubites. 162. 2. Cùm non tantùm æqualis Chriſto, ſed & idem ſit. 12. 10. & 177. 26. ac conſubſtantialis. 171. 16. & 166. 5.

5. *Sedens ſecus pedes Domini.* Qui antè IESUS, modò Dominus. Cùr non hic quoq; IESUS? Sylueira t. 3. lib: 5. c. 16. n. 39. *Sedebat, vt ab illo multa hauriret cæleſtia dona, & ſplendidum ac glorioſum Domini nomen, non tam benè aptatur, vbi dona excipiuntur, quàm potiùs vbi largiuntur diffuſa.* Quid accommodatius ad noſtræ Virginis gloriam? quæ & haurit à Deo dona cæleſtia, & hauſta, elargitur mundo. Forſan autem & ipſa cælis hodiè inuecta, ſedet ſecus pedes Domini, Filij ſui. Datâ enim fide Suario t. 2. in 3. p. D. Thom: Diſp: 51. Sect: 1. Chriſti Corpus, ſupra conuexam ſuperficiem cæli Empyrei quieuiſſe, iam Deiparæ ſecus

eius pedes immediatè à dextris, thronus assignandus. *Sedet* (ait Didacus de Yanguas in suo Promptuario lib: 3 Con: 1. de Assumpt:) *omnibus superior, & pedes illius attingens, illi soli inferior, atq; vt ita dicam, suprema creaturarum, attingit infimum Creatoris Dei.* De hoc throno Barradius tom: 1. lib: 6. Cap: 12. *O thronum altissimum, in quo Virgo supra se, Sanctissimam tantummodo Trinitatem, infra se, omnes omnium Angelorum hominumq; Hierarchias, omnes choros, & omnes cælos, & elementa, cernit.* Quid mirum, sic eleuatam Virginem! Angelorum enim natura, sit licet celsior, non tamen gratiâ maior. 252. 15. quorum etiam vnâ cum Christo, reparatrix effecta est. 12. 11.

Veni electa mea, & ponã in te thronũ meũ. Ecclesia in Of: Virg: Guerricus Ab: adaptat hæc B. V. Ser: 2. de Assump. *In te mihi quandam Regni sedem constituam, de te iudicia decernam, per te preces exaudiam: nec satis glorificatus videbor, donec tu glorificeris.* Quorsùm putas tantum glorificandæ Virginis desiderium? Caro Christi & Mariæ est vna. 10. 9. circa fin: & 196. 4. & 200. 12. per quam illi consubstantialis. 271. 16. sic autem per naturam assumptam à Verbo, glorificatur & honoratur Deus, vt totâ annihilatâ creaturâ, adhuc per eam perfectissimè honoraretur. 176. 24. circa fin: Christus ergò inducitur desiderasse Matris suæ glorificationem, ex eâ enim Homo factus, vt pro totâ creaturâ Deum plenè glorificaret. ibid: Preme & illud. *De te iudicia decernam.* Iubilet cum tripudio mundus, talem hodiè thronum in suo Regno, statuisse Christum.

Ier: 31. V. 22. *Creauit Dominus nouum super terram, fæmina circumdabit Virum.* Quidsi dixero, creasse hodiè & super cœlum? non nouum iudicabis, Mariam in cælis circumdedisse Christum? Septuaginta. *Quia creauit te Dominus in salutem, in plantationem nouam, vndequaq; venient homines ad salutem.* Nouè plantatur Virgo in cœlo à Deo, vt per eam salutem tribuat vniuersis. *Nihil enim* (ait Christophorus de Vegâ in Theologiâ Marianâ n. 1168.) *gratiarum à Christo in alios deriuari potest, quod non sit per Mariam; sicut ex centro nihil deriuari potest extra, quod per circulum & peripheriam non pertranseat. Benè igitur Maria Christum ambire dicitur, quia omnem illius potentiam & efficacitatem, sic vndequaq; cohibet, vt omnem vim in se prius excipiat.* Optimè igitùr dictum. *De te iudicia decernam.* puta *Clementiæ*: hac enim in cælis potentissima Virgo, vt ex suo quasi arbitrio, Vniuersa, Vniuerso, à suo Filio, influat charismatum beneficia. 12. 11. 12. & 180. 32. Licèt hic exclamare cum D. Germano Constantinop: Orat: 2. de Dormit: Virg. *Quis te non admiretur, Spem incommutabilem, Patrocinium validissimum, Salutem indeficientem; subsidium firmum &c. peccatorum Vadem, desperatorum Sequestrem, &c. & damnatorum deprecationem, maledictorum benedictionem!* O verè Diuinum Diuinæ Clementiæ Thronum, Virginem Beatam! ex quo Deus talia decernit iudicia.

6. *Porrò vnum est necessarium.* Interlinearis. *Deo iugiter inhærere.* Lyranus. *Id est, ipse Deus qui vnus est, & præ omnibus quærendus. Vel vnũ, id est, vnitas mentis ad Deũ, istud enim respicit vitã cõtemplatiuam, per quam mens hæret Deo, qui est simpli-*

ſimpliciter vnus. Hæ t mens Virginis Deo, quia & ipſe Deus inauertibilitèr ſeipſum fixit in Virgine. Hinc S.Th: à Villâ nou: Aquilæ comparat Virginem, ex irreuerberato Solis intuitu. *Ex quo enim* (ait ille conc: 4. de Aſſump:) *in clariſsimum Diuinitatis iubar, hæc Aquila perſpicax & ſublimis, oculos ſuos defixit, nunquam eos amplius ad terrena deflexit.* Hæc inauertibilitas Virginis à Deô, optimè arguit impeccabilitatem eius. 284 1. & 285. 4 5. 6. & ſeq.

7. *Maria optimam partem elegit.* S. Bonauentura in Luc: ad caput 10. *Iſtud autem Euangelium, conſueuit legi in Aſſump: B V M. quia finis eius, Mariæ optime congruit cùm dicitur, Maria optimam partem elegit. Quamuis enim hoc ad literam dictum fuerat de Mariâ Magdalene, Verius tamen eſt de B V. M. elegit enim optimam partem ſibi Maria, & in gratiâ, & in gloriâ.* Optimè notat S. Pater, elegiſſe Mariam partem: electio enim, ſupponit meritum. Chriſto enim, ex merâ liberalitate. 176. 24. & 220. 18. 19. Mariæ Virgini, ex meritis prouenit gratia. 248. 1.

PRO FESTO B. V. M. ad Niues.

1. *Beatus Venter qui te portauit.* Quid Feſtiuitatis hodiernæ myſterio, cum præſenti Euangelio? Templum iubente Deiparâ (vide Lect: Breuiarij) erigitur & ſacratur, & venter Deiparæ, ab Eccleſiâ beatus prædicatur. Quæ connexio Ventris & Templi? Recole illud in Officio B. V. poſt Natiuit. *Templum Dei factus eſt vterus.* Hinc D. Gregorius Thaumaturgus Ser: 3. de Annunt: *Aue animatum Dei Templum.* Reuerâ Templum auguſtiſſimum factus eſt Vterus Virginis, in quo Deus viuam, ſuimet increatam imaginem, miro artificio Spiritus S. elaboratam, collocauit, dum in eo, Verbum caro factum. Porrô vt dignè locaretur hæc increata imago Dei in hoc vteri Virginei Templo, prius in eâ creatam imaginem ſuam, nempè animam Virginis, effinxit magnificè, creando eam in ſuâ eſſentiâ lucidiſſimam. 239. 15. 16. quamquam id & de eius corpore dubitare nefas, cum ſecundùm vtramque ſubſtantiam, in inſtanti conceptionis ſuæ, tam perfectè ſit illuminata, vt ſtatim luminoſa euaſerit, ac euaſiſſet Adam in puncto ſuæ translationis in cælum. 235. 4. &c. Et ex hoc Deiparam, tàm quòad corpus, quàm quoad animam, fuiſſe Sponſam & Templum, vti veram & perfectiſſimam imaginem Dei, non ambigas 230. 26. & ſequ.

2. *Beatus Venter &c. & vbera &c.* Quid Virgini cum niue? Imò multum. Erat enim niue candidior, vt potè candidiſſimo & niueo lacte paſcens Saluatorem. Hinc dicebat Rupertus Abb: Lib: 3. in Cant. *Quid negas ô ſtulta mundi Sapientia, partum Virgineum? Deus naſcebatur: & quid item negas lac Virgineum? Deus paſcebatur. Non potuit Deus in ſalutem hominum corporaliter naſci, niſi partu Virgineo, nec decuit eum paſci, niſi lacte Virgineo. Nec minus habet miraculi pectus B. Virginis lacteſcens, quem Venter partu grandeſcenis. Propterea Filio Virginis, non tantum dictum eſt, Beatus Venter qui te portauit, ſed & adiunctum eſt. Et vbera quæ ſuxiſti.* Expende Verba Catholicâ cenſurâ digna: *Non potuit* &c. quis eius coarctauit potentiam? ipſa nimirùm ratio

tio seu modus Redemptionis humanæ. 170. 14. 15. 16. & 253. 17. Huc refer dicta in Festo Natiuit: B. V. n. 5. & in Fest: Annunt: n. 1.

3. *Beata Vbera, quæ suxisti.* Leo X. in Orat: post Diuinum Offic: *Beata Vbera quæ lactauerunt Christum Dominum.* Verè centies ac millies beata Vbera, ex quorum purissimo fructu, Diuina in Christo Homine coaluêre membra, sanguisq; concret⁹ sacratissimus. Ex his enim vberibus, Christus, lacte enutritus est Virgineo, vt in Cruce redimeret genus humanum, sanguine purpureo. *Suxit mammam* (ait D. Athanasius de Christo) *vt Diuinum illud lac nobis scaturiret, quod ex proprio latere profudit: nihil enim aliud est lac, nisi sanguis albus.* Non dubites proindè, B. Virginem Redemptricem nostram, ac passam pro nobis. 14. 12. non tamen eidem redemptionem denega, prima enim fructum salutis seu redemptionis hausit ex pignore. 253. 16. 17. 18. (hanc tu redemptionem Virginis, dic Vnitiuam. 252. 15.) quia plus obligabatur Christus ad redimendum Virginem Matrem, quam cæteros homines. 166. 13. 15.

4. *Beata Vbera quæ suxisti.* Prorsus Beata, quę summâ perfundebat lætitiâ, & Mariam Matrem lac præbentem, & Iesum infantem ex eis lac sugentem. Opportunè ait Aloysius Nouarinus in Vmbrâ Virg: num: 430. *Gaudio summo perfundebatur Virgo, Filium lactans, gaudiumq; augebat considerans, lac quod præbebat, in sanguinem vertendum, quem in generis humani salutem, esset suo tempore Filius effusurus; gaudium augebat, quia sciebat Virgo illud, lac quod Filius sugebat, purarum animarum delicias futurum: nam in Filij corpore, in carnem sanguinemq; erat vertendum, qui in Eucharistiæ Sacramento, animarum cibus potusq; fieri debebat.* Vides vtrumque deferre Virgineis Vberibus, seu potius lacti Virgineo, Nouarinum, & Redemptionis pretium, & Eucharisticum epulum. De pretio tactum supra, num: 3. præc: de Epulo Eucharistico. 172. 17. 18. & 231. 30.

5. *Beatus Venter &c.* Richardus à S. Laur: lib: 2. de Laud: Virg: parte 5. *Beatus Venter, & beata Vbera, quia ex eorum repræsentatione Christo in precibus, impetrat nobis beata hæc Mater absolutionem à culpâ, & benedictionem in gratiâ, & glorificationem in Patriâ.* Quid amplius expectas à Virgine? Absolui à culpâ, benedici in gratiâ, glorificari in Patriâ, supremum humanæ beatitudinis fastigium. Totum hoc per Mariam recipis, cuius vbera sibi olim dulcissimum cibum ministrantia, intuitus Filius, nihil suæ petitioni abnuere potest. Pientissimus in Virginem Suarius t. 2. in 3. p. D. Th: Disp: 23. lect: 2. ait. *Existimo, à B. Virgine in hac potestate & efficaciâ, non solum Sanctos singulos, sed omnem etiam cælestem curiam, superari.* Hinc iam non miraberis, totum etiam mundum, amore huius Virginis, post culpam primorum Parentum, ab interitu fuisse præseruatum, cùm ab æterno in mundi salutem fuerit prædestinata. 160. 18. per quam Deus Vniuersa dispensaret beneficia. 180. 32.

Pro hac Festiuitate recurre ad Festum Conceptionis B. V. à num: 8. & ad Festum Præsentationis, per totum.

FINIS.

AD BENE-

AD BENEVOLVM LECTOREM.



Iraberis forsan Lector Candide, *quod tam arduum, vt potè nouitatem redolens, opus aggrediamur: Opus inquam, natiuis mortalium viribus insuperabile. Intellectui creato imperscrutabile. Opus eleuatis mentibus impervium. Opus profundißimis mysterijs immersum. Illis mysterijs, quæ (Teste Aurei Oris oraculo) omni sermoni ineffabilia, omni Intelligentiæ producta, ignota fuêre, quæ nec primum illud Angelorum decus, Lucifer, valuit penetrare. Fauebis tamen, memor Instituti nostri, cuius partium est, à primo sui exordio, animos alumnorum suorum, ad promouenda huiusmodi negotia, pro modulo inclinare. Pro officio igitùr nostro, paritèr & pro Tua gratia,* optime Lector, *illa mysteria scrutanda aggredimur, quæ abditißimis immersa difficultatibus, ad altiora semper mentem nostram mouent, stimulant, impellunt. Illa, illa arcanorum sacraria, enodare contendimus, quæ indissolubili sacratorum dogmatũ nodo, colligata, profusis deificæ dexteræ liberalitatibus transplantata, Animas beant, animos recreant, corda nutriunt, spiritum dirigunt, integrum deniq; hominem, quantus qualisq; est, instaurant, roborant, perficiunt. Æstuabat tot ænigmatibus hactenùs delusa mortalium ratio, ad limen sacrarij huius, allidere sterilis ignorantiæ æstum, dùm natiuis relicta viribus, Terram & terrestria prensare nouerat, Cœlum & cœlestia penetrare non poterat. Nunc iam superno adiuta lumine, rumpit sigillata supremæ symmetriæ ænigmata, ac effractis importunæ desidiæ repagulis, connectit Parentem cum Prole, quædam de magnâ Matre, quædam de præcelso Filio, quædam deniq; de amplißimâ restaurati sæculi gloriâ,*

gloriâ

gloriâ VERBI *in Carne, gloriâ* MARIÆ *in ortu, indagare contendens. Nouit etenim, plenitudinem fontis redundare in canales, nec tamen proprium deserere alueum. Audet proindè, puritatem Filij transfundere in Matrem, vt dùm totum Corpus, de plenitudine Corporis participare fatetur, Matrem huius Capitis, derelictam esse aliquandò, aut modicè de plenissimo gratiarum fonte accepisse, nequaquam profiteatur. Nam quo pacto ipse* CHRISTVS, *omnigenam Adamicæ infectionis notam, euasisse proclamaretur, si ex Matre, labe originis aliquandò infectâ, & non alitèr ac quilibet nostrum, à tali labe releuatâ, conciperetur; cùm eadem formalitèr insit enormitas, instantaneæ ac temporali maculæ? Quo pacto* MARIA, *caput venenosi serpentis contriuisse diceretur, si æquè ac quispiam nostrum, sub ortu ipso, in potestatem eius caderet, & ab eo, labe mortiferâ inficeretur? Quo pacto, summâ sub* DEO *puritate nitere persuaderetur, si à communi toti Adamicæ propagini maculâ, non eximeretur? Quo pacto, infinitatem quandam præcellentem omnes creaturas, assecuta declararetur, si nec Angelicæ creaturæ, imò nec primis Parentibus, adæquaretur? Hæccine esset victoriæ palma, de hoste prostrato reportata: Cadere sub potestatem eius, & ab illo aliquandò prosterni: Hæccine esset summa puritas sub* DEO: *non plùs depurari, quàm quilibet infans, etiam Hebræus à fonte sacro leuatus? Hæccine esset infinitas præcellens: Adæquare solummodò ordinariam innocentiam cuiusuis Beati, quorum nullus ianuam cœli ingreditur, nisi à peccato originali & actuali depuretur: nec tamen assequi puritatem Angelicam, vel saltèm primorum Parentum, qui concreatam iustitiam originalem habuêre? Non esset certè, quo Mater* CHRISTI *de infernali dracone, repromissa spolia reportasse deprædicaretur, si ipsa ab eo, primæuâ innocentiæ stolâ, spoliaretur. Non esset, quo cæteris su-*

peremi-

peremineus creaturis decantaretur, si vel Angelicæ prærogatiuæ subjiceretur. Satius ergò iudicat subtilium schola, restitutam naturæ lapsæ, primam innocentiæ palmam, in VIRGINE *purissima encomiare, quàm institutam, cum ornamento Iustitiæ Originalis & gratiæ sanctificantis, demirari, vel certè eandem, per horrendum peccati monstrum, æquè in Matre Dei, ac in quolibet nostrũ, destitutam, vberrimè deplorare. Suspende igitùr mentem* Beneuole Lector. *Sub ipso namq; sacratæ sententiæ splendore laborantibus, sublimior affulget oculus. Defige potiùs religiosa lumina, in hoc prodigioso naturæ aut veriùs Gratiæ monumento. Contemplare vim immensam dexteræ Excelsi, in hoc opere relucentem. Admirare plenitudinem donorum à* CHRISTO FILIO *in* MATREM VIRGINEM, *descendentem. Vis ista, virtus est, virtus eximens, non perimens. Gratia, vita est, vita sanctificans, nunquam satians. Hac Tu, quisquis es, illuminatus à montibus æternis, exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera pietatis extende, non alia de hoc inculto licet & inconcinno opere, reportaturus pignora, nisi sacratissimi hujus mysterij cultum, Ecclesiæ militantis decus, Fidelium robur, Animi oblectamentum, Veritatis infallibile documentum.*



IN NO-

IN NOVVM,
ASSERENDÆ IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS DEIPARÆ VIRGINIS MODVM.

PROLOQVIVM.

CVm Ordo Fratrum Minorum, in ipſo ſui exordio, cultui Immaculatæ Conceptionis DEIPARÆ Virginis MARIÆ, à ſuo Seraphico Inſtitutore Beato FRANCISCO, mancipatus, ad hoc inter cætera inſtitutus eſſe videatur, vt eius alumni, ortui Immaculato tantæ VIRGINIS deuoti, ſuum omne ſtudium, omnemque operam, in eo elucidando & exornando, impenderent; audeo, & dico: hoc eſſe Ordinis noſtri Seraphici, qui ſua cunabula, deuotione in immaculatam VIRGINEM conſecrauit, peculiare munus, VIRGINEM hanc in ſuâ Conceptione Immaculatam, declarare, ortumque eius, immunem à labe Originalis noxæ, deuotiſſimè aſſerere. Teſtatur enim noſter Lucas Vadingus, Annalium Ordinis Minorum Tomo primo, Anno Domini 1219, & Religionis Seraphicæ duodecimo, Sanctum Patrem & Beatiſſimum Patriarcham noſtrum FRANCISCVM, primum Generale Capitulum, in quo quinque millia Fratrum qui conuenerant, cenſa, & quingenti intrà Ordinem recepti ſunt, Aſſiſij celebraſſe, ibidemque ipſo Seraphico Patre, in præſentiâ Cardinalis

dinalis Hugolini, Ordinis tùnc Protectoris, postea Papæ GREGORII IX, sic ordinante, primum pro toto Ordine statutum publicatum fuisse, vt omni Sabbatho, de Immaculatâ Conceptione VIRGINIS Gloriosæ, solemnitèr Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebraretur. Observavit hoc Ordo totus, & vsque nùnc observat inviolabilitèr. Et cùm contradictores, quibus noua hæc in ortum Immaculatum VIRGINIS pietas displicebat, non deessent, eis à principio in faciem restitit, Zelo planè invicto: quem in dies, licet in summâ illâ primævâ Ordinis simplicitate, magis magisque crescentem, proles immaculata immaculatæ Matris VIRGINIS, CHRISTVS IESVS, vnà cum eâdem, absque originali labe conceptâ, Sanctissimâ Genitrice suâ, promovisse visus est, dùm circà Annum ab Incarnatione 1300, dignatus est eum jungere scientiæ, quam miserat in animam purissimam IOANNIS DVNS SCOTI Doctoris Subtilis, cui & porrexit medium efficacissimum, quo à peccato originali immunem prorsus fuisse VIRGINEM DEIPARAM, toti Ecclesiæ, tùnc adhuc in re tanti momenti ambiguæ, persuaderet; imò posuit solidissimum illud, quod ab æterno DEVS posuerat in suo Diuino intellectu, etiam in mente eius, dono Numinis subtilissimâ, fundamentum, videlicet ipsummet CHRISTVM, quatenùs primogenitum omnis creaturæ, omniumque Prædestinatorum caput, qui adhuc per Incarnationem fuisset, quamvis Adam non peccasset, super quod hanc doctrinã, & efficacitèr ordiretur, & felicitèr perficeret, subtilissimus subtilium Scholæ antesignanus, & scholasticæ Theologiæ Princeps. Ex hoc enim facilè, imò efficacissimè deducitur, VIRGINEM tanti FILII Matrem, primò antè omnes alios à CHRISTO, à DEO electam; vimq; meritorum CHRISTI, in eam primò antè omnes Angelos & Homines, directam, descendisse: Sicq; esse Præelectam,

vt

vt Petrus Damiani Serm: de Annunciatione; Prærigatam vt Ioannes Damascenus Orat. 1. de Dormit. Virg. Humanæ salutis præuiam, vt Chrisologus Serm. 146. Redemptionis CHRISTI primiceriam, vt Georgius Venetus in suâ Harm: cant. 2. Primam quæ fructum salutis hausit ex pignore, vt D. Ambrosius super Lucæ cap. 1. in illud, Ecce ancilla Domini, asseruerunt. Suprà hoc igitùr fundamentum, & ego, vt potè indignus S. Francisci Filius, ac Subtilis Doctoris Scoti qualiscunq; Discipulus, nouum hunc asserendæ Immaculatæ conceptionis DEIparæ VIRGINIS modum, fundandum decreui, vt aliquid de penuriâ meâ, in Gazophilacium honoris tantæ VIRGINIS, post tot doctissimorum virorum, eam in suâ conceptione purissimâ, deuotissimè celebrantium, acumina, mittam. Nec operæ pretium duxi, longas disputationes texere, cùm iam fermè in immensum excreuerint, & passim in Authoribus sint obuiæ: sed solum resolutiones aliquas planè nouas, & fermè vix antè hoc, quod nunc viuimus, sæculum, auditas, dignitatem tamen naturæ humanæ, & maximè Deiparæ VIRGINIS, apprimè concernentes, oculis & ingenijs legentium, exhibere satago: vtq; nouum hoc suprà fundamentum, quod est secundum Apostolum, Homo CHRISTVS IESVS, felicitèr consurgat ædificium, in laudem eius, qui ædificauit sicut Vnicornis Sanctificium suum in terrâ, toto corde desidero: idq; assequuturum me, ope tantæ VIRGINIS confido. Paucis tamen pium Lectorem præmonitum esse volo, vt cùm aliqua difficilia Sacræ Scripturæ loca, à me novo interpretandi genere, reserata, & intento hujus tractatus accommodata, legerit, revocet in mentem aurea illa D. Augustini pronunciata, lib. 12. Confessionum, hâc in re mihi fauentia. *Cùm quis (ait ille) in Scripturis Sanctis id conatur sentire, quod in eis sensit ille qui scripsit; quid mali est si hoc sentiat, quod tu lux omnium*

veridi-

veridicarum mentium ostendis? Et rursus. *Cùm alius dixerit; hoc sensit Moyses quod ego, & alius, imò illud quod ego: religiosiùs me arbitror dicere; Cùr non vtrumque potius, si vtrumque verum est? & si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omninò aliud verum, quispiam in his verbis videt, cùr non illa omnia vidisse credatur, per quem* DEVS *vnus, Sacras Literas, vera & diversa visuris, multorum sensibus temperauit?* Et iterum. *Sensit Moyses omninò in his verbis. In principio creauit* DEVS *cœlum & terram &c. atque cogitauit cùm ea scriberet, quidquid hîc veri potuimus invenire, & quidquid nos non potuimus, aut nondùm possumus, & tamē in eis inueniri potest.* Hæc Diuus Augustinus. Quæ si lucido quis & benigno mentis intuitu pensauerit, & interpretationibus, si quas novas reperiet, favebit, & interpretantem accommodè, in ordine ad elucidanda dogmata fidei, benevolo prosequi fauore non dedignabitur. Quem ego favorem eò studiosiùs à pio Lectore ambio, quò renunciando Ethnicorum, licet passìm receptis sententijs, consultius esse duxi, sacræ Scripturæ & Doctoribus Ecclesiæ, in conscribendo hoc Opusculo, inhærere: à quibus vnusquisque doctus fidelis, dummodò velit, Spiritum & vitam haurire perquám abundè potest: Spiritum inquam veritatis, dummodò eum cum Ethnicorum dogmatibus non confundat. Ita enim jam usu receptum, magno veritatis dispendio, cernimus, quòd Sacræ Scripturæ & SS. Patrum eloquia, ad Philosophorum antiquorum argutias (vtinam non falsitates) accommodamus, & variè, ne dicam miserè, ea torquendo, in tantum ut vera acceptamus, in quantum Ethnicæ doctrinæ velint nolint, per nos conformentur. Per nos inquam: Per se enim, totalitèr & è diametro, sunt Ethnicorum sententijs opposita; quæ sententiæ nihil certè aliud sunt, nisi Sapientia hujus mundi, inimica DEO,

quam

quam tandem DEVS perdendam promisit, prout scriptum esse dicit Apostolus. 1. ad Corint. 1. *Perdam Sapientiam Sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Scio equidem, hoc meum Scriptum, in honorem VIRGINIS immaculatè conceptæ, & in dignitatem Naturæ humanæ, hactenùs inter Animalia ab Ethnicis computatæ, directum, apud Mundanâ & Ethnicâ Sapientiâ turgidos, stultum fore; Sed hæc non curo, dummodò id quod scripturus sum, sit quoque Stultum DEI: Si enim stultum DEI fuerit, sapientius hominibus erit, quia stulta elegit, vt confundat Sapientes, Fons Sapientiæ, Verbum DEI in excelsis. Interìm immensùm vsque veneror providentiam DEI, circâ columnam veritatis Ecclesiam; quam quia in Gentibus, reprobatâ jam Synagogâ, constituit, etiam de gentium dogmatibus, hactenùs tutandam & propugnandam, curavit: Hinc enim factum esse puto, vt cùm Gentilitas, post plurimos à CHRISTI incarnatione revolutos annos, in suorum Philosophorum argutijs, contra Ecclesiam erigeretur, Avicennâ Machometano, Averròe, alijsque pro Aristotele certantibus, ac simul Ecclesiæ fidem oppugnantibus; etiam Spiritus Sanctus, suscitauerit ex adverso Scholasticos Doctores, qui ex ipsismet istorum principijs, licet non vndequaque veris (vt in processu istius tractatûs, aliquâ ex parte patebit) fidei mysteria tutarentur, & suismet armis, Ethnicam profligarent perfidiam. Verè Magni Heròés, qui non dubitauerunt subtrahere Herculi, Paganicæ Philosophiæ clavam, Iovique Aristotelico fulmen, ac Mineruæ Lycææ lanceam, vt hæc tela in hostes ipsos Ecclesiæ, retorquerent; palamq; facerent orbi, quòd Fides nostra, quæ sperandarum Substantia rerum, & argumentum est non apparentium, habeat etiam testimonium ab his qui foris sunt, (nisi sibi ipsis velint contradicere, non consentiendo) Sapientibus huius

mundi.


mundi. Captiuatis itaque jam in Fidei obſequium Ethnicorum dogmatibus, non deeſt Eccleſiæ alius modus, elucidandi ſibi credita & reuelata à DEO myſteria, qui in Sacrâ Scripturâ à Spiritu Sancto, Patribus dictatâ, reconditus eſt. Cui ego pro poſse inhærere dum cupio, non poſtremum hoc Fidei noſtræ myſterium, de VIRGINIS DEIPARÆ immaculatâ Conceptione, quod naturam humanam conditam, lapſam, reſtauratamque, in VIRGINE, & FILIO VIRGINIS, apprimè concernit; elucidare aggredior. Currere verò, per tritam viam Præventionis VIRGINIS DEIPARÆ, per Gratiæ præſeruantis, in Animam eius, ſimul ac condebatur, & corpori organico vniebatur, infuſionem, (quod hactenùs pro vnico Aſylo in hâc enodandâ difficultate, à Doctoribus Scholaſticis habitum eſt) nolo; cùm jam alij feliciter hâc viâ proceſſerint, VIRGINEMque à labe originariâ, hoc medio ſufficienter vindicaverint. Quibus & ego facilè ſubſcribo, nec reprobare, aut in controuerſiam, tam pia aſſerta reuocare, præſumo. Certus ſum enim, viam hanc, ab aliquot jam centenis annorum, à columnâ veritatis, communi noſtrâ Matre Eccleſiâ, apprehenſam, ſuo in robore hucusq; inuiolabiliter permanere, & permanſuram in æuum, firmiter credo: nimirùm Animam puriſſimam VIRGINIS Beatæ, in primo inſtanti ſuæ creationis, & in corpus infuſionis, fuiſſe ab omni labe Adamicâ depuratam, & præveniente Spiritus Sancti operatione, in virtute Paſſionis CHRISTI Filij ſui futuri præuiſæ, præredemptam, ac omni gratiâ repletam, ita vt infectio venenoſi ſerpentis, nunquam in eâ locum habuerit, vt potè quam decens erat ſic præparari & adaptari in mundum Verbi incarnandi habitaculum, & per eam caput infernalis Draconis fælicitèr conteri: Iuxta verbum Omnipotentis Creatoris. *Ipſa conteret caput tuum.* Huic ergò tam piæ ſententiæ, & tam

effica-

efficaci medio, quod diuinitùs esse reuelatum, nostro pientissimo Doctori & subtilissimo Magistro Ioanni Dvns Scoto, non dubito, vti defensori & vindici mirifico illibati ortus Virginei, facilè subscribo. Et eò fortiùs stringor ad inhærendum huic medio, quò validius ei inhærere Ecclesiam Sanctam intueor. Nam in omnibus planè Bullis & Decretis ipsius, in fauorem piæ sententiæ nostræ, & festi, ac cultus, super eam exhibiti vel exhibendi, hoc medium præfertur; vti videre est in tenore omnium. Teneo igitùr communem hanc, non tam Scholæ nostræ, quam vix non jam totius Ecclesiæ, sententiam, nec contra eam quidpiam afferre intendo. Tamen saluâ hac, dicam aliquid (verba sunt Sancti Ildephonsi, proponentis quidpiam magnum de DEIPARA dicere.) *Dicam* (inquam) *aliquid, plùs si audeo, dicam fideli præsumptione, dicam pia temeritate, vt sacratiore tegmine velata, gratiosiùs luceant, cùm potuerint reuelari.* Perpulit me in hunc ausum, D. Hieronymi Lib. 2. Apolog. contra Rufinum quærela, & indignatio contra eos, qui à nouis è Scripturâ eruendis sensibus ac mysterijs, consultò abstinent, & veteri explicatu contenti, torpent desides. Quos ibi ita carpit. *Cùm* (inquit) *nouas sempèr expetant voluptates, & gulæ eorum vicina maria non sufficiant, cùr in solo studio scripturarum, veteri sapore contenti sunt?* Nouandum ergò mihi novale; juxtà Verbum Domini, Ierem: 4. & veritas in Scripturâ non expressa, latens tàmen, eruenda. *Tantòq;* (ex monito D. Augustini Tom. 9. Hom: de Assump. B. M. V.) *quæ magna existunt, cautiùs tractanda, quantò specialibus Testimonijs, non possunt ad liquidum roborari.* Nec sum nescius, *Novitatem* (vt monuit D. Bernard: Ep. 174.) *Matrem esse temeritatis, sororem superstitionis, filiam leuitatis*; Eumque à D. Augustino Lib: de Vtilit: credendi, inter hæreticos censeri, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ,

princi-

principatusq; sui gratiâ, novas Opiniones vel gignit, vel sequitur. Proindè renuntio omni commodo, omnique gloriæ; solumq; honorem Matris VIRGINIS, & FILII eius, præ oculis habeo. Nihilque aliud intendo, nisi ut intelligatur me exponente illustriùs, quod anteà obscuriùs credebatur. Profectò valeant novitates ex levitate vel arrogantiâ natæ. Mihi ego deposco sedium DEI assistricem Sapientiam, ut Virginis DEIPARÆ favore, mecum sit, & mecum laboret; quâ aspirante, etsi dicam novè, non tamen nova; ut ita de thesauro veritatis, proferam simul nova & vetera. Interìm, ne titulum novitatis aspernetur devotus in Deiparam Lector, humilitèr rogo. Si enim solâ antiquitate Doctrinæ niteretur veritas, noua nulla, quæ tamen diuersis sæculis in Ecclesiâ inuenta, receptaque sunt, imò nec hanc ipsam de Immaculatâ Conceptione Deiparæ VIRGINIS, quæ antè annum 1219. noua fuit, haberemus doctrinam. Ast non omninò nouum hoc dixeris, quod à sanctis Patribus & Ecclesiæ Doctoribus, vt præfert titulus Opusculo huic præfixus, insinuatum est; prout in sequentibus apparebit. Quæ ego, cum omni quâ par est submissione, pedibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, columnæ veritatis, quæ errare non potest, libentèr vnâ mecum, subijcio, & alacri animo isti operi accingor.





DECAS

DECAS

PRIMA.



Ouitas quam docere intendo in ſequētibus Reſolutionibus, nouitatem omninò requirit in Principiis: aliàs rueret totum de nouo ſtructum ædificium, ſi illi ſolidum non præmitteretur aut ſubſterneretur fundamentum. Partem ergò hanc primam huius Opuſculi, in fundamentum totius futuræ ſtructuræ deſtinandam cenſui; cui deindè ſequens doctrina, parte ſecundâ & tertiâ tradenda, Deo dante, & Matre VIRGINE fauente, ſuperædificetur. Modò Pars hæc conſtabit decem Reſolutionibus.



RESOLVTIO PRIMA.

CHRISTVS ET VIRGO MARIA Mater eius, in Præuisione & Prædestinatione Dei, Primi & Simultanei.

1. PRæmitto hîc verba Diui Pauli Apostoli, ad Collossenses Primo posita, vbi loquens de PATRE ÆTERNO, sic habet. *Transtulit nos in Regnum Filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum. Qui est Imago DEI inuisibilis, Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terrâ, visibilia & inuisibilia, siuè Throni, siuè Dominationes, siuè Principatus, siuè Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est antè omnes, & omnia in ipso constant: & ipse est caput Corporis Ecclesiæ, qui est Principium, Primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens; Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia: in ipso pacificans per Sanguinem crucis eius, siuè quæ in cælis, siuè quæ in terris sunt.* Hæc Apostolus.

2. Jn quibus verbis, fundatam audiamus de CHRISTO & Incarnatione eius, Venerabilis Serui DEI IOANNIS DVNS SCOTI DOCTORIS SVBTILIS Sententiam, in 3. Dist: 19. Quæst: vnicâ, Art. 1. §. Quantùm ad Primum, &c. *Dico: quòd Incarnatio CHRISTI, non fuit occasionalitèr præuisa, sed sicut finis immediatè præuidebatur à DEO ab æterno, ita CHRISTVS in naturâ humanâ, cùm sit propinquior fini, cæteris prius prædestinabatur, loquendo de his qui prædestinantur. Tunc iste fuit ordo in præuisione Diuinâ. Primò enim DEVS intellexit se sub ratione summi boni. In secundo signo, intellexit omnes alias creaturas. In tertio signo, prædestinauit hos ad gloriam & gratiam, & circa alios habuit actum negatiuum, non prædestinando. In quarto, præuidit illos casuros in Adam. In quinto, præordinauit siuè prouidit de remedio, quo redimerentur per Passionem Filij, ita quòd CHRISTVS in carne, sicut & omnes electi, priùs præuidebatur & prædestinabatur ad gratiam & gloriam, quàm præuideretur Passio CHRISTI, vt medicina contra lapsum; Sicut medicus prius vult sanitatem hominis, quam ordinet de medicinâ ad sanandum. Sicut autem priùs prædestinantur Electi, quàm passio CHRISTI præuideatur vt remedium contra lapsum eorum, ita tota TRINITAS præuidit CHRISTI Passionem, tanquam medicinam acceptandam pro Electis cadentibus in Adam, priùs prædestinatis ad Gloriam finalem. Et sicut VERBVM præuidit Passionem PATRI offerendam pro Prædestinatis & Electis: sic eam efficacitèr obtulit in effectu, & tota TRINITAS pro eis Passionem efficacitèr acceptauit, & pro nullis alijs fuit efficacitèr oblata, nec ab æterno acceptata: Et meruit eis primam gratiam, ordinantem ad Gloriam consumma-*

summatam. Hæc Doctor Subtilis. Quæ verba eius vt clariùs percipiantur, ea sic de mente omnium Scotistarum expono; præcipuè quoad ordinem præuisionis & prædestinationis Diuinæ, quem hîc assignauit Doctor. Inquit ergò ille. Quòd DEVS primò intellexit se sub ratione Summi Boni, & voluit atq; dilexit Essentiam suam amore infinito, & necessario: sicut & ipsa Essentia est amore infinito amabilis, & necessario. In secundo signo, intellexit omnes alias creaturas, notitiâ naturali, seù simplicis intelligentiæ, non verò liberâ, seù Visionis. Quia si in isto signo intellexisset notitiâ Visionis & liberâ ipsas creaturas, cùm hæc præsupponat Decretum efficax Diuinæ Voluntatis, iam Esau & Saul, & reliqui reprobi, forent infallibilitèr nati, etiam durante Statu Innocentiæ, quod tamen est falsum in Doctrinâ nostrâ. Intellexit ergò in secundo signo omnes creaturas vt possibiles, antè actum Diuinæ Voluntatis determinantis illas ad esse in rerum naturâ. In tertio signo, efficacitèr elegit quos voluit ad Beatitudinem; inter quos CHRISTVS cum Beatâ VIRGINE fuit principalitèr electus, circa alios verò nullum habuit actum positiuum, sed merè negatiuè se habuit circâ illos, non eligendo ad Gloriam, nec respuendo ab illâ. In quarto, prædestinatos ad Gloriam, prædestinauit ad gratiam, & ad merita, quibus infallibilitèr vitam æternam assequantur, circa alios verò nullum habuit actum positiuum, dandi vel non dandi gratiam & merita. In istis ergò duobus signis, scilicet tertio & quarto, nulla fuit præuisio de peccato vel de pœnâ, nam in istis nullum habuit actum positiuum circâ reprobos, sed fuit tantùm præuisio & electio Gloriæ, & eorum qui ordinabantur ad Gloriam. In quinto signo, voluit permittere Adam casurum in peccatum. In sexto, de remedio prouidit quo redimerentur electi, scilicet voluit eundemmet CHRISTVM, quem iam efficacitèr in tertio signo elegerat ad Gloriam summam, venire in carne passibili & mortali, qui pro hominibus satisfaceret, & offerret Passionem suam, efficacitèr tamen, non nisi pro solis electis, quos voluit perducere ad vitam æternam, non solùm per sufficientia, sed etiam per efficacia auxilia: reliquos verò præuidit finalitèr peccaturos, & vt tales actu suæ Voluntatis reprobauit, & pœnæ æternæ addixit. Hæc est series sententiæ Doctoris Subtilis.

3. Ex quâ Infero primò. Incarnationem CHRISTI, per se esse à DEO præuisam, & non occasione peccati Adæ; ita quòd fuisset in effectu, quamuis Adam non peccasset. Conuincunt hoc manifestè verba Apostoli præsupposita, & maximè cùm CHRISTVM vocat Primogenitum omnis creaturæ. Procedunt enim hæc verba de CHRISTO vt Homine, non verò de CHRISTO vt DEO; prout aliqui intellexerunt, quos redarguit Concilium Ephesinum Tract. 1. Cap. 4. & 5. Et Sardicense Epist. ad omnes Episcopos; vbi ly Primogenitum, exponit de CHRISTO Homine, ly verò Vnigenitum, de Christo DEO, ita quod Christus quâ DEVS, vocetur Vnigenitus, & quâ Homo, Primogenitus. Sed & Concilium Tridentinum id ipsum innuit, dum de Iustificatione tractans Sess. 6. Cap. 7.

aît. *Huius Iustificationis causæ sunt; Finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna; Efficiens verò, Misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat.* Vbi apertè pro nobis stare videtur Concilium, dum finem iustificationis nostræ, in gloriam Dei & Christi refundit, clarè innuens, Christum non solum Redemptorem nostrum, sed etiam Glorificatorem extitisse, quorum duorum cùm non sit connexio essentialis, nam potuit homo glorificari absq; omni lapsu, consequentèr absq; indigentiâ redemptionis, ideò vnum sine altero fieri potuit, igitur Christus, stante Innocentiæ statu, adhuc fuisset incarnatus vt Glorificator. Conuincunt hoc etiam multa Sacræ Scripturæ & SS. Patrum loca. Nam Luc: 1. dicit Zacharias. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.* Vbi prius dicitur, Visitauit, posterius, Fecit redemptionem. Similiter 1mâ ad Corinth: 4. *Ex ipso autem vos estis in Christo IESV, qui factus est nobis Sapientia à Deo, & Iustificatio, & Sanctificatio, & Redemptio.* Vbi etiam Redemptio, vltimum locum tenet, primum verò, Sapientia, Iustificatio, & Sanctificatio. Et ibidem cap: 2. *Loquimur Sapientiam, quæ in mysterio abscondita est, quam prædestinauit Deus antè sæcula in gloriam nostram.* Vbi finis Incarnationis, ponitur absolutè, Glorificatio nostra. Et in Symbolo tum Nicænæ, tum Constantinopolitanæ Synodus, quod in facie vniuersalis Ecclesiæ decantari consueuit, dicitur. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Vbi etiam canitur prius, Propter nos, deindè, Propter nostram salutem, vt manifestetur per prius intentam fuisse Incarnationem Verbi in gloriam & beatitudinem nostram, per posterius verò, in redemptionem. Hoc etiam ipse Christus in carne aperuit nobis, dum alloquens Patrem æternum, aiebat Ioan: 7. *Ego te clarificaui, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam.* Cuius quidem clarificationis Paternæ, & operis consummati modum explicans, subdidit. *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Ex quo constat, Incarnationem Christi principalius fuisse intentam ad manifestandam Trinitatem Personarum, & Attributa Diuina, quam ad delenda peccata. Cuius quidem stante inuariabili decreto, quantum ad essentiam, variatus est modus, labente homine in peccatum, ita quod illa eadem Incarnatio Verbi, quæ ordinabatur in gloriam nostram, pro statu Innocentiæ, facta est in redemptionem hominis peccatoris, pro statu peccati. Si autem aliquæ authoritates in oppositum adducantur; Illæ omnes vnico fundamentali resoluuntur medio. Quia nimirùm procedunt de Incarnatione Christi in carne passibili, & supponendo lapsum Adæ, qualitèr de facto incarnatum est Verbum, nos verò loquimur de Incarnatione Christi in carne gloriosâ, & supponendo Innocentiæ statum, qualitèr incarnari debebat Verbum, stante Iustitiâ Originali, ita quod modo, Peccatum sit quidem motiuum principale & totale redemptionis, non verò Incarnationis, quæ antè præuisionem peccati, fuerat intenta in gloriam nostram, quantum ad Essentiam suam. Idem conuincunt rationes Doctoris Subtilis, Dist: 7. Lib: 3. Quæst: 3. & aliis pluribus in locis. Tum quia Prædestinatio electorum ad gloriam, quan-

tum est ex parte obiecti, naturalitèr præcessit præscientiam peccati, vel damnationis, sicut & meriti vel salutis æternæ. Nam ordinatè volens, prius vult finem, deindè media ordinata ad finem; Ergò natura assumenda à Verbo, per prius fuit prædestinata ad gloriam, quam ad peccatum, gratiam, & merita. Tum quia gloria Animarum redemptarum, non est tantum bonum, quantum est gloria Animæ Christi; Ergò non tam propter nostram redemptionem, quam propter suam gloriam, Verbum incarnari debebat. Tum quia sicut se habet Ens ad Ens, ita bonum ad bonum, Sed non potest dici quod Ens creatum perfectius, sit creatum propter Ens imperfectius; Nam durum est dicere, Hominem esse creatum propter muscam; Ergò etiam non potest dici, quod bonum perfectius, ordinatum sit propter bonum imperfectius; consequentèr, non potest dici, gloriam Animæ Christi, quæ est bonum incomparabilitèr excedens gloriam omnium electorum, magis ordinatam esse propter gloriam nostram, quam potius propter gloriam suam. Tum quia stante opposito huius, iam Voluntas Diuina dependeret in prædestinatione Animæ Christi, & omnium electorum ad gloriam, à peccato Adæ; si enim Adam non peccasset, Christus non fuisset prædestinatus ad gloriam, quia nec incarnaretur, & sic nec esset prædestinatorum caput; consequentèr tota ratio prædestinationis rueret, quia non in gratuitâ DEI præordinatione, sed in releuatione hominis à peccato consisteret, quod est inconueniens. Tum deniq;, quia peccatum Adæ daret magnam occasionem gaudii Animæ Christi, ex quo non per se, sed solum per occasionem peccati, creata, & glorificata esset, cùm tota ratio Incarnationis Verbi, à peccato Adamico dependeat, ex hyppothesi. Non desunt & aliæ, quam plurimæ rationes validissimæ, quas à Scotistis alijs me doctioribus explanatas, & ab Aduersariorum telis vindicatas, videat pius lector apud ipsos in Commentarijs super præfata loca.

4 Infero secundò. Quod Incarnatio Christi, ideò adhuc fuisset quamuis Adam non peccasset, vt, CHRISTVS præiret tanquam caput omnibus Prædestinatis Angelis & hominibus. Hoc manifestè docet Apostolus illis verbis. *Vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* Et ad Rom. 8. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Docet etiam & D. Augustinus Lib. de Prædest: Sanctorum cap. 15. inquiens. *Sicut Prædestinatus est ille vnus* CHRISTVS, *vt caput nostrum, ita multi Prædestinati sumus, vt membra eius essemus.* Hoc & alij SS. Patres asserunt, dùm CHRISTVM, nedùm Hominum sed & Angelorum Saluatorem prædicant. Inter quos D. Bernard. Serm. 1. de Circumcis: *Idem quippè* (ait) *& Angeli Saluator & hominis, sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* D. etiam Gregorius Homil. 21. in Evang: CHRISTI Resurrectionem etiàm ad Angelos spectare asserit. Et multi alij ex Sanctis Doctoribus.

5. Infero tertiò. Prædestinationem Humanitatis CHRISTI, esse præstantiorem & priorem prædestinatione omnium Sanctorum, tàm Hominum, quàm Angelorum; ità quòd Natura Humana CHRISTI, præcedat in Præ-

destinatione DEI omnes prædestinatos dignitate & prioritate. Hoc vult Apostolus cum ait. *Ipse est antè omnes, & omnia in ipso constant.* D. etiam Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. 15. idem innuit inquiens. *Prædestinata est natura humana, & tam excelsâ euectione eleuata, vt quo collocaretur vlteriùs non haberet.* Concilium etiam Hispalense cap. 13. ita resoluit. *Sic religiosè dicendum est, & reuerentèr audiendum, quòd propter hunc Hominem, scilicet CHRISTVM, gloriâ & honore coronandum, DEVS creauit omnia, & propter quendam Hominem, Angelos fuisse creatos.* Idem sentit Rupertus lib. 3. in Matthæum, de gloriâ & honore Filij hominis; & lib: de Gloriâ Trinitatis, & Spiritûs Sancti, cap. 19. 20. & 21. Imò, ad Hebræos 1. Apostolus hoc asserit, dùm CHRISTVM præfert Angelis, illis verbis. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit.* Quæ verba ne intelligas de Diuinitate CHRISTI, prohibet Verbum ly EFFECTVS, prout Glossa ordinaria in hunc locum adnotauit, dicens. *De eo ergò* (id est de CHRISTO) *sermo versatur secundùm humanam naturam, secundùm quam, & minor fuit Angelis passione, & maior & melior etiam gratiæ plenitudine, de qua & ipsi Angeli ad mensuram accipiunt.* Hoc & S. Athanasius lib: de Salutari Adventu CHRISTI docet, inquiens. *Neutiquam creator ille Angelorum, qui Verbum Dei est, præstantior factus est, quasi qui inferior fuisset, sed vt formam serui in se receptam, præstantiorem Angelis, & omnibus rebus creatis ostenderet.* Hoc tandem & Ipse DOCTOR SVBTILIS clarè vult, dum in 3. Distin. 7. Quæst. 3. Dub. 1. docet. Gloriam & Beatitudinem Animæ CHRISTI, esse maius bonum quàm sit beatitudo aliarum omnium Animarum redimendarum. Verba ipsius affero. *Non propter solam istam causam,* (scilicet propter Redemptionem Generis humani) *videtur DEVS prædestinasse illam Animam ad tantam gloriam, cùm ista redemptio siuè Gloria animæ redimendæ, non sit tantum bonum, quantum est ista gloria Animæ CHRISTI.* Quod & de gloriâ Angelorum comparatâ ad Gloriam Animæ CHRISTI, idem videtur sensisse, ob paritatem hinc indè. Ergò prædestinatio Animæ CHRISTI est præstantior, dignior, & prior prædestinatione aliorum quorumcunque, Angelorum & Hominum.

6. INFERO QVARTÒ. Quòd quia CHRISTVS primus inter Prædestinatos oblatus est DEO prædestinanti, ideò est causa nostræ prædestinationis, Exemplaris, Finalis, & Efficiens. DECLARANTVR SINGVLA. Est causa Exemplaris. Quia cùm primum in vnoquoque genere, sit metrum & mensura aliorum illius generis, & CHRISTVS sit tale primum in Prædestinatione, vtique est metrum, & consequentèr Exemplar prædestinationis, tàm hominum, quàm Angelorum. Est causa Finalis. Quia in eius gloriam omnes alij prædestinabantur, vt ita sit ipse primogenitus in multis fratribus, sitque antè omnes, & omnia in ipso constent. Est denique causa Efficiens, intellige moralis seu meritoria. Quia merita CHRISTI, vt intellectui Diuino objciebantur ab æterno, possunt considerari duobus modis. Vel quatenus procedere debuerunt à CHRISTO

ſi veniſſet Adamo non peccante: Qualia merita fuiſſent actus Virtutum variarum. Vel quatenùs procedere debuerunt, prout & defacto proceſſerũt ab eo, in quantum ordinatus eſt ad reſtaurandum lapſum Adæ, venturus in carne paſſibili. Priora itaque merita fuiſſe cauſam Efficientem noſtræ prædeſtinationis, multi Theologi ſuſtinent, imò & Apoſtolus innuit, ad Eph. 1. dicens. *Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti.* Poſteriora verò non; Quia prædeſtinatio noſtra ſicut & Angelorum, independentèr fuit ab Adæ lapſu, & conſequentèr à meritis CHRISTI, ſubleuantibus Adamum. Explicantur iſta clariùs. Quia DEVS, (vt conſtat ex ordine ſignorum à Doct. Subtili aſſignatorum,) primò omnium & omninò antè præuiſionem peccati, voluit Gloriam CHRISTI, & ad hanc ordinauit vnionem Verbi cum naturâ humanâ, idque ob ſuam gloriam & bonitatem manifeſtandam. Deindè ex amore vitæ excellentis CHRISTI, qualem præuidit & voluit futuram, motus eſt ad creandum Angelos & homines, vbi primam poſt CHRISTVM voluit VIRGINEM MATREM CHRISTI, ita quòd vnio Verbi in intentione DEI, anteceſſit etiam ipſum naturale eſſe Angelorum & Hominum, & conſequentèr prædeſtinationem illorum in mente DEI. Sicque CHRISTVS in illo priori, eſt cauſa Prædeſtinationis omnium, Exemplaris, Finalis, & Efficiens. Quòd eſt propoſitum. At poſtquam præuidit Genus humanum aſtu dæmonis in Adam caſurum, tunc eodem illo amore, quo CHRISTVM dilexit, permotus ad reſtaurandum genus humanum corruptum, ſtatuit eandem Incarnationem tali iam modo in executione futuram, quo Diabolus euerteretur, & homo lapſus erigeretur; in quo ſanè habuit DEVS reſpectum (vt jam dixi) ad vitam excellentem CHRISTI, & merita eius, ita quòd voluerit ſaluare homines prædeſtinatos efficacitèr per CHRISTVM, tanquam per medium. Atque ita CHRISTVS eſt cauſa prædeſtinationis noſtræ, per merita conſequentia præuiſionem Incarnationis, non verò per merita conſequentia prædeſtinationem electorum.

7. INFERO QVINTO. Ex vi ſuæ prædeſtinationis, CHRISTVS eſt finis omnium creaturarum, & Caput omnium prædeſtinatorum, etiamſi illæ & iſti præciſè in ordine naturali conſiderentur. Vrgent hoc verba Apoſtoli. *Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa, in cælis, & in terra.* Audeo enim ex illis inferre. Quòd non eſſent res creatæ, quæ modo extant, niſi CHRISTVS prædeſtinatus fuiſſet. Aduerte tamen pie Lector, hoc illatum non ita eſſe intelligendum, quaſi requireretur CHRISTI exiſtentia actualis, per executionem Incarnationis, ad hoc vt eſſet finis Creaturarum, & Caput prædeſtinatorum. Hoc enim eſt falſum. Sed benè requirebatur præſentia illius vt Incarnandi, in mente DEI, quia hæc ſola ſufficiebat ad hoc, vt CHRISTVS vt ſic, eſſet verum caput Angelorum & hominum, ac finis creaturarum; nam vita eius excellens, & virtus meritorum, quatenùs à DEO præuiſa, influebat tunc in Angelos & Homines, ac cuncta creabilia, quæ ſufficiebat ad hoc, vt à CHRISTO omnia dependerent tàm in ordine na-

turali, quàm in ordine ſupernaturali. Sic declarata iſta doctrina, non latuit etiam Judæos antè aduentum CHRISTI in carnem, viuentes. Citat enim Salazar Tract: de Jmmaculatâ Conceptione B. M. V. Rabbi Haccados, qui antè Jncarnationem aliquot ſæculis floruit, in illa verba Hieremiæ 33. *Si irritum fieri poteſt pactum meum cum die, &c.* ſic inquientem. *Niſi pactum meum eſſet, id eſt, ſi amore mei, IESV & MARIÆ, diem & noctem, leges cælo & terræ non poſuiſſem, id eſt, mundum minimè creaſſem.* Et Rabbi Hankelos in Gloſsâ Chaldaicâ, ſupèr illud: Gen. 1. *In principio creauit, &c.* ſic ſcribentem. *Creauit Deus hunc mundum amore Meſſiæ Filij ſui, cui in Diuinis Sapientia tribuitur.* Et ſi hoc Rabbinis Judæorum conſtitit; non video cùr Catholici negare debeant. Præſertim cùm Apoſtolus 1. ad Cor. 3. eiuſdem videatur eſſe ſententiæ, cùm inquit. *Omnia veſtra ſunt, vos autem* CHRISTI, CHRISTVS *autem* DEI. Ex quibus verbis, colligunt Theologi; DEVM totius Vniuerſi Creationem & Gubernationem ordinaſſe, in gloriam electorum, ita quòd & produxerit Vniuerſum ad eſſe, & ſtare illud ordinauerit in ſe, tam diù quouſque numerus electorum impleatur; quo impleto, mundus diſſoluetur; Ergò cùm omnes electi ſint CHRISTI, ſi propter electos omnia ſunt volita, multò magis propter CHRISTVM, qui eſt caput electorum. Vt iſte ſit ſenſus verborum Apoſtoli. Prius DEVS intellexit & voluit gloriam CHRISTI, & Jncarnationem Verbi, & propter CHRISTVM voluit gloriam electorum, & eſſe eorum, vt potè membrorum CHRISTI, & tum demùm voluit creationem & gubernationem Vniuerſi: cùm finis ad quem ordinantur alia, primò intendatur ab agente, quàm omnia alia, qualitercunque deſeruientia ad obtinendum finem. Quod & Ethnicum Philoſophum Ariſtotelem non latuit aliquâ ex parte, qui ſub finem 2. Phyſ: dixit. *Nos eſſe quodammodò finem omnium creaturarum.* Ergò à fortiori, cùm nos ſimus CHRISTI, CHRISTVS eſt finis & noſtri, & omnium creaturarum. Præterea. Eccleſia fuiſſet, etiamſi Adam non peccaſſet, Ergò habuiſſet caput idemmet quod modò habet; membra enim ſinè capite eſſe non congruit; Sed non aliud niſi CHRISTVM, Ergò CHRISTVS ex vi prædeſtinationis, caput eſt Eccleſiæ, ac conſequentèr omnium prædeſtinatorum. Hæc de CHRISTO.

8. Nunc ad Beatam MARIAM VIRGINEM eius Genitricem accedendo, ex his quæ de Chriſto reſoluta ſunt.

Jnfero Primò. VIRGINEM Deiparam, etiam antè omnes creaturas eſſe præuiſam, & antè omnes Prædeſtinatos Angelos & Homines, eſſe prædeſtinatam. Docet hanc Theſin ipſa Sacra Scriptura. Dicitur enim Eccl: 24. de Virgine, quòd ſit *Primogenita antè omnem creaturam.* Quia licet hæc verba de Sapientiâ increatâ ibi enuncientur, Eccleſia tamen, & SS. Patres, ea Virgini paſſim accomodant; Sicut & illa ibidem. *Ab initio & antè ſæcula creata ſum.* Et illa. *Prior omnium creata eſt Sapientia.* Eccl: 1. Rabbi quoque Hankelos citatus à Salazar, vbi ſuprà, intelligit Virginem Matrem Meſſiæ, dum ly *In principio creauit DEVS cælum & terram,* ſic exſcri-

exſcribit. *Propter ſapientiam, hoc eſt amore intemeratæ Virginis, quæ eſt mundi ſapientia, creauit DEVS hunc mundum.* Docent & SS. Patres. Quorum primus S. Ioannes Damaſcenus, Orat. 1. de Nat. B. M. V. *Per Mariam, naturam omnem Creator interiectæ humanitatis beneficio commutauit, & innouauit.* Et paucis interiectis, dat dicti ſui rationem, inquiens. *Propterea enim omnes omnium creaturarum perfectiones, in vnam illam collegit, vt ab illâ humanitatem aſſumens, in quâ erat omnium creaturarum compendium, omnes ſibi DEVS arctiſſimè ſociaret, & cum omnibus cognationem contraheret, vt eâ ratione omnes nobilitaret, & priſtinæ dignitati reſtitueret.* Secundus eſt Petrus Damiani, ſic de Virgine fatus. *In ipsâ, & cum ipsâ, & per ipsam, totum faciendum decernitur.* Tertius eſt S. Ephrem Syrus. *Nullâ* (inquit) *compenſatione omnibus ſuperis exercitibus eſt glorioſior.* Quartus eſt S. Chryſoſtomus. *Attende* (ait) *Seraphim, & videbis, quidquid maius eſt, minus VIRGINE eſt, incomprehenſibilitèr enim glorioſior eſt, quàm Seraphim.* Quintus eſt S. Anſelmus, lib. de Conceptu Virg: cap. 18. *Nihil tibi Domina eſt æquale, nihil comparabile, omne enim quod eſt, aut ſupra te eſt, aut infra te eſt; Quod ſupra te eſt, ſolus DEVS eſt; quod infra te eſt, omne quod DEVS non eſt.* Sextus eſt Andreas Cretenſis, inquiens. *Excepto ſolo DEO, eſt omnibus altior.* Septimus eſt D. Bernardus Serm. 3. ſuper Salve Regina. *De hâc, & ob hanc, & propter hanc, Scriptura facta eſt, propter hanc totus mundus factus eſt.* Octavus eſt Andreas Hieroſolymitanus Serm. 2. de Annunciatione. *VIRGO* (inquit) *eſt prima natura, proximè accedens ad DEVM opificem omnium generationum.* Ex quibus omnibus habetur; Quòd cùm B. VIRGO excellentiâ & dignitate omnia creata excedat, etiam prævisio & prædeſtinatio eius, præuiſionem & prædeſtinationem omnium electorum, Angelorum & Hominum anteceſſit. Et ſi vis clariora pro hoc teſtimonia Sanctorum, ea libenter do tibi. Primum eſt D. Petri Chryſologi Serm. 146. vbi alludens ad Mariam ſororem Moyſis præcedentem populum DEI cum Cantico, ſic inquit. *Et vt ſemper MARIA humanæ præuia ſit ſalutis, populum quem vnda regeneratrix emiſit in lucem, ipſa iure præceſſit in Cantico.* Secundum eſt S. Ildefonſi, Serm. 1. de Aſſumpt. *Maria vna eſt ex numero prudentium, prima omnium inter primos, quæ vadit poſt Agnum proxima, quocunq; ierit.* Tertium D. Damaſceni Orat. 1. de dormit. Virg. *Pater eam prædeſtinauit, Spiritus prærigauit, Filius demum in eâ commoratus eſt.* Quartum, Idiotæ in contemplatione Virg. vbi ſic exclamat! *O benedicta, prabenedicta, & poſt benedicta.* Quintum, D. Petri Damiani Serm. de Annunciatione. *A Deo electam & præelectam, totam rapuit ſibi Spiritus Sanctus.* Et Serm. de Natiuit. B. M. *Hæc beatiſſima VIRGO, antè conſtitutionem mundi, in conſilio æternæ ſapientiæ electa & præelecta.* Sextum, D. Bernardini Senenſis, Serm. 51. cap. 1. ſic VIRGINEM alloquentis: *Tu antè omnem creaturam in mente DEI prædeſtinata fuiſti, vt DEVM ipſum hominem procreares.* Septimum D. Gregorii Magni in caput ſecundum l. 1. Reg. *Mons fuit MARIA, quæ omnem electæ creaturæ dignitatem tranſcendit.* Octauum D. Gregorii

gorii Nyſſeni in illud Pſalm. 44. *Omnis gloria eius Filiæ Regis ab intùs.* Vbi ly ab intus, vertit in ly cogitationum; vt ſit ſenſus. Filiæ Regis cogitationum. Tunc ego quæro. Quæ ſunt iſtæ Regis cogitationes, quarum VIRGO eſt Filia? nonne decreta & prædefinitiones DEI, quas DEVS ab æterno tulit, pro Sanctis ad gratiam & gloriam prædeſtinandis? Harum ergò cogitationum Regis æterni, eſt Filia primogenita VIRGO DEI Genitrix, prout ipſa gloriatur, Prouerb. 8. dicens. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, vel vt LXX. legunt. *Dominus creauit me initium viarum ſuarum ad opera ſua.* Nonum tandem eſt, Scholaſticorum Theologorum, præcipuè Subtiliſſimi Magiſtri & primi propugnatoris Immaculatæ Conceptionis Virgineæ in 3. diſt. 7. q. 3. Dub. 1. ſic concludentis. *Sinè præiudicio dici poteſt, quod cùm prædeſtinatio cuiuscunq; ad gloriam, præcedat ex parte Obiecti naturaliter præſcientiam peccati vel damnationis cuiuscunq; (ſecundum Opinionem vltimam dictam Diſt: 41. Primi libri) multo magis eſt verum de prædeſtinatione illius animæ quæ prædeſtinabatur ad ſummam gloriam. Vniuerſaliter autem, ordinatè volens prius videtur velle hoc quod eſt fini propinquius, & ita ſicut vult prius gloriam alicui quam gratiam, ita etiam inter prædeſtinatos quibus vult gloriam ordinatè, prius videtur velle gloriam illi quem vult eſſe proximum fini, & ita huic animæ CHRISTI vult gloriam prius quam alicui alteri velit gloriam, & prius cuilibet alteri vult gratiam & gloriam, quam præuideat oppoſita iſtorum habituum, ſcilicet gratiæ & gloriæ, nimirùm peccatum & damnationem. Ergò à primo, prius vult Animæ CHRISTI gloriam, quam præuideat Adam caſurum.* Et in Reportatis Pariſienſibus Lib. 3. Diſt. 7. Quæſt: 4. §. Tertio declarandum, &c. Hæc ponit verba. *Dico tamen, quod lapſus non fuit cauſa prædeſtinationis CHRISTI, imò ſi nec fuiſſet Angelus lapſus nec homo, adhuc fuiſſet CHRISTVS ſic prædeſtinatus, imò ſi non fuiſſent creandi alij quam ſolus CHRISTVS. Illud probo. Quia omnis ordinatè volens, primò vult finem, deindè immediatiùs illa, quæ ſunt fini immediatiora.* Idem ſentiunt, noſter Doctor Seraphicus Diuus Bonauentura in Speculo Mariali. Alexander Alenſis 3: par: Q: 2: Art: 13. Suares 3: p: Quæſt: 27. Diſp: 1. Sect: 3. Salazar Tractat: de Immaculatâ Conceptione Virginis MARIÆ Cap: 3: Num: 14 & 15. ac alij, id ipſum ex mente Doct: Subtilis tanquam ex limpidiſſimo fonte haurientes. Ex quibus omnibus euidentiſſima, & ſatis conuincens ratio pro noſtrâ doctrinâ afferi poteſt. Sitq; hæc.

9. Ideò CHRISTVS eſt primus inter omnes creaturas, & etiam inter omnes prædeſtinatos, quia eſt propinquior fini, ſcilicet DEITATI, in ordine ad quem finem omnia præuidebantur, & prædeſtinanda prædeſtinabantur: Sed etiam Glorioſiſſima VIRGO inter omnes creaturas eſt propinquior DEO; quia proxima CHRISTO, Ergò & ipſa immediatè poſt CHRISTVM antè omnes alias creaturas primò præuiſa, & antè omnes prædeſtinatos tam Angelos quàm homines, vnico CHRISTO excepto, eſt prædeſtinata, ita quod eo ſigno, quo CHRISTVS eſt præuiſus ad carnem

nem

nem, & prædestinatus ad Gloriam, etiam ipsa VIRGO, vt potè Mater eius, est præuisa ad futuritionem, & prædestinata ad Gloriam.

10. Habetur ergò quòd nullum inconueniens admittitur, dùm asseritur, MARIÆ præuisionem eo ipso signo fuisse, quo CHRISTVS est præuisus ad carnem, scilicet antè omnem creaturam: Quia secundùm Venerabilem Bedam lib: 4. cap: 49. in Lucæ 11. vbi secundum Apostolum, docet, CHRISTVM factum ex muliere, tenendum est, CHRISTVM carnem non de nihilo, non aliundè, sed maternâ traxisse ex carne. Et rationem ibi subdit, ob quam CHRISTVS omninò debuit ex maternâ carne sumere carnem, dum inquit. *Alioquin nec verè filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.* Ergò cùm CHRISTVS præuisus sit ad carnem, omninò præuideri simùl debuit & hæc Mater eius determinatè. Nec Dicas: quod Venerabilis Beda loquatur de facto, quatenùs CHRISTVS in quinto signo ordinatus est ad carnem passibilem, in remedium peccati Adæ; quia tunc debuit esse Filius hominis, & carnem passibilem debuit sumere de MARIA, aliàs non. Non dicas inquam. Quià etiamsi Adam non peccasset, CHRISTVS, adhùc venisset, vt Primogenitus in multis fratribus, Ergò debuit esse frater noster secundùm carnem, & consequentèr etiam carnem quàmuis non passibilem debuerat sumere de Matre VIRGINE, & ità debuit esse filius hominis, de quo infrà. Homo ergò ille cuius Filius esse debuit, immediatiùs ipsi appropinquauit in prædestinatione DEI, quàm omnes alij electi, Homines & Angeli; Et ità in eodem signo, scilicet in secundo, quo intelligebatur CHRISTVS antè omnes Creaturas, etiam statim cum CHRISTO intelligebatur & VIRGO, & in tertio, quo prædestinabatur CHRISTVS, etiam prædestinabatur & VIRGO, intellige tamen in eodem signo disiunctim, non coniunctim, seù quod idem est, distinctè, non confusè. Præterea. Relatiua & maximè intrinsecùs aduenientia, simul sunt naturâ, Ergò hoc signo quo DEVS præuidit, CHRISTVM fore Filium Hominis, etiam præuidit & illum hominem, cuius futurus erat Filius, & ità simul Matrem cum Filio determinatè pro eodem signo, scilicet antè omnes prædestinatos, quod est propositum. Si dicas; CHRISTVM vt CHRISTVM tantùm, tunc prædestinatum esse ad gloriam, non verò vt Filium huius vel illius hominis, & ita non sub relatione ad hanc Matrem, quia in illo priori, CHRISTVS abstrahebat ab omni respectu. Respondeo, quod quâ CHRISTVS, dicit suppositum Verbi, terminans dependentiam naturæ humanæ, non poterat CHRISTVS, quatenus CHRISTVS prædestinari ad Gloriam, nisi simul natura humana in ipso suppositanda prædestinaretur, & ità quatenùs respiciens hanc Matrem in ratione Filiationis, idq; stante ordinatione DEI, quâ ordinabatur ab æterno, eum hâc Matre VIRGINE generandum, licet enim peccatum Adæ, generationem humanam commutauerit in belluinam, vt infrà ostendam, & propterea confuderit ordinem generatio-

num, nequàquàm tamen generationem CHRISTI de VIRGINE Matre, hâc scilicet & non alterâ, testante D. Mathæo cap: 1. *CHRISTI autem generatio sic erat:* Vbi, ly sic, idem valet ac inuariabilitèr, & iuxta æternam DEI ordinationem. In Formâ igitur. Nego assumptum; Quià CHRISTVS cùm prædestinabatur vt CHRISTVS, etiam prædestinabatur vt Homo, talitèr & talitèr futuritionem respiciens, nempè in Naturâ Virgineâ de Matre VIRGINE sumendâ. Confirmatur hæc Doctrina ex Doctore Subtili, in 3. Dist: 8: q: Vnicâ in Responsione ad Vltimum Principale. Vbi concedit CHRISTVM fuisse æqualem Matri VIRGINI secundum naturam humanam; & subdit rationem sub ipsum finem Quæstionis. *Quia* (inquit) *in naturâ humanâ in CHRISTO, est vnitas realis minor vnitate numerali, & similitèr vnitas eiusmodi realis est in MARIA, quæ vnitas est fundamentum mutuæ æqualitatis naturæ in CHRISTO, & in MARIA.* Vndè & Arnoldus Carnotensis Lib: de Laud: VIRGINIS, nedum æqualitatem istam agnoscit, sed & identitatem inter CHRISTVM & MARIAM, dum ait. *Vna est MARIÆ & CHRISTI caro, vnus Spiritus, vna Charitas, vnitas ergò diuisionem non recipit, nec secatur in partes; Et licet ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltra scindi non potest, & Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eandem.* Ex quò sequitur. Quòd si CHRISTVS & MARIA sunt æquales in naturâ humanâ secundùm Doctorem Subtilem, & fermè idem Spiritus, vna caro, secundum Arnoldum, iam nec in prædestinatione DEI poterant ab inuicem separari, ità quod non potuit præuideri hic homo dependens personalitèr ad Verbum, quin simul præuideretur hæc Mater VIRGO dans illi naturam humanam Virgineam; Nullus enim alius homo ità fuit æqualis in naturâ Virgineâ CHRISTO, sicut fuit MARIA, ità quòd nec Eva Virgo in statu innocentiæ par fuerit MARIÆ in naturâ Virginea, quæ vtiq; est metrum & mensura Virgineæ naturæ in Eva, modò inter Mensuram & mensuratum sufficit quòd intercedat proportio, estò non sit omnimoda æqualitas. Sed de hoc Resol: 2. Dec: 2.

11. Infero Secvndo. VIRGO Mater ideò antè omnes creaturas præuisa, & antè omnes prædestinatos prædestinata est, vt esset quodammodò concaput vnà cum CHRISTO, respectu reliquorum post CHRISTVM & ipsam prædestinatorum, hominum scilicet & Angelorum. Hoc sequitur ex dictis. Quià si CHRISTVS omninò præuisus est fore frater noster Primogenitus, carnem maternâ tracturus ex carne, sequitur, quòd Mater alio specialiori modo ad eum pertineat, quàm omnes alij prædestinati, atq; ità non solum sicut membrum sub capite, sed sicut aliquid specialitèr pertinens ad caput, & quasi concaput respectu nostri. Proindè à SS. Patribus dicitur Collum, quod iungit caput cum cæteris membris, prout & ipsum medium est inter caput & membra, participans de vtroq; extremo, per quod Collum à Capite CHRISTO, in subiecta membra


bra deriuantur fluenta gratiarum, & tota influentia Capitis in reliquum corpus Ecclesiæ, per hoc Collum quod est MARIA, defertur & transit. Huc faciunt testimonia SS. Patrum id clarè asserentium. D. enim Hieronymus serm: de Assumpt: ait. *VIRGO prædicatur gratiâ plena, per quam largo Spiritus Sancti imbre superfusa est omnis creatura.* D. item Augustinus in illud Canticorum 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici,* &c. clariùs id exhibet, dum inquit. *MARIA fuit Mater Spiritu, non tam capitis nostri, quod est CHRISTVS ipse Saluator, à quo illa magis Spiritualitèr nata est, sed planè Mater membrorum eius, qui nos sumus, quia cooperata est charitate suâ, vt omnes fideles in Ecclesiâ nascerentur, qui illius capitis membra sunt; corpore verò mater est ipsius capitis.* D. etiam Bernardus Serm: de Aquæ ductu, sic habet. *DEVS totius boni plenitudinem posuit in MARIA, vt proindè si quid spei nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab eâ nouerimus redundare, quia sic voluntas eius est, qui totum nos habere voluit per MARIAM.* Item idem Serm: 198. ità alloquitur VIRGINEM. *In te, & per te, & de te, ô VIRGO, quidquid benigna manus Omnipotentis creauit, recreauit.* Sanctus quoq; Ephrem Oratione ad VIRG: *Per te* (inquit) *reconciliati sumus CHRISTO DEO meo, Filio tuo, Tu captiuorum redemptio, & omnium salus. Aue Mediatrix gloriosissima, aue vniuersi terrarum Orbis conciliatrix.* Adstipulatur & D. Damascenus Orat: 2. de Assumpt: inquiens. *Oportebat DEI Matrem, ea quæ Filij erant possidere.* Hoc docet & S Bonauentura in Speculo, super illa verba, Dominus tecum, &c. *Iste,* (id est, *CHRISTVS,*) *est specialis noster Dominus, Dominus Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster. Iste ergò Dominus sic cum MARIA fuit, quòd etiam illam, specialem nostram Dominam in his omnibus fecit.* Et ibidem Lect: 3. sic ait. *Domina eius MARIA innititur Angelicæ Famulæ, tanquàm plenissima, se cum suâ plenitudine Angelis communicando.* Et alludit ibi ad Hester, quæ sustentabatur à duabus famulabus; Sic secundum eum MARIA à duabus naturis, Angelicâ & humanâ, quibus est superior. Hoc & Richardus Victorinus in Cant: loquens de naturâ humanâ & Angelicâ, innuit, dicens. *Vtrâq; creaturâ MARIA potentior iudicatur, quia vtraq; per ipsam reparatur.* Et tandem Arnoldus Carnotensis, de Laud: Virg: sic concludit. *CHRISTVS Dominus, MARIA Domina, constituta super omnem creaturam, & quicunq; IESV curuat genu, Matri quoq; pronus supplicat.* Quod hausisse videtur Author iste, ex D. Augustino Serm: de Assump: Virg: inquiente. *In Nomine MARIÆ, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

12. Ex quibus omnibus sic ad propositum argumentari licet. Fluenta perfectionum, imber gratiarum & charismatum, influit secundùm SS. Patres citatos, in Angelos, homines, & alias omnes creaturas à MARIA, istis omnibus excellentiore, & omnium Reginâ; Ergò omnes gratiæ, charismata, & perfectiones illis collatæ, aliquâ ratione pendent à MARIA; Sed non aliâ sanè nisi per merita eius, & impetrationem, quatenus menti Diuinæ obiecta in æternitate, & ex amore excellentis vitæ MA-

RIæ, quâ post vitam CHRISTI, nulla vita erat excellentior Angeli aut Hominis, ad hoc à Deo directa, vt ab illâ influat omnis gratia in electos, Angelos & Homines, Ergò ratione talis influxûs, VIRGO Mater est aliquomodo caput seu concaput vnâ cum CHRISTO, respectu cæterorum Prædestinatorum. Confirmatur hoc: Quia nihil illi Theologi dissonum fidei tenent, qui docent, omnia illa, quæ CHRISTVS suis meritis de condigno obtinuit Angelis & hominibus prædestinatis, etiam VIRGINEM DEIPARAM suis meritis de congruo impetrasse, non quidem positis in effectu, sed ab æterno in mente DEI relucentibus, Ergò cùm isti euehant VIRGINEM in concaput respectu CHRISTI Capitis, roborant nostram Thesim. Accedit, quòd Sancti Patres omnia quæ CHRISTO vt Capiti tribuuntur, etiam tribuunt B. VIRGINI, videlicet, quòd sit mediatrix DEI & Hominum, quòd sit Vniuersi reconciliatrix, quòd sit nostra Redemptrix, quòd sit passa pro nobis vnâ cum CHRISTO. Accipe de hoc dicta Sanctorum. Et imprimis S. Ambrosium in illud; *Stabat iuxta crucem IESV Mater eius;* Rationem istius consistentiæ hanc afferentem. *Quia* (inquit ille) *existimabat se Diuino muneri aliquid addituram.* Tunc ego. Sed non falsò existimabat, aliàs præsumeret de se, Ergò verè. Et ita addidit tunc verè aliquid Diuino muneri, & sic concurrit ad nostram redemptionem vt concaput quodammodò cùm CHRISTO. Sanctus quoque Augustinus vocat carnem CHRISTI carnem MARIæ. Imò omnes SS. (& est hoc de fide contrà Eutychen determinatum) MARIAM ministrasse carnis suæ materiam pro carne CHRISTO, vt verbis venerabilis Bedæ vtar, docent. Ex quâ doctrinâ sequitur; quòd si Christus nos magno pretio redemit, prodigendo carnem suam, quæ etiam caro MARIÆ est & erat; iuxta illud Apostoli 1. ad Cor: 6. *Empti enim estis pretio magno,* (cuius prodigitionis carnis Christi, quæ in similitudinem carnis peccati fuit, causam alibi afferemus) etiam MARIA concurrebat ad Redemptionem nostram cum Christo. S. etiam Gregorius Magnus in Moralibus ait. *IESV dolente, dolet & Mater, CHRISTO CRVCIFIXO, crucifigitur & Mater.* D. item Anselmus de Excellentia Virg: cap: 10. inquit. *Sicut DEVS suâ potentiâ, parando cuncta, pater est ac Dominus omnium, ita Beata DEI GENITRIX suis meritis cuncta reparando, Mater est ac Domina rerum.* Idem tenet D. Damascenus Orat: 1. de Assumpt. *Hæc omni profuit creaturæ, quam veluti coëmptam à seruitute, in libertatem asseruit.* Idem asserit B. Bernardus in illud Cant: 6. *Vna est columba mea &c. Per te* (inquit) *VIRGO DEVS factus est homo, DEVS humilis, & homo sublimis, per te homo est redemptus.* Idem & Albertus Magnus super missus est cap: de Nomine MARIæ. *Adiutrix* (ait) *facta est Redemptionis, consors passionis, Mater & generationis.* Legatur de hoc Arnoldus Carnotensis lib: de Laud: Virg: vbi inter cætera hæc habet. *CHRISTVS carnem, MARIA animam immolabat, ita optabat illa ad sanguinem, animæ & carnis suæ adolere sanguinem, & erat omninò vnà CHRISTI & MARIÆ voluntas, ambo pariter offerebant DEO, hæc in sanguine*

guine cordis, hic in sanguine carnis. Accipiamus ad idem, textum S: Euangelij. Inueniemus magnum dicti documentum Lucæ 1. *Vbi MARIA abiit in montana cum festinatione in Ciuitatem Iuda.* Tunc exultauit infans Ioannes in vtero Elisabeth. Quòd explicantes SS: Patres, de coöperatione MARIÆ ad nostram salutem intelligunt. Iuxta illud D: Ambr: in Luc: Cap: 1: *Vocem prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit.* Quasi non prius DEVS voluerit sanctificare Ioannem, quam ad hoc concurreret VIRGO beata. Ergò, vt vno verbo concludam, sicut CHRISTVS est causa nostræ prædestinationis Exemplaris, Finalis & Efficiens, & consequentèr caput omnium prædestinatorum, ita & VIRGO Mater eius, est concausa & concaput; cum hoc tamen discrimine, quòd CHRISTVS est caput primò & principalitèr, Virgo autem Mater eius, secundariò & quasi auxilialitèr, & de congruo; ita quòd vt iam dixi, nihil CHRISTVS Dominus meritis suis, Angelis, Hominibus, & ipsi Virgini ex condigno præstitit, quòd non etiam ipsa Virgo ex congruo Angelis & Hominibus impetrauerit.

Hæc de prima Resolutione.



RESOLVTIO SECVNDA,

In eo signo, in quo cæteri omnes Homines Prædestinati, præuisi sunt casuri in Adam, sola VIRGO Mater CHRISTI, præuisa est immunis à casu.

1. ZElatorum honoris DEIPARÆ VIRGINIS, non possum demirari stupendam industriam, dum in medijs tenebris, facem præferre ingenijs in VIRGINEM deuotis tentauerunt, vt eam à peccati Originalis noxâ immunem ostenderent. Longus essem, si omnes modos doctissimos, quos Viri isti pleni sapientiâ, & perfecti decore pietatis, scriptis euulgarunt, hîc recenserem, quibus ostendere conati sunt, DEIPARAM immunem à casu in Adam. Non nullos tamen breui compendio perstringam, vt in stabiliendâ sententiâ meâ, planior esse valeam.

2. Quidam igitur dicunt. Modum præseruandi Virginem Beatam à debito peccati, constitisse in puncto pacti initi cum Adam, & fœderis confirmati, quo determinauerat DEVS, peccante Adamo, totam posteritatem eius lapsuram in peccatum, & amissuram Iustitiæ Originalis amplissimum donum. Nulla enim est implicantia, ob quam DEVS in illo signo, non potuerit per Gratiam præuentionis excipere Matrem suam futuram, à debito satisfaciendi pacto conuento, ita quod licet tota natura ex lapsu Adæ contaminata esset, tamen Mater eius non contaminaretur, sed sit libera à pacto, peccato, & debito incurrendi illud, proximo & remoto. Sicut per oppositum, nulla est implicantia, ob quam persistente Adamo & totâ posteritate eius in Iustitiâ Originali, non potuerit DEVS nolle aliquem descendentem ex illo, habere talem Iustitiam, cùm Iustitia Originalis sit donum supernaturale, non ex debito nostro, sed ex merâ liberalitate Diuinâ procedens. Et sic Beata VIRGO, potuerat non contraxisse debitum peccati Originalis, ob impedimentum talis exemptionis à pacto, quod tamen contraxisset, nisi tale impedimentum obstitisset. Sicut lapis, ex vi intrinsecâ, infallibilitèr deorsùm descenderet, nisi à trabe impediretur.

3. Alij verò asserunt, modum eximendi Virginem Beatam à debito peccati Originalis, potuisse consistere in numero certo & determinato generandorum ex Adam. Quia enim DEVS potuit determinare numerum generandorum ex Adam, limitando illum ad aliquot centena millionum, ideò non videtur implicantia, ob quam non potuerit velle generari Virginem Beatam extra talem numerum, & sic non esse filiam Adæ naturalem vel moralem.

4. Alii

4. Alij autem sentiunt, talem modum processisse ex prædestinatione Virginis. Dicunt enim, ipsam esse prædestinatam immediatè post CHRISTVM ad summum gradum gloriæ antè omnem creaturam, & antè mundi constitutionem, idq; ratione Maternitatis, ad quam debebat assumi, & ratione gratiæ, quæ illi debebat conferri ex titulo Maternitatis. Quia igitùr ista prædestinatio potuit fieri in priori signo quàm erat præuisus lapsus Adæ futurus, ideò non erat necesse, Virginem MARIAM subijcere debito contrahendi peccatum Adæ.

5. Alij etiam putant, Modum eximendi Virginem BEATAM à peccato Adæ, fuisse hunc. Quia Virgo ex occasione CHRISTI vt Redemptoris nasci debuit, ideoq; pura præsignabatur ob puritatem Filij. Quod suum assertum stabiliendo, docent. Prædestinationem & Aduentum CHRISTI, non nisi ex occasione peccati Adamici effluxisse, ita quod nisi Adæ peccatum præuisum fuisset, nec CHRISTVS nec Mater eius, vnquam in actuali existentiâ fuissent: Nam (secundum illos) in primo signo, DEVS decreuit creare homines distinctè. In secundo, decreuit facere Adam tanquam vnum caput Physicum & morale omnium hominum, cum quo pactum de transferendâ Iustitiâ ad posteros, iniuit. In tertio; Vidit lapsum Adæ. In Quarto; præuidit CHRISTVM Redemptorem. In quinto deniq; signo; Prouidit Matrem CHRISTO non quidem ex fæminis post peccatum Adæ futuris, quia illæ omnes videbantur infectæ peccato, sed aliam de nouo, vltra illas omnes, propter CHRISTI merita, producere voluit, Sanctam, pulchram, & vndiq; immaculatam, quæ cum cæteris pactum non intrauerat, quia in priori signo præuisa non fuerat, in illo nimirùm quo Adam & Posteri eius videbantur casuri, sed in signo posteriori, quo iam prouidebatur de remedio Adæ & Posteris eius, proindèq; illa prior, vigore talis remedij, præuidebatur immunis ab omni labe. Quia enim CHRISTVS Filius eius futurus, ordinabatur in remedium peccati, ideò passio, Mors, & omnia merita CHRISTI, ad eundem colimabant redemptionis terminum, ex quorum meritorum CHRISTI præuisione, Virgo Beata non modo prædestinata siuè electa fuit ad gratiam & gloriam, verùm etiam erat decreta ad esse existentiæ, vt nimirùm Mater DEI esset, nec vnquam nisi CHRISTO existente, existeret. Quarè Virgo Beata, nec ad peccatum Adæ, nec ad debitum eius tenebatur, quia in pacto Adæ non includebatur, sed ex occasione CHRISTI vt Redemptoris nasci designabatur, per cuius merita præuisa, sicut esse, ita omnem Sanctitatem habebat.

6. Alij asserunt. Modum eximendi Virginem Beatam à peccato Adæ, sumi debere ab ipso Adamo. Quia enim Adam, in duplici statu erat, nam primò fuit in statu Innocentiæ, quo erat amicus DEI, postea verò in statu peccati, quo factus est inimicus DEI, ideò Virgo Beata est Filia Adæ innocentis, non peccatoris.

7. Alij recurrunt ad scientiam conditionatam DEI, putantes, DEVM præuidisse Virginem Filiam Adæ, sub conditione, ita quod si non pec-

casset, talem filiam generasset, sed quia peccauit, ideò à serie propagandorum ab eo, vnâq; à peccato & debito eius, exempta est.

8. Jnter hos tamen, excelluere Scotistæ, qui sumpto fundamento ex Textu Doctoris Subtilis in 3tio Distinct: 3: Quæst: 1: §. Si autem tenetur pars negatiua, &c. Num: 14: firmitèr tenent. Modum quo Virgo Beata potuit excipi à peccato Originali & debito eius, talem posse assignari. Quod licet CHRISTVS prius sit prædestinatus quoad gloriam & vnionem hypostaticam cum naturâ humanâ, quam præuideretur lapsus Adæ, ex eâ vel maximè ratione, ne dicamus, tantum beneficium DEI, tantam gratiam, tantumq; bonum, nimirùm Incarnationem Verbi in vtero Virginis, esse Ens occasionatum ex peccato, & non per se volitum à DEO: Et licet tunc iam Beata Virgo fuisset præordinata ad Maternitatem CHRISTO incarnando vt glorificatori, simulq; prædestinata ad plenitudinem gratiæ & gloriæ, antè præuisionem lapsus Adæ, tamen pro tempore existentiæ suæ, debuit nasci vera filia Adæ, & quantum est de se, debuit contrahere debitum aut Iustitiæ aut Peccati Originalis, Iustitiæ quidem, si eam Adam pro se & posteris conseruasset, Peccati verò in quod lapsus est. Proindè amissâ Iustitiâ ab Adam, & stante lapsu eius, Virgo Beata, sub tali lapsu nata, de facto debitum peccati Originalis contraxisset, nisi in illo instanti quo instituebatur in esse Personæ & filiæ Adæ per animationem, præuenta fuisset infusione gratiæ, & consequentèr, virtute Diuinâ, non tantum à peccato Originali, sed etiam à debito actuali eius, præseruata esset. Tota igitùr ratio præseruationis eius, est Velle Diuinum, quo DEVS determinauerat quemlibet propagatum ab Adam, teneri ad Iustitiam habendam, vel amissâ illâ, ad peccatum Originale ex pacto; tamen ex suâ libertate & liberalitate, potuit DEVS præuenire tam debitum peccati quam carentiam Iustitiæ Originalis, infundendo scilicet animæ Gratiam æquiualentem Iustitiæ tali, in illo statim instanti quo vnitur corpori propagato ab Adam, & constituit Personam in lineâ Posterorum Adæ, ita vt in illo priori, sit plenè excepta Persona talis à peccato in Adam. Et sic immaculata Virgo fuit vera filia Adæ, & quantum est de se, fuisset obnoxia peccato eius, nisi à tanto malo eximeretur per succursum specialis gratiæ Diuinæ, cui totum subest quidquid voluerit posse. Iuxta illud D. August: Tom: 2: Epist: 3: ad Volus: *Demus DEVM aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse, in talibus rebus, tota ratio facti, Omnipotentiâ facientis.* Et illud S. Ildefonsi Archiepiscopi Toletani Libro contra eos quis disputant de Virginitate & parturitione B. Mariæ, dicentis. *Non ex naturâ rerum Diuinæ leges pendent, sed ex Diuinis legibus, naturæ rerum & leges manare probantur.*

9. Pientissima hæc sunt fateor, & Virginis immunitatem egregiè declarant, tenendo, quòd Adam ex intentione DEI, & ex vi primæuæ institutionis naturæ humanæ, ordinatus sit in Patrem generationis humanæ. Sed quia oppositum ostendere est animus, iam istud pactum, & ex ipso consurgens debitum, siuè sit remotum, siuè proximum, stare nequit, præsertim


ſertim cum nullibi iſtius pacti expreſsè meminit Sacra Scriptura, nec mentionem eius faciunt Concilia, nec clarè loquuntur de illo Sancti Patres, quos viderim. Aſſignari ergò debet alius modus, quo omnes peccauimus in Adam originalitèr, ſinè iſto pacto, quod luculentèr pro modulo tenuis ingenij mei, in ſequentibus reſolutionibus præſtare conabor. Modò autem, vt propoſita Reſolutio tam quoad rem, quàm quoad cauſam, pateat, obitèr pro nunc.

10 Dico. Quòd ideò Virgo Mater CHRISTI immunis præuiſa eſt à caſu in Adam, quia ipſa ſola inter homines puros præuiſa eſt talis homo futura & perſeueratura, quales homines ab æterno intendit & in Paradyſo fecit DEVS. Et quia CHRISTO DEO & Homini, ordinato à DEO in caput omnium Prædeſtinatorum Angelorum & Hominum, ipſa data eſt in concaput, ſeu in adiutorium ſimile. His enim duabus cauſis ſtantibus, quæ fusè in ſequentibus declarabuntur, & maximè prima, in quâ eſt tota vis, iam Virgo Mater præſcindere debuit ab omni dependentiâ ab Adam, nec potuit eſſe homo Adamicus, quem Scriptura vocat Veterem hominem, & Apoſtolus Carnem peccati, & SS. Patres, Carnem concupiſcibilirèr ſeminatam. Declaratur hoc dictum verbis Doctoris Subtilis, in 3. diſt: 19. quæſt: Vnicâ, loco Reſolutione præcedenti citato. Vbi hæc habet. *Ita quòd CHRISTVS in Carne, ſicut & omnes electi, priùs præuidebatur & prædeſtinabatur ad gratiam & gloriam, quàm præuideretur paſſio CHRISTI vt medicina contra lapſum.* Hæc Doct: Subt: Vbi non fruſtra præmittit primò CHRISTVM in carne, & poſtmodum vtitur verbo, ly ſicut, comparatiuo, licet de vnico inſtanti, ſeu potiùs ſigno ſecundo, à ſe vbi ſupra aſſignato, loquatur: Hoc enim eſt ac ſi diceret. CHRISTVS in ſecundo ſigno, primò præuiſus eſt ad Carnem vt caput, & omnes electi vt membra, ſimul quidem caput cum membris præuiſum eſt, quia ſecundum Apoſtolum, omnia in ipſo conſtant, & in ipſo condita ſunt vniuerſa, ſed tamen ipſe dignitate prior, quàm cæteri, quia ſubdit Apoſtolus. *Vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, & ſit primogenitus omnis creaturæ.* Tunc ſubſumo. Aſt in eodem ſigno non potuit præuideri ſinè Matre, ſtante hoc ſuppoſito, quod debuit eſſe Filius hominis, & Frater noſter primogenitus, vt in præcedenti Reſolutione deduxi ex Venerabili Bedâ, & alijs SS. Patribus, Ergò cum eo ſimul in eodem ſigno antecedentèr ad omnes electos, præuiſa eſt Mater ſua: Caro enim Filij non potuit præuideri ſinè carne Matris, & conſequentèr Filius hic ſinè Matre hâc; nulla quippè eſt in DEO cognitio confuſa & indeterminata: Quidquid hîc dicat Salazar, tract: de Immaculatâ Conceptione B. M. V. Tunc vltra. Sed CHRISTVS tunc præuiſus eſt homo talis, qualem ab æterno præuidit, & voluit, & poſtmodum creando Adamum fecit in Paradyſo DEVS, Ergò & Virgo Mater eius talis homo præuiſa eſt futura, & conſequentèr ab Adamo prorſus independens, nec cum eo in gratiâ aut culpâ participans: quod eſt propoſitum. Confirmatur hoc. Quia decuit CHRISTVM habere talem Matrem, quæ eſſet purus homo correſpondens intentioni DEI,

Ergò talis fuit; Sed talis nullatenus dependet ab Adam, qui est homo corruptus & totius naturæ humanæ degenerator, & conspurcator, Ergò nec Virgo; Imò potius Adam ab ipsâ & à CHRISTO dependet, innuente id Apostolo 1. ad Cor: 12. *Vos estis Corpus CHRISTI.*

11. Ex hac declaratione, facilè est videre, quantum intersit inter CHRISTVM & Virginem Matrem eius ex vnâ, & alios electos, ex alterâ parte, in hoc secundo Doctoris Subtilis signo: nimirùm; quia Virgo Mater pertinet ad caput, cæteri electi, membra sunt; Ac proindè licèt in eodem signo omnes cum CHRISTO & Matre suâ præuisi sint, & in tertio signo prædestinati, tamen CHRISTVS cum Matre Virgine vt caput, & ita priùs prioritate dignitatis, alij verò vt membra, & ita posteriùs: ita quòd magna sit disparitas inter CHRISTVM & Matrem eius, ac cæteros prædestinatos, ob quam disparitatem Mater CHRISTI non debuit cadere in Adam, cæteri verò ceciderunt; ea scilicet, quæ est inter caput & membra; Capite enim cadente, cadunt omnia membra irreparabilitèr, sed capite sano & superstite, possunt membra restitui ad sanitatem; oportuit ergò caput & quidquid immediatè ac proximè ad illud spectat, non cadere, vt deindè quidquid in quarto signo cecidisset, posset virtute capitis restaurari; vt ita iuxta Apostolum, omnia in ipso constarent: Atqui Virgo proximè & immediatè pertinet ad caput, scilicet CHRISTVM, cui CHRISTVS debet carnem suam, iuxta Phrasim S. Methodij Martyris serm: de Purificat. B. M. sic exclamantis. *Euge, quæ debitorem habes DEVM, qui omnibus mutuatur, DEO enim vniuersi debemus, TIBI autem etiam ille debet.* Nec secundùm Arnoldum Carnotensem lib: de laud Virg. *A Dominatione vel potentiâ Filij, Mater potest esse seiuncta.* & præsertim illa Mater, quæ vt D. Gregorius Magnus in 1. cap: 1. Reg: loquitur. *Meritorum verticem, vsq; ad solium Diuinitatis erexit.* Et quæ, vt D Dionysius Areopagita Epistolâ ad Paulum habet. *DEI forma est.* Ergò &c. Liceat ergò concludere cum D. Damasceno serm: de Dormit: Virg. *DEI Matris & seruorum DEI, infinitum est discrimen.*

12. Ast hæc clarius Decad: 2: exponentur. Sed cùm hæc Resolutio pendeat ab vlterioribus, nec possit benè intelligi, nisi ostendatur intentio DEI circà hominem & eius propagationem; quam Adam peruertit, & naturam totam peccando conspurcauit, & degenerauit. Ideò sequens Resolutio tertia, proponitur per viam negationis. Et sit.



RESO-

RESOLVTIO TERTIA.

Non erat intentio Creatoris, vt Adam esset Pater carnalis, respectu Generis humani propagandi.

1\. ADduco hùc Scripturæ Sacræ textum, Sap: 12. Vbi de DEO parcente improbis hominibus, dicit Sapiens. *Dabas locum pænitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio illorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum, semen enim illorum erat maledictum ab initio.* Quæ verba explicans D. Augustinus, lib: 2. de Nuptijs & Concupiscentiâ, cap: 8. ita inquit. *De quibuscunq; ista dicit, de hominibus dicit. Quomodò est ergò cuiuslibet hominis malitia naturalis, & semen maledictum ab initio, nisi ad illud respiciatur, quòd per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt? Cuius autem hominis mala cogitatio non potest in perpetuum mutari, nisi quià per se ipsum non potest, sed si gratia Diuina subueniat? quâ non subueniente, quid sunt homines, nisi quod ait Apostolus Petrus, 2. Pet: 2. velut muta animalia, procreata naturaliter in captiuitatem, & interitum?* Et paucis interiectis, ità quærit. *Quid est ergò malitia naturalis hominis, & semen maledictum ab initio, & procreati naturalitèr in captiuitatem, & interitum, & naturâ filij iræ? Nunquid in Adam natura ista sic condita est?* Et respondet. *Absit: sed quia in illo vitiata, sic per omnes iam naturaliter cucurrit, & currit.* Tunc sic pro Resolutione nostrâ liceat arguere. Homines quatenùs ab Adamo propagati carnalitèr, dicuntur à Sapiente & verè, Nequam natio, naturali malitiâ infecti: Semen etiàm ex quo orti sunt, dicitur fuisse maledictum ab initio, id est, vt primùm exortum est in ipso Adamo, in ordine ad generandum primum reprobum filium Cain, propagatione carnali ortum; quod semen transfusum in propagatione naturæ, transfudit in totam naturam, peccatum & mortem, fecitq; & facit huc vsquè, imò & faciet in finem sæculi, omnes ex tali transfusione seminis genitos, peccatores, naturalitèr procreatos in captiuitatem & interitum, & naturâ filios iræ, Adamo talitèr naturam totam, mediante tali transfusione seminis, vitiante in sui radice, seù propagatione carnali, pomo comesto contra expressam prohibitionem DEI, sic naturam humanam in Adam inficiente; vt postea docebo; Ergò cum ex Sententiâ D. Augustini, non erat natura ista sic condita, vt ità propagaretur, sequitur, quòd non erat in-

 tentio

tentio Creatoris, vt Adam esset Pater carnalis respectu generis humani propagandi.

2. Hoc confirmatur ab eodem D. Augustino Lib: eodem secundò, cap: 17. dicente. *Homines in quantum homines sunt, bonum est naturæ, cuius author est DEVS; in quantum autem cum peccato nascuntur, perituri si non renascantur, ad semen pertinet, maledictum ab initio, illius antiquæ inobedientiæ vitio.* Tunc sic. Si semen Adæ maledictum fuit ab initio, illius antiquæ in obedientiæ vitio, & ex eò propterea nascuntur homines cum peccato, & perituri si non renascantur in CHRISTO; Ergò non erat intentio DEI, vt Adam, mediante transfusione talis maledicti Seminis in vterum Euæ, generaret carnalitèr Filios. Quod est propositum nostræ Resolutionis.

3. Si hic obtrudas eundem D. Augustinum, in eisdem duobus Libris sæpissimè repetentem, futuram fuisse in illo statu innocentiæ commixtionem Sexuum carnalem inter marem & fæminam, in ordine ad propagationem naturæ humanæ, tamen sinè omni libidine, & æstu concupiscentiæ carnis, sed solùm ex imperio Voluntatis, intendentis meritoriè prolem, & imperantis genitalibus motum. Respondeo. Hoc D. Augustinum resolutoriè ibi non asserere, sed solum ad Hominem, scilicet ad Hæreticos Pelagianos, qui docebant; DEVM in Paradyso creantem Masculum & fœminam in naturâ humanâ, etiam istam (vt illi vocabant) membrorum potentiam (*non enim voluerunt appellare motum genitalium nomine libidinis aut concupiscentiæ carnis*) vt eos ibi redarguit D. Augustinus, vel naturalem affectum ad cognoscendam fæminam in masculo, & è contra, ad cognoscendum virum in fœmina, creasse. Quod tamen refutans D. Augustinus, sic contrà eos pugnat, vt etiamsi concedatur, DEVM creasse masculum & fœminam in ordine ad commixtionem Sexuum, quæ etiam stante statu innocentiæ in Paradyso fuisset, adhuc libido in commixtione, & ista concupiscentia, (de quâ ibi agit ex professo D. August: vt eam tanquam malam & ex vitio ortam, à Matrimonio quod est bonum, & à DEO institutum, seiungat) non fuisset tunc, & hoc sufficeret ad hoc, vt Sancti filij de Sanctis parentibus tùnc generarentur; Sicut è contrà, modò, propter eam, non à DEO, sed ex vitio tali actui, licet inter coniugatos meritorio, adiunctam, ex bonis parentibus generantur filij peccato originali obnoxij. Et hoc solum in illis duobus libris ipse D. Augustinus expresè dicit aliquoties, se velle ostendere contra Pelagianos, paruulos ex fidelibus generatos, à peccato originali immunes pronunciantes: Quod & felicitèr obtinuit. Hoc autem est ad Hominem dixisse, non ex proprio sensu.

4. Proindè audiamus eundem D. Augustinum, lib: 3. de Genesi ad literam cap: 21. suam promentem absolutè sententiam. *Illud quod dictum est:* (Verba sunt genuina D. Augustini,) *Crescite & multiplicamini, & replete terram, Gen: 1. quanquam nisi per concubitum maris & fæminæ fieri non posse videatur; vndè hinc quoque mortalium corporum existit indicium; Potest tamen dici: Alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, vt solo piæ charitatis*

affectu

affectu, nullâ corruptionis concupiscentiâ, filij nascerentur, nec mortuis parentibus successuri, nec ipsi morituri, donec terra immortalibus hominibus impleretur, ac sic instituto iusto & Sancto populo, qualem post resurrectionem futurum credimus, nascendi etiam modus fieret. Hæc sunt verba D. Augustini, vbi suprà. In quibus ille se quasi obfirmando, ibidem subdit. *Potest quidem dici, & quomodo dicatur, alia consideratio est.* Quia ergò hanc aliam considerationem ibi D. Augustinus non protulit, voluit nos circa hoc desudare, vt hunc alium modum generationis humanæ inuestigemus, qui fuisset Adamo non peccante, & tamen non per concubitum maris & fœminæ.

5. Et quamuis, hoc mens humana assequi non valeat exactè, porrigit tamen viam inuestigandi tantum mysterium, ille ipse qui verus homo existens, alitèr tamen de facto conceptus & natus est: qui etiam restringit hunc præsentem generationis Filiorum modum, ad hunc statum pœnalem, Luc: 20. dicens. *Filij huius sæculi, generant, & generantur.* Volens ostendere, quòd in statu innocentiæ, homines etsi generarentur, non tamen carnalitèr generarent; quòd postea declarabo fusè. Nunc autem solùm ex sententiâ D. Augustini loquor, qui dicit in loco citato; Tunc talem futurum fuisse populum iustum & sanctum, qualem post resurrectionem (quæ etiam ideò à CHRISTO regeneratio sæpè dicitur) futurum credimus; Sed iste talis populus per generationem carnalem & Adamicam fieri nequit; Quia secundùm Apostolum seminatur (supple, modò, id est, per propagationem carnalem) corpus animale, quod ibi non erit, quia surget spirituale; Ergò generationis nostræ à DEO intentæ, Adam nequiuit esse parens carnalis, quatenùs propagatio nostra à DEO intenta est. Quod est nostræ resolutionis punctum. Proindè D. Augustinus, distinguit inter nuptias illius felicis innocentiæ status, & nuptias istius infelicis status, dicens lib: 1. de Nupt: & Concupisc: cap: 16. sub finem. *Quia igitur* (inquit) *tales nuptiæ non possunt esse, quales priorum hominum, si peccatum non præcessisset: Sint tales, quales Sanctorum Patriarcharum; vt pudendæ carnis concupiscentia, quæ in Paradyso, nec antè peccatum, nec post peccatum, esse permissa est, (quia necesse est in corpore mortis huius vt sit,) non ei seruiatur, sed ipsa potiùs non nisi ad propagandam prolem seruire cogatur.* Ecce quanta disparitas nuptiarum Paradysi, & nuptiarum huius seculi! ex illis nasci debuit Sanctus & iustus populus, qualem post resurrectionem futurum credimus, ex istis modò nascimur obnoxij peccato, iniusti, & filij iræ DEI, quia per commixtionem Sexuum generamur.

6. Persuadet istam Resolutionem ipse CHRISTVS verus DEVS & verus homo, alitèr tamen (vt iam dixi) conceptus & natus. Quam conceptionis & natiuitatis normam, etiam ad alios homines extendi potuisse, concedunt, imò pro certissimo supponunt pientissimi & doctissimi Theologi. D. enim Anselmus lib: de conceptu Virginali cap: 13. & sequentibus, docet. *Christum etsi non esset DEVS, sed purus homo, ex ipsâ vi suæ originis, talitèr necessariò fuisse concipiendum, qualitèr iustus Adam conditus est.* Sed non

 intelligit

intelligit D. Anſelmus niſi hoc, quòd ſicut Adam de terrâ Virgine, ita & CHRISTVS quâ homo, de purâ Virgine; Ergò purum hominem, quâ homo, non repugnauit in Paradyſo ſic concipi, qualitèr CHRISTVS conceptus eſt; Ergò ſic fuiſſet, quod eſt propoſitum.

7. Item Albertus Magnus in ſuo Mariali ſuper Miſſus eſt &c. clarius de hoc loquitur, reddens rationem, quarè Gabriël miſſus eſt ad Virginem? *Notandum*, (inquit) *quòd initium peccati eſt à muliere, ratione mulieris: Eua enim in quantùm Virgo non peccauit*, (ſupple) originalitèr, quia peccauerat actualitèr mortalitèr, peccato inobedientiæ, & multis alijs, vt poſtea probabo, quæ tamen peccata non erant originalia, ſed perſonalia, piabilia per pœnitentiam, ſicut & modò ſimilia expiantur) *ſed in quantum coniuncta viro, cum quo copulata generauit: Quia ſicut dicit Auguſtinus, peccatum originale naſcitur ex concupiſcente vulnere, concupiſcentia autem annexa eſt cum commixtione ſeminum: quod in Mariâ minimè fuit, cùm vulneri ſubiacere non debuit, quæ vt vulnus curaret, venit. Propterea* (ô pulchram ad propoſitum rationem!) *generatio temporalis, Imago eſt generationis æternæ; vndè ſicut æterna eſt de vno manente incorrupto & indiuiſo, ita temporalis generatio, debuit eſſe de vnâ incorruptâ, hoc eſt de Virgine. Et ſic patet quòd Origini perditionis, congruebat ratio mulieris, & Origini Saluationis, ratio Virginis.* Quibus verbis quid quæſo clariùs afferri poteſt ad propoſitum Reſolutionis noſtræ?

8. Audiamus etiam D. Thomam, ſolem Eccleſiæ; qui quæſt: 4. de malo, Art: 7. ad 6. poſtpoſitis alijs rationibus, quæ concludebant, CHRISTVM liberum eſſe debuiſſe à peccato originali, hanc ſolam ſufficere dixit, quod ſit conceptus ex Virgine: Ergò ſi ſecundùm D. Thomam concipi de Virgine, eſt præciſa cauſa conceptus prolis ſinè peccato originali, ſequitur, quòd ſi proles in ſtatu innocentiæ naſci debuit ſinè peccato originali, debuit concipi de Virgine, & non de defloratâ muliere, per Adæ ſtuptum. Quod eſt noſtræ Reſolutionis intentum.

9. Idem D. Thomas 3. p. q. 15. A. 1. ad 2. q. 31. hoc ipſum docet, ſcilicet; *Ab ordinario humanæ propagationis modo, inſeparabile eſſe peccatum originale.* Et q. 28. A. 1. concludit. *Etiam CHRISTVM, non potuiſſe concipi ſinè peccato originali, ſi fuiſſet conceptus ex non Virgine.* Quibus dictis, quid quæſo aliud innuit tantus Eccleſiæ Doctor, niſi hoc, quod ſi DEVS intendit generis humani propagationem ſinè peccato, etiam intenderit eam futuram ſinè Euæ ſtupro?

10. Succedat Seraphicus Doctor D. Bonauentura S. Thomæ. Ipſe enim in 3. Diſt: 12. A. 3. q. 2. cùm ſibi propoſuiſſet quæſtionem: Vtrum CHRISTVS magis debuerit carnem aſſumere de Viro ſimul & muliere, quàm de muliere tantùm? Reſpondet: quòd licèt potuiſſet de viro & muliere, non tamen congruebat, niſi de ſolâ muliere, ob rationes quas ibi aſſignat. Et ſoluens argumentum primum in contrarium, dicit hæc verba. *Nos per talem modum naſcendi, ſcilicet de viro & fœminâ, contrahimus morbum, ſed CHRISTVS bonus medicus, immunis à morbo debuit eſſe; hinc eſt, quòd in*

quòd in tali modo naſcendi non debuit nobis aſsimilari, nec nobiſcum conuenire. Ergò D. Bonauentura ſupponit naſci ex muliere & viro, eſſe præciſam cauſam peccati originalis; & è contrà, naſci de Virgine, eſſe cauſam præciſam naſcendi ſinè peccato originali, quod ſanè in ſtatu innocentiæ fuiſſet. Quare Adam non debuit eſſe Pater noſter carnalis, de mente Doctoris Seraphici.

11. Aduoco & Doctorem ſubtilem Ioannem Scotum, ſic in 3. Diſt: 20. §. Contra illud quod dicit &c. Contra D. Anſelmum diſputantem. *Vnus purus homo, potuiſſet ſatisfacere pro omnibus, ſi fuiſſet conceptus ſinè peccato, ſicut potuiſſet fieri, operatione Spiritus Sancti & Matris; ſicut fuit CHRISTVS.* Ecce Doctor ſubtilis coniungit, concipi ſinè peccato, cum concipi operatione Spiritus Sancti & Matris, ſicut fuit Chriſtus. Cùr igitùr hæc conceptio in ſtatu innocentiæ eſſe non debuiſſet? Verè non video. Quod eſt pro Reſolutione noſtrâ.

12. Accedit & Bernardinus de Buſto, in ſuo Mariali, parte 12. Serm: 2. probans: DEVM potuiſſe ordinem concipiendi de Viro ità mutaſſe in omnibus Matribus, ſicùt in Beatâ Virgine: Ergò cùm (vt docet D. Thomas. 1. p. q. 47. Ad: 3) *natura faciat quod melius eſt* & multo magis DEVS; Et, *Optimi agentis ſit, producere totum effectum ſuum optimum*, vt habet idem Sanctus Doctor ibidem A. 2. ad primum; ſequitur, quòd DEVS agens optimum, intendebat propagationem naturæ optimam, & non hanc de non Virgine, proindè Adam non debuit eſſe Pater noſter ex intentione primæuâ DEI.

13. Hùc facit; Quod CHRISTVS nos & denuò & alitèr naſci iubet, inſtruens de hoc Nicodemum, Ioannis cap: 3. illis verbis. *Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre Regnum DEI.* Et. *Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex quâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum DEI.* Vbi diligentèr penſandum eſt Verbum CHRISTI, ly Renatus, quaſi denuò vel rurſus natus, prout ipſe CHRISTVS infrà ibidem explicauit Nicodemo, dicens. *Ne mireris, quià dixi tibi, oportet vos naſci denuo.* Tunc ſic arguo. Si ex mandato CHRISTI, oportet nos naſci denuò ex aquâ & Spiritu Sancto, ad hoc vt ſaluemur; Ergò prior generatio, per concubitum maris & fæminæ carnalem, non eſt nobis ad ſalutem, quomodòcunque ille concubitus ſeù commixtio Sexuum ſumatur, ſiuè cum libidine, vt modò, ſiuè ſinè eâ, vt putatur futurum fuiſſe in Statu innocentiæ; & conſequentèr eſt præter intentionem DEI, qui vult omnes ſaluos fieri, id eſt, ad ſalutem æternam naſci: quod nequit fieri, niſi naſcamur ex Spiritu Sancto: Quod Adam peruertit, commutando propagationem humanam in belluinam.

14. Corroboratur hoc ab ipſomet CHRISTO, ibidem dicente. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, quod natum eſt de Spiritu, Spiritus eſt.* Hoc eſt dictum; iuxtà ſenſum Apoſtoli, ad Galat: 6. *Qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem, qui autem ſeminat in Spiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.*

nam. Ergò cum per generationem carnalem, tantum producatur caro de carne; ſequitur eam eſſe incapacem Regni DEI, niſi renaſcatur ex Spiritu Sancto & aquâ: ſicut & ex intentione primæua DEI, debebat naſci ex Spiritu Sancto & Virgine.

15. Corroboratur idem & ab Apoſtolo, 2. ad Cor: 15. *Caro & ſanguis, regnum DEI non poßidebunt*, ſupple, niſi renaſcantur ex Spiritu Sancto. Hæc enim verba, nedùm ſunt intelligenda de vitâ, iuxtà deſideria carnis inſtitutâ, ſed etiam de ipsâ carne Adamicâ; quam vita carnalis ad ſui eſſe præſupponit, tanquàm actus ſecundus, primum.

16. Ad idem faciunt principia Doctoris Subtilis 2. Sent: diſt: 20. q. 2. vbi ſic habet. *Dico, quod ſoli nunc electi fuiſſent in ſtatu innocentiæ nati. Ratio huius eſt. Quiâ omnis ordinatè volens, poſt volitionem finis, immediatè vult illud, quod eſt immediatius, vel proximius fini; DEVS eſt volens ordinatè; Ergò primò vult ſeipſum, vel bonitatem ſuam tanquam finem, ſecundò vult bonum creaturæ rationali ordinatum, & ipſi vltimatum, quod eſt communicatio creaturæ, ſiuè communicatio beatifica ſuæ bonitatis creaturæ tali; & poſtea vult gratiam quæ ordinatur ad beatitudinem huius, vel ad fruitionem eius, & poſterius vult iſtum beatum vel beatificabilem eſſe naſciturum à tali vel tali parente.* Hic ego à pari addo. Tali vel tali modo. Et hoc infero ex verbis immediatè appoſitis à Doctore Subtili, quæ ſunt. *Si ergò* (vt dictum eſt) *prius ſunt beatitudini determinati, quàm quòd naſcantur à talibus parentibus, per quoſcunq; parentes naſcantur, ex quo habent rationem poſterioris huiusmodi parentes, non poterunt variare determinatos beatificandos à voluntate Diuinâ, quin ijdem in numero naſcantur.* Tunc ego infero. Sed etiam modus naſcendi prædeſtinatorum, eſt quid poſterius ipſis; Ergò non poteſt variare illorum identitatem in numero; Atq; ità, ſiuè illi ſunt carnalitèr modò propagati ab Adamo, ſiuè fuiſſent de Spiritu Sancto & Matre Virgine in Paradyſo, ijdem ſunt in numero: Sed modò, quià carnalitèr geniti, naſcuntur iniuſti, & filij iræ, niſi rurſus naſcantur ex Spiritu Sancto, & aquâ; Ergò debuerunt in Paradyſo naſci de Spiritu Sancto, & Virgine Matre: & ità non de Adamo; quod eſt propoſitum.

17. Confirmatur. Quia ex hâc Doctoris noſtri veriſſimâ doctrinâ, habetur, ſaltem Prædeſtinatos non dependere ab Adamo tanquam à patre, & multominus tanquàm à capite. Abel enim iuſtus potuit eſſe filius Abrahæ, ſicut fuit Adæ: & vt ipſe Doctor Subtilis ibidem in Reſponſione ad inſtantiam ſubdit. *Ex quocunq; iſtorum duorum fuiſſet, idem in numero fuiſſet.* Ergò Adam ſaltem reſpectu prædeſtinatorum non eſt abſolutè ordinatus in Patrem: Nec etiam potuit abſolutè ordinari, vt per carnalem commixtionem ſexuum generaret prædeſtinatos, quià vt D. Thomas 3. p q. 28. A. 1. ad 4. docet: *Virtus Diuina cum ſit infinita, vt non eſt determinata ad vnum effectum; ita non eſt determinata ad modum producendi quemcunq; effectum:* Ergò (infert ibi D. Thomas propoſitum) *vt virtute Diuinâ fieri potuit, vt primus homo de limo terræ formaretur, ità fieri potuit vt CHRISTVS de VIRGINE*

GINE

GINE nasceretur. Tunc ego subinfero: Sed si caput Prædestinatorum sic & non alitèr, cùr non similitèr & cæteri prædestinati? si Adam DEI intentionem non peruertisset: præsertim cùm D. Augustinus lib: 3. de lib: arbitr: cap: 5. dicat: *Quidquid tibi verâ ratione meliùs occurrit, hoc scias fecisse DEVM, tanquam bonorum omnium conditorem.* Sed talis modus propagandorum Prædestinatorum melior verâ ratione occurrit: Ergò eum voluit ab æterno DEVS, & non istum carnalem. Quod est propositum. Hic obiter infero.

18. Corollariè. Quòd solus CHRISTVS est caput omnium Prædestinatorum: Adam verò solum est caput Generis humani, vt propagati per copulam carnalem præter intentionem DEI. Et hoc adhuc cum distinctione debet intelligi. Quia respectu Prædestinatorum, stante casu Adæ, de muliere & ipso conceptorum, est caput per accidens; respectu verò reproborum, circà quos DEVS in tertio signo Doctoris subtilis nullum actum habuit positiuum, est caput per se: Ita quod Cain ab eo descendat tanquàm à capite per se, quia nunquam fuisset, si Adam non peccasset: Abel verò descendit ab eo, vt à capite per accidens; Quia adhuc fuisset aliundè, quamuis Adam non cecidisset. Sed prosequamur nostram resolutionem.

19. Docet illam pulcherrimè, licèt paulò difficilibus verbis, S. Cyrillus Alexandrinus lib: 3. de Trinitate, exponens illud Gen: 2. *Faciamus hominem ad Imaginem & similitudinem nostram.* Sic ergò ille ait. *Ad vnam quandam summam pulchritudinem simul currunt,* (& loquitur de tribus Personis Deitatis) *ad quam & nos configuramur, secundùm Scripturas; obsignamur autem per Filium ad filiationem in Spiritu; Sic enim Imago Filij quidem Filiatio, Patris autem Paternitas: Vndè Filij per Filium, imago autem DEI & Similitudo; manifestum autem, quòd nos ad totam principio formati naturam, nempè ad summam.* Hæc D. Cyrillus. Tunc ego subinfero. Sed Adam nos generans, nequiuit nobis conferre illam vnam summam pulchritudinem, ad quam simul currebant Personæ Diuinæ, producentes hominem, nequiuit etiam nos obsignare ad Filiationem DEI in Spiritu, nequiuit etiam nobis conferre imaginem DEI, & similitudinem; non enim per Adamum Filij, sed per Filium, & consequentèr imago DEI & similitudo; vt loquitur S. Cyrillus: Ergò non Adam debuit esse Pater noster, sed Filius DEI per Spiritum Sanctum nos formans Filios DEI, in vtero Euæ Virginis.

20. Confirmatur hoc, & simul declaratur Minor à nobis subillata, imò. Imago vera alicuius, quatenùs imago eius est, nequit fieri nisi ab illo qui exactè cognoscit eum, cuius imaginem formare vel producere intendit; Sed homo creatus fuit in veram & essentialitèr subsistentem imaginem DEI & similitudinem; Ergò ab eo solo debuit produci, qui DEVM perfectè cognoscebat; Sed *nemo nouit quæ sunt DEI, nisi Spiritus DEI; Ad Cor: 2.* Ergò etiam non alius, & ab initio produxit, & deinceps producere debuit hominem, in veram imaginem DEI, nisi ipsemet Spiritus DEI; Atqui Adam etiam in statu innocentiæ & multominùs post lapsum, nequiuit in-

uit intuitiuè, & perfectè cognoſcere DEVM; Ergò nequiuit eſſe factor proprius imaginis Diuinæ veræ, quæ eſt homo; & conſequentèr, nequiuit eſſe propagator hominum, quâ homines ſunt.

21. Confirmatur ſecundò Phyſicè. Ita eſt comparatum in naturâ, (ſecundum doctrinam Principis Medicorum Hyppocratis,) quod in ſemine ad generandum deciſo, ſit aura ſeu Spiritus ibi latens, tanquam in ſiliquâ nucleus, rei generandæ de materiâ ſeminis productiuus, continens in ſe ideam rei à ſe producendæ impreſſam à generantibus, quæ idea eſt cauſa mouens Spiritum; ad efformandam ſimilitudinem ſpecificam generantium in genito. Spiritum hunc appellat Hyppocrates, *πνεῦμα τὸ ἐνόρμον*, quod ſonat latinè. *Spiritus impetum faciens*; hic enim ſolus ſi benè ſe habet, & non inuenit obicem, benè nos regit, & ſanos conſeruat; ſin minus, ægros facit, ſuoque furore & impetu Oeconomiam vitæ noſtræ peſſundat totam, & ſeipſum furibundus in exitium præcipitat, vndè mors rerum, & noſtra: Sed Adam, cùm fuerit DEI immediata ac vera imago, & non conſtabat hoc ſibi, propter ignorantiam prototypi, niſi ad ſummum coniecturalitèr ex cognitione ſui ipſius, non potuit in auram ſui ſeminis imprimere ideam imaginis Diuinæ, ſed ad ſummum impreſſit imaginem ſui ipſius, ſeu ſui corporis organizati digito DEI; Ergò ad ſummum Adam generauit ſui imaginem, non verò Imaginem DEI. Et hoc expreſsè docet ſcriptura. Gen. 5. *Hic eſt* (inquit) *liber generationis Adam*. Et paucis interiectis, ſubiungit. *Vixit autem Adam* 130. *annis, & genuit Filium, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & vocauit nomen eius Seth.* Vbi noſter Lyranus. *Genuit Filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, id eſt, deſtitutum originali iuſtitiâ, & per conſequens peccatorem, & mortalem, qualis iam erat Adam.* Atqui hoc eſt inconueniens, & contra dignitatem humanæ naturæ, ſcilicet homines genitos ab Adam ſolùm, eſſe imagines imaginis DEI; Ergò hoc DEVS nunquam intendit, aut voluit futurum, vt Adam mediante ſemine, nos propagaret.

22. Præterea. De fide eſt, Animam intellectiuam, non oriri in nobis viâ generationis, ſed infundi à DEO per creationem in corpus organicum; Ergò non Adam, ſed DEVS ipſe vel digitus DEI, qui eſt Spiritus Sanctus, propagator hominis, quâ homo eſt, eſſe debuit. Conſequentia probatur. Quià cum forma conſtituat rem in eſſe rei, & formam hanc, videlicèt Animam intellectiuam, immortalem, conſtituentem hominem in eſſe hominis, Adamica generatio, mediante ſemine, attingere nequeat, ſequitur quod totus homo, à Spiritu DEI eſſe debuit, ex Virgineâ maternâ carne ſecundum corpus, & per creationem, & infuſionem mentis à DEO, ſecundum animam immortalem.

23. Si inſtetur. Etiam animas ſenſitiuas brutorum eſſe deſupèr à DEO, & tamen bruta generare, Ergò ſimilitèr dicendum de hominibus. Reſpondeo. Magnam eſſe diſparitatem inter bruta & homines quoad generationem: quia Bruta, cùm acceperint ex dono ſuæ Creationis animas

ſenſiti-

ſenſitiuas, ſpecificè iuxta diuerſitatem ſpecierum diſtinctas, & ſubſtantialitèr in ipſis exiſtentes, etiam ſimul arripuerunt ſemen vel ſaltem diſpoſitionem ad ſemen in ſe producendum vi animæ ſenſitiuæ, ex alimentis herbarum habentium in ſe ſemina, in quo ſemine deindè ipſa bruta imprimerent ideam diſpoſitiuam, & formatiuam organorum, ex materiali parte ſeminum, in ordine ad animam ſenſitiuam, conuenientem vnicuique ſpeciei, in vltimo puncto perfectæ organizationis corporis, à DEO imprimendam: erant enim à DEO creata cum potentiâ propagandi carnalitèr ſuam ſpeciem. Aſt Homo, qui ſupra bruta conſtitutus fuit Dominus, nullum accepit ſemen, nec diſpoſitionem ad illud, cùm crearetur: imò à tali diſpoſitione, ne in ſe oriretur, prohibitus fuit per interdictum eſum fructus arboris ſcientiæ boni & mali; quod poſtea docebo: bruta ergò ex dono creationis verè generant, quia mediante ſemine; Homo verò carens ſemine ex dono creationis, nequaquam potuit generare. Sicut nec modò poteſt propagare naturam humanam quà talis, ſed aliquid aliud caducum, & præter naturam ſuam: quod poſtea explanabo.

24. Præterea. Si Adam debuit propagare prolem humanam ex inſtitutione DEI, tunc anima prolis propagatæ, vel debuit eſſe ab animâ Patris, vel ab animâ Matris, vel ab animabus amborum ſimul, ita quòd ſaltem in illo ſtatu innocentiæ, Animæ parentum immortales, eſſent Quo generationis noſtræ ad immortalitatem. Sed hæc præterquam ſint contra fidem, docentem animam immortalem nequaquam generari, ſed creari; etiam ſunt contra rationem naturalem; ſecundùm quam Anima prolis nequit eſſe ab animâ Patris; cùm enim progreſſus naturæ in omnibus debeat eſſe ordinarius, & vniformis, etiam ſic eſſet in Brutis; Quod tamen falſum eſt; vt oſtendo exemplo fætus procedentis ex Glire Patre, & Cuniculo Matre, qui eſt totus Cuniculus, exceptâ caudâ Glirinâ, idque & in pelle, & in pilis, & intus, & extrà Si tamen à patre anima iſtius fætûs manaret, neceſſariò deberet eſſe productum, Glis & non Cuniculus. Nequit etiam ſecundùm eandem eſſe ab Animâ Matris, quia aliàs non fieret mola, quæ tamen ordinariè contingit propter effætam vim ſeminis maris; Siquidem hac non obſtante, adhuc Anima Matris ſuppleret defectum hunc, ſi eſſet præciſa cauſa animæ in prole; Nequit item, ſecundùm eandem eſſe ab animabus amborum; quia alias ex duabus animabus, quoddam compoſitum lumen formale animatum proſiliret, quod ſimplicitati & homogeneitati animæ geniti repugnat Et hinc eſt, quod Chriſtiana Philoſophia certò affirmat, ne quidem in brutis deſumi à Parentibus animas, tantòque minùs in homine; Ergò Animæ omnes immediatè creantur à DEO & maximè mens immortalis: Et conſequentèr hinc ſequitur, quòd prima Creatoris intentio non fuerit, vt vir ſe commiſceret fœminæ in generando imaginem DEI, ſed hæc à ſolâ manu Creatoris prodiret.

25. Præterea. DEVS voluit à nobis appellari Pater noſter; Ergò deſignatur, quod pro homine non debuit eſſe paternitas, niſi in ſolo DEO,

ita quòd hominis primordialis generatio, ac propagatio, penes solum DEVM Creatorem fuerit reseruata, prout de facto & modò est, respectu animæ & vnionis eius ad corpus.

26. Præterea. Translatio viri in Paradysum, aliam viuendi sortem, quàm bulluinam præsignabat & requirebat. Et similitèr formatio Euæ in Paradyso, de costâ lateris eiusdem viri, congressum Brutis similem, inter eos vetabat: Quia hic, præter stuprum, etiam incæstum continebat; quod & ipse Adam in statu innocentiæ cognouit, cum dixit. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ, hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* Viraginem ergò vocandam fore pronunciauit Adam, ob consanguinitatem & concorporeitatem, quia (inquit) de viro sumpta est. Sed nota benè, quòd non frustra præmisit; ly. Nunc, quasi diceret: nunc, scilicet in hoc statu innocentiæ. Quia quod postea subdidit, cùm fuerit Propheta, & non ipse, sed DEVS in illo loqueretur, locutus est subintelligendo statum naturæ lapsæ; Ergò hæc fuit intentio creatoris in transferendo Adam de terrâ in Paradysum, & in educendâ Euâ de eius latere ibidem in Paradyso, vt nedum à copulâ carnis abstinerent, sed ne etiam copulam carnalem inter bruta viderent.

27. Præterea. Nati more Adamico, per commixtionem sexuum, à D. Ioanne cap: 1. dicuntur nati ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri. Ergò nasci ex sanguinibus commixtis, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri, non est nasci, ex voluntate seu intentione DEI.

28. Præterea. Lex vetus eos pro impuris habendos censuit, quotquot coniugalitèr cognouissent suas Vxores, ita quòd si non seriò abluti essent, arcebantur à templo; Mulier etiam quæ pepererat suscepto semine, immunda erat; concepti verò, & nati ex eis, in iniquitatibus & peccatis, etiam in nouâ lege, concepti & nati dicuntur: Et ideò sunt Filij iræ, & rei mortis æternæ, nec vnquam capaces Regni DEI, nisi renascantur; Ergò congressus etiam coniugalis, esto iam sit stante lapsu permissus à DEO, & in nouâ lege, ad confusionem Diaboli, quoad præcedentem consensum ad excellentiam Sacramenti eleuatus, & similitèr ex tali congressu sequens conceptio, erat præter primam intentionem DEI.

29. Præterea. Gen: 17. Masculus iubetur circumcidi die Octauâ, quæ est Symbolum æternæ vitæ, in quâ die & Eua ipsa condita erat, vt Virgo Virginem naturam, æternùm victuram, de Spiritu Sancto generaret, vt ostendam Resolutione sequenti. Verba sunt textus sacri. *Masculus qui non circumcidetur carne præputij sui octauo die, peribit anima eius de populo meo.* Et additur causa quare? *Quia testamentum meum dissipauit.* Vbi D. Augustinus lib: 2. de nuptijs & Conc: cap: 11. sic quærit. *Quomodo puer iste testamentum Domini dissipauit, octo dierum, quantum ad ipsum propriè attinet innocens infans? Et tamen nullo modo DEVS, vel Scriptura Sancta id mendacitèr dicit.* Et Respondet. *Tunc ergò dissipauit testamentum DEI, non hoc de impe-*

ratâ

ratâ circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, quandò per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt, & hoc in illo significabatur expiari, circumcisione octaui diei; hoc est Sacramento Mediatoris in carne venturi, & morituri pro nobis, & tertio die, qui post septimum Sabbathi fuerat futurus octauus, resurrecturi, per cuius fidem etiam iusti saluabantur antiqui: Traditus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Hæc D. Augustinus. Tunc liceat inferre. Sed testamentum DEI non est aliud, nisi illa ipsius prima intentio, quâ volebat humanam naturam, in solos prædestinatos æternùm victuros, de Virgine Euâ & de Spiritu Sancto propagari, quod tunc Adam dissipauit, pro se & omnibus posteris suis; Christus autem illud restituit in suâ virgineâ carne, & virgineo sanguine, dicens, vt refert Ecclesia in Canonæ missæ, dum pro consecratione Calicis hanc vsurpat formam. *Bibite ex eo omnes; Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei.* Ergò hæc fuit DEI circà naturam nostram intentio, vt virgo semper esset; & consequentèr, nunquam intendebat DEVS commixtionem sexuum in naturâ humanâ, nec Adam esse Patrem respectu illius propagandæ; ideòque sic propagatum infantem masculum, castigatum die octauâ in carne præputij, in gratiam recipiebat, & vitæ æternæ, cuius octauus dies symbolum est, ex tunc idoneum reddebat.

30. Præterea. Pudor ille nuditatis, mox ab eso pomo prohibito, primos parentes afficiens, roborat nostrum propositum. Si enim vtrumque parentem primum, mox ab eso pomo puduit, & quidem pudore de nuditate pudendorum in eos prorumpente, vt & S. Aug: lib: 2. de nupt: & conc: cap: 30. aduertit: iam pudor iste accusabat illos delicti per illa membra patrati, contra intentionem Creatoris aduersus propriam suam virgineam naturam, ita stimulante isto pomo comesto vetito, in quo erat incentiuum luxuriæ. Quod postea probabo.

31. Præterea. Quomodocunque explicetur, membra genitalia obeditura fuisse ad nutum primis parentibus in paradyso, tamen in ipsâ commixtione nequit vitari turpitudo, & defloratio Euæ Virginis: Ergò præter intentionem DEI, qui est amicus Virginitatis, talis commixtio in naturâ humanâ esset etiam in Paradyso, ob solam turpitudinem, & perditionem Virginitatis.

32. Præterea. D. Thomas in 3. p. q. 28. & q. 15. & q. 31. passim vsurpat hanc maximam. *Quicunque procedit ab Adam, vt à principio actiuo; ille est conceptus in peccato originali;* à quo nec CHRISTVM audet eximere, si ita conceptus fuisset, non de Virgine, sed de muliere, & Adamo vt principio actiuo: Ergò Adam nullo modo debuit esse principium actiuum respectu prolis humanæ, etiam in Paradyso, sinè concupiscentiâ vllâ; alias induceret etiam in statu innocentiæ originalem noxam, & turpitudinem in prolem. Et ita commixtio etiam sinè vllâ concupiscentiâ, tol-

lit ſtatum innocentiæ è diametro, de mente D. Thomæ; & conſequentèr, nec in Paradyſo ex intentione Dei eſſe potuit.

33. Inſuper. Idem euincunt pœnæ, à Creatore poſt eſum pomum vetitum, primis parentibus impoſitæ, quæ omnes, cùm ſint in brutis, arguunt ideò hominem ad pœnas iſtas Brutis vernaculas damnatum, imò & ad peiores; quia brutalitèr propagare naturam humanam, æſtu libidinis, à pomo vetito comeſto exortæ percitus, vnâ cum pruriente eadem concupiſcentiâ, fœminam aggreſſus eſt. Hinc vir damnatus ad quærendum victum de terrâ, proptèr eius peccatum maledictâ, cum ſudore & laboribus; Mulier, ad dolores partus, Menſtrua, quæ Bruta non patiuntur, ſubiectionem reſpectu viri, qui aliquando indiſcretus, vel Zelotypus, tyrannidem in eam exercet; & ambo denique ad tribulos & ſpinas, id eſt, morbos pungentes naturam, & tandem ad mortem. Quæ omnia illis eueniſſe præter intentionem Dei, qui illos felices & æternùm victuros creauerat, ideò, quia & ipſi intentionem Dei peruerterunt, commiſcendo ſe carnalitèr, nemo, vt credo, dubitabit. Hinc infero corollariè

34. Quòd licet D. Auguſt: lib: 9. de Gen: ad literam Cap: 4. videatur ſentire, quòd primi parentes in Paradyſo non coierint: *Quia* (inquit) *debuerunt expectare Diuinam authoritatem, vbi concupiſcentia non angebat:* Tamen colligitur ex textu S. Scripturæ Gen: 3. quòd vrgente concupiſcentiâ, ex manſo pomò vetito, quòd fuit inebriatiuum luxuriæ, & ideò eis prohibitum, ortâ, fœditatem ſtupri, & turpitudinem copulæ compleuerint, in Paradyſo. Tum quia, adhuc in Paradyſo Adam mutauit nomen vxoris; quam enim ab initio creationis vocauerat Viraginem, iam poſt fœditatem vocauit Euam, id eſt, Matrem cunctorum viuentium, non videtur autem cùr debuerit mutari in nomine, ſi non fuiſſet mutata in naturâ virgineâ. Tum quia, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata, ne ſcilicet apparerent in eis ſigna corruptæ virginitatis. Nec huic coniecturæ, ille textus eſt contrarius, qui dicit: quòd poſt eiectionem è Paradyſo, Adam vxorem ſuam cognouit. Quia caſtiſſimus textus S Scripturæ, à Spiritu Sancto Moyſi dictatus, noluit meminiſſe ſtupri in Paradyſo quod vetuerat, & ſolum meminit actus matrimonialis iam permiſſi, in quo poſt lapſum diſpenſauerat, in ordine ad generandam prolem, corruptam quidem, ſed tandem per Mediatorem Christvm reparandam: vndè & ſubditur de Euâ tunc cognitâ matrimonialitèr, & licitè: *Quæ concepit & peperit Cain.* Ille autem coitus nefarius, nequiuit habere comitem conceptum, ob rationes infra dandas. Hæc de Adamo, præter intentionem Creatoris facto patre noſtro. Reſtat reſoluendum & de Euâ, qualitèr & ipſa præter intentionem Dei facta eſt Mater noſtra, admittendo coitum Brutalem, quod fieri noluit optimus Creator. Vndè demonſtrandum eſt, qualitèr Eua Mater fuiſſet ſinè tali coitu. Et Obiectiones contra reſolutionem vtramque militantes, tunc demum ſoluentur. Sit igitùr ſub tali titulo per viam affirmationis.

RESO-

RESOLVTIO QVARTA.

Sola Eua Virgo, intenta fuit à DEO in primam Matrem Generis Humani, accepti pro solis Prædestinatis, quos ipsa concipere debuit de Spiritu Sancto, saluâ virginitate, si de pomo vetito non edisset: & idem de aliis Virginibus prædestinatis sit iudicium.

Cùm Omnipotens Creator, post omnia sex dierum opera, & etiam post ipsum hominem creatum extra Paradysum, Euam in Paradyso, de costâ ex latere Viri translati in Paradysum sumptâ, in Paradyso non formauerit, sed ædificauerit: sublime quoddam mysterium in Euâ, & per Euam gerendum, innuere voluit, & non aliud certè, nisi hoc, quòd præfert Resolutio nostra: Vt scilicet esset hominum æternalitèr viuentium prima Mater, saluâ Virginitate suâ concipiendo prolem, ex obumbratione Spiritûs Sancti, eandemque per nouem mensium tempus in vtero suo vsque ad iustam infantis maturitatem, ex vtero tandem, potiùs ad vitam æternam sinè dolore & apertione vteri omninò clausi funderet pariendo, quàm eniteretur parturiendo. Suadet hoc difficilis ille locus Sacræ Scripturæ, Genes: 2. circa quem enodandum desudat D. August: lib: 6. de Gen: ad literam cap: 4. 5. & 6. Vbi textus sacer hæc habet genuina verba. COMPLEVITQVE DEVS *Die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat; benedixitq; diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit DEVS vt faceret.* Tunc quæro. Quid hoc sibi vult? Compleuit DEVS opus suum, requieuit ab vniuerso opere, cessauit ab omni opere, quod creauit, & tamen subiungitur verbum, vt faceret. Si compleuit, si requieuit, si cessauit, quid rursus post requiem faceret? D. August: vbi supra cap: 5. dubitatiuè quidem, sed tamen resoluit istud verbum ly vt faceret, de die septimo intelligendum esse. Verba eius sunt. *Aut non creauit DEVS septimum diem; aut aliquid creauit post illos sex dies, id est, ipsum diem septimum?* Sit ita. Quia vt ibidem D. August: docet. *Et iste quoque dies creatus est, cùm habuerit manè, licet non habuerit vespere: Non enim censendum est quòd DEVS nihil egerit die septimo, sed quòd aliquid egerit, & postea quieuit, quia adhuc ita creauerat, vt faceret. Fecit er-*

 gò di-

gò diem ſeptimum, diem quietis ſuæ. Hæc D. Auguſt. Sed pace ſaluâ tanti Doctoris, iſta expoſitio non videtur euacuare punctum difficultatis, latens in hoc Verbo; Ceſſauit ab omni opere, quod creauit DEVS, vt faceret. Licet enim fecerit diem ſeptimum, diem quietis ſuæ, tamen non antè factum diem ſeptimum ceſſauit, vt faceret, ſed poſt factum illum diem, quia apertè dicit Scriptura. Requieuit die ſeptimo, nempè facto ipſo die ſeptimo, & tamen ita quieuit, vt adhuc faceret. Manet igitùr in integro quæſtio; Quid adhuc DEVS poſt diem iſtum ſeptimum ſuæ quieti factum & deſtinatum, faceret? Cogit me nimium audere Imaginis Diuinæ iam ſexto die factæ dignitas, quæ Imago DEI ſubſiſtens, homo erat ſexto die de terrâ conditus: Et dicere; Quòd nihil aliud reſtabat faciendum ſupremo Creatori, poſt diem ſeptimum ſuæ quietis factum, niſi dies octauus, ſymbolizans æternitatem, ſeu æternam quietem & felicitatem Imaginis Diuinæ, quo ex Euâ Virgine, eo ipſo die octauo conditâ, naſci debuimus per obumbrationem Spiritus Sancti ad vitam immortalem. Decebat enim, vt diei quietis Diuinæ, qui vltimus eſt dierum, non habens Veſperam, ſuccederet dies quietis Imaginis DEI iam creatæ, quæ reſpectu diei Diuinæ octaua eſſet, reſpectu verò Imaginis DEI creatæ, prima, ſed ex munificentiâ Creatoris, ſe Imagini ſuæ, æternùm communicare diſponentis, nunquam ſequentem habitura; quæ ſi ſuccederet, viciſſitudinis & temporaneitatis potiùs eſſet Symbolum, quàm æternitatis. Hinc igitùr hac ipsâ octauâ die diſpoſuerat DEVS vt Euam faceret, ex quâ æternùm victuri naſceremur, idque ex coſtâ lateris Adæ, ſoporati per immiſſum à DEO ſoporem, qui ſopor ſecundùm Gloſſam in 2. Geneſ. *fuit extaſis, ad hoc à DEO immiſſa, vt mens ADÆ, intrans Sanctuarium DEI, nouiſſima intelligeret, particeps Angelicæ curiæ.* Non alia certè nouiſſima, (*vt ego ſuppono*) niſi æternitatem, vt ita de Adamo æternitatem ſpeculante, in extaſi illâ æternâ, Eua æternitati prolem humanam paritura, educeretur. Hoc igitùr eſt quod DEVS poſt requiem ſuam decreuerat facere, de quo & facer textus, nullâ diei alicuius ex ſeptem præmiſſis factâ mentione, ſubiunxit hæc ſequentia, Gen: 2. *Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius, immiſitq́ Dominus DEVS ſoporem in Adam, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro eâ, & ædificauit coſtam, quam tulerat de Adam in Mulierem.* Quod totum clarè conſtat factum eſſe non ſexto die, nec ſeptimo certè, qui dies quietis eſſe ſupponitur; atquè ita ad diem quietis Diuinæ, quaſi accedente & adiunctâ octauâ die, quæ reſpectu noſtri prima dierum eſt, nempè noſtræ æternitati dans principium, per Euæ Virginis, æternùm victuræ prolis æternæ Matris, ædificationem.

2. Vndè pro meliori claritate hactenùs dictorum, hunc accipe ordinem. In ſexto die, formauit DEVS Adamum de terra, in campo Damaſceno, vt plurimorum SS. Patrum vult authoritas. In ſeptimo, requieuit, eâ tamen lege, vt adhuc faceret. In octauo, transtulit Adamum de terrâ in Paradyſum, in figuram translationis humanæ naturæ poſtea futuræ per

ræ per

ræ per CHRISTVM glorificatorem, de Paradyſo terreſtri in cæleſtem gloriam, Vtque electi alij ab Adamo naſcerentur, poſtea per CHRISTVM ſimilitèr in cœlum transferendi, eodem octauo die de latere extatici Adæ ſumptâ coſtâ, ædificauit eam in mulierem, quam deſtinauit fore fundamentum noui ædificij ciuitatis ſupernæ Hieruſalem, per propagationem prædeſtinatorum, intercedente imprægnatione per obumbrationem Spiritûs Sancti, ſaluâ Virginitate concipientis & parientis Euæ. Sicut enim poſtea, cùm venit plenitudo temporis, quo DEVS reparare propoſuit genus humanum collapſum per alienam ab intentione Creatoris propagationem carnalem, Spiritus Sanctus ſuſcitauit humanitatem Chriſti, in vtero Virginis Mariæ, de ſanguine eius puriſſimo; ita ab initio ſtatim, ſi callidum ſerpentis infernalis, de manducando pomo vetito, luxuriæ in naturam Virgineam Euæ inductiuo, conſilium ſpreuiſſet, idem Spiritus Sanctus ſuâ obumbratione, in ſanguine arteriali puriſſimo Virginis Euæ, conceptionem humanæ prolis cauſaſſet, erigendo in iſtâ prole ſic conceptâ ſimulachrum Diuinitatis, cum omnibus ſuis chariſmatibus, ſtante illæſâ Virginitate, ita quòd (vt aliqualiter clariùs hunc modum quo Eua tunc concepiſſet explicem) produceret Spiritus Sanctus ſimulachrum Diuinitatis, ſiuè Mentem, quæ eſt Imago DEI, in ſanguine arteriali cordis Euæ, ipsâ nedùm conſentiente, (ideò enim & à Beatâ VIRGINE conſenſus per Angelum Gabrielem eſt poſtulatus) ſed etiam ardentèr cum ſummâ deuotione (fortè propterea ſexui iſti ex dono creationis ſuperadditâ, in cuius actu & pio exercitio, & ipſa B. VIRGO ab Angelo ſalutata eſt, iuxta omnium SS. Patrum ſententiam) id deſiderante: Mens autem ſic in ſanguine arteriali cordis Euæ concepta, eodem inſtanti temporis ſigillaret materiam collectam à Spiritu Sancto, efformando in eâ ſpeciem humanam, licèt exiguam, quæ mox penetrando dimenſiones, à corde tranſiret in vterum, ſicque in inſtanti conceptio prolis humanæ in vtero Euæ compleretur perfectiuè; vbi incrementum & maturitatem, ab Archeo humano, in maſsâ ſanguinis Euæ collecti, in corde ſimul cum mente concreato, ſumeret, & poſt nouem menſes, tandem clauſo vtero, ſinè omni dolore, & ſaluâ Virginitate matris, naſceretur: ſicut poſtea de facto conceptus eſt homo DEVS in corde Virginis inchoatiuè, & ſimul (neſcit enim tarda mollimina Spiritûs Sancti operatio) in vtero completiuè.

3. Et confirmat hanc de Euæ formatione die octauo ſententiam, triduum, quod CHRISTVS obſeruauit in noſtrâ reparatione ad æternam gloriam, cùm reſurrexit æternùm victurus. Sexto enim die, Hominem quaſi iterum creauit, dum eum intercedente paſſione ſuâ & morte, à lapſu erexit, & reparauit: Septimo die, quieuit. Octauo tandem die, clauſo ſepulchro prodijt ad vitam, verus & iam æternùm victurus homo. Quod perpendentes SS. Patres, Sepulchrum CHRISTI comparant cum vtero Virginali. Pro quo accipe Sanctum Bernardum Serm: de Septem ſignaculis in die S. Paſchæ, ſic inquientem. *Conſtat proindè, clauſo exiſſe tumu-*

lo rediuiuum corpus, quod clauso vtero VIRGINIS, natum processit in vitam. Ex quo sanè datur intelligi, quòd si non comedissent illi primi homines pomum incentiuum luxuriæ, ex Euæ vtero, quæ est opus octauæ diei, ita prodijssemus ad vitam æternam, per diem octauam symbolizatam, sicut, CHRISTVS nos reparans prodijt, die octauo ex sepulchro clauso, tanquam ex vtero Virgineo mystico, æternùm iam victurus, nec ampliùs moriturus. Accinit & D. Ambrosius, cuius pulcherrimum conceptum do ad propositum Serm: 56. *Corpus Domini custodiuit Iosephi tumulus incorruptum, sicut seruauit MARIÆ VIRGINIS vterus illibatum: Hîc enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur; Vbiq; beato corpori defertur Sanctitas, vbiq; Virginitas, nouus illud venter concipit, nouus tumulus includit. Dominica ergò & Virgo vulua, & Virgo est sepultura. Quin potiùs ipsam sepulturam vuluam dixerim; est enim similitudo non parua. Sicut enim Dominus de matris vuluâ viuus exiuit, ita & de Iosephi sepulturâ viuus surrexit.* Hæc D. Ambrosius.

4. Præbet etiam nobis ad hanc Resolutionem tutò & piè amplectendam viam, Humanitas CHRISTI, de VIRGINE MARIA & de Spiritu Sancto concepta, ita tamen quòd Spiritus Sanctus nullo modo sit Pater humanitatis CHRISTI, cùm CHRISTVS quatenùs homo careat Patre, eò quòd materialis conceptio illius, ex solâ Matre Virgine sumpta sit. Quarè si CHRISTI veri hominis generatio temporalis processit absque Patre de solâ Virgine Matre, cùr nobis piè contemplari non liceat, eodem prorsùs Diuino modo obumbrationis Spiritûs Sancti, de Euâ Virgine, nostram generationem, qui DEI imago vera sumus, stabiliendam fuisse ex destinatione DEI, nisi eam Adam peruertisset? Cùm enim CHRISTVS reparator & restaurator nostræ naturæ corruptæ, eam de facto tali conceptu suo reparauerit, & (quod magis vrget) carnem hanc quam de Virgine per obumbrationem Spiritus Sancti accepit, in cibum, & sanguinem in potum, Eucharistiam instituendo, nobis dederit, & sub comminatione terribili perditionis æternæ illis verbis Joan: 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, manducanda bibendaque hæc mysteria præceperit, manifestè sequitur, quod hoc nobis CHRISTVS secundus Adam, restituerit, quòd primus ille Adam abstulerat, scilicet carnem Virgineam; vt ita virgineæ eius carni communicantes, Adamicum & belluinum, cœlo & saluti æternæ penitùs ineptum, exuamus hominem, & induamus IESVM CHRISTVM, florem omnis Virginitatis, de Virgine conceptum; secundùm quod igitùr fuit naturæ humanæ corruptio, secundùm idem facta est & reparatio, quia vt dicit Albertus Magnus super missus est, q. 1 *DEVS modo perditionis, modo liberationis directè obuiauit, & quod prima Eua abstulit, hoc VIRGO MARIA almo germine reddidit, vt canit Ecclesia.* Atqui Eua secunda, conceptam prolem de Spiritu Sancto, illibatâ cum Virginitate protulit pro mundi vitâ, dicente CHRISTO Joan. 6. *Caro mea est pro mundi vitâ;* Ergò & prima Eua

Eua talem ex destinatione DEI proferre debuerat, si à pomo vetito naturam libidinosè fermentante abstinuisset.

5. Hùc spectat dictum Prophetæ de CHRISTO tunc futuro, & electos redempturo, Zachariæ 9. *Et saluabit eos DEVS eorum in die illâ, vt gregem populi sui, quasi lapides sancti eleuabuntur supèr terram eius.* Et subdit statim, quomodo saluabit, & per quid eleuabuntur, dicens. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Quæ verba explicans S. Paschasius lib: de corp: & sang: Domini Cap: 21. *Magnum* (inquit) *bonum & summæ benedictionis arcanum in Eucharistiâ Ecclesiæ CHRISTI præparatur, vbi CHRISTVS est conuiua deliciarum, & conuiuium. Vbi notandum, quòd non nisi electorum est cibus, ex quo bonum salutis Ecclesiæ, & pulchritudo decoris præstatur, quia etsi quotidiè sordescit,* (hoc verbum pondera pie Lector, non enim videtur, quod tota Ecclesia sordescat quotidiè coram DEO, quasi continuò peccans, Sancta enim est, vt docet articulus fidei, sed solùm sordescere dicitur coram DEO, quia membra eius in hoc sæculo generant & generantur, mediante belluinâ & concupiscente propagatione, quæ sordet coram DEO, vt potè contraria intentioni eius) *exindè reparatur, vt sponsa CHRISTI, sinè maculâ & rugâ, talibus inueniatur respersa muneribus. Felix fructus vbertatis, ex quo Virginitas germinatur; Nam in hoc nostri germinis vino, castitas corrumpitur, & ab isto, Virgines procreantur.* Quid pulchrius? Hoc & noster Lyranus in idem caput Zachariæ tradidit, dicens. *Sanguis CHRISTI, sub specie vini, multiplicat Virgines in Ecclesia, sequentes in vestigia CHRISTI.* Neque dicas. Ista moralitèr vel allegoricè à SS Patribus dici. Non dicas inquam. Quia decens est Diuinæ misericordiæ, in nostrâ restauratione manifestatæ per incarnationem CHRISTI de VIRGINE, vt etiam literalitèr intelligatur hæc Prophetia, modo iam declarato.

6. Confirmatur etiam ista doctrina à D. Chrysologo, qui Sermone 143. quærit. *Quæ nascendi necessitas DEO, cui suppetat faciendi potestas? Quæ?* Et respondet. *Vt ipsam naturam nascendo reficeret, quam fecerat operando, quia quæ facta fuerat vt generaret ad vitam, ipsa generabat ad mortem. Per peccatum primi hominis natura lethale vulnus accepit, & cæpit esse origo mortis, quæ erat initium vitæ; hoc est ergò negotium natiuitatis, quod nasci compulit CHRISTVM, vt naturæ curam natiuitas daret authoris, & naturæ curatio, esset viuificatio filiorum.* Et Serm: 87. *Pascebatur* (inquit) *steriliate natura, ne ipsâ fœcunditate grauiùs desæuiret, fletus potius editura, quàm pignora, quæ vtiq; lachrymis, mœrore, gemitu, tanto tempore suum quærebat & interpellabat authorem, intelligens hoc sibi accidisse per culpam, non esse ab authore pijssimo institutum cum crearetur. Hinc est, quòd Dominus conditor ipse naturæ, viam Virginei conceptus, Virginei partus, inuisibili vestigio & ignoto calle pertransit, & iter humani ortus Diuino gressu ambulat non humano, vt nascendo ipsam naturam à seruitute mortis, cui taliter addicta fuerat primitùs, liberaret, & fonte purgato, supernam riuulis redderet puritatem.* Quæ sanè D. Chrysologi dicta, palam testantur, quòd CHRI-

stvs ſumens carnem de Virgine, noſtram originem corruptam reformauit, & nos in carne belluinâ, beſtiali modo conceptos & natos, carne ſuâ virgineâ nobis in cibum datâ, in Virgines, per communionem Eucharisticam cum ſuâ carne, transformauit participatiuè in eandem carnem, prout ab initio ſecundùm intentum Dei eſſe debuerat. Si namquè Adam per ſtuprum Euæ ad propagationem prolis humanæ ſe non immiſcuiſſet, ſola Eua Virgo prima mater noſtra eo modo fuiſſet, quo B. V. Maria Mater humanitatis Christi extitit. Nec opponas. Quòd naſci de Virgine, ſoliusChristi fuerit priuilegium, qui cùm Devs ſimul & homo fuerit, non decuit eius Humanitatem concipi, niſi de ſubſtantiâ Virginis, & de Spiritu Sancto. Non opponas inquam. Quia Christvs non quâ Devs præcisè conceptus eſt de Virgine, ſed quâ homo verus. Placuit autem SS. Trinitati, vt hominis iſtius ſic concepti dependentia, terminaretur ad perſonam Verbi, vt ſimul eſſet Devs homo, quia ei placuit, nedum reſtaurare hominem in priſtinam excellentiam, ſed & ſimul euehere ad conſortium Diuinæ naturæ, ſicut adhuc fuiſſet, quamuis Adam non peccaſſet. Quod ſimul dignatus eſt facere Devs, in maiorem apoſtatæ Angeli confuſionem. Licèt igitùr modò ſtante ruinâ naturæ, ſolius Dei hominis ſit de facto iſtud priuilegium ſpeciale, quòd ſit conceptus de Virgine; tamen in illo ſtatu innocentiæ, hoc fuiſſet omnibus electis commune, & Christvs tunc incarnatus, nihil ex hac parte ſpeciale habuiſſet: Ex aliâ tamen parte, ſcilicèt ex vnione hyppoſtaticâ cum naturâ humanâ de Virgine conceptâ, haberet maximam inter omnes electos ſpecialitatem, quia hac vnione hyppoſtaticâ cum noſtrâ naturâ, eſſet omnium prædeſtinatorum glorificator, quod nulli alteri in illo ſtatu, niſi ſoli Christo vt capiti, competere potuit.

7. Præterea. Adduco pro iſtâ Reſolutione, D. Auguſtini acumen, Serm: 16. de Tempore, ita in Natali Domini diſſerentis. *Grande nobis myſterium Diuina maieſtas in Adæ figurâ præmiſit. Sicut enim DEVS noſter cùm primum Adam facere vellet, non ex coniunctione viri ac mulieris hominem vt eſſet, effecit, ſed accipiens terram, indè hominem Diuinâ quâdam arte formauit; ita ſinè viri coniunctione, DEVM in VIRGINALI aluo incorporari diſpenſauit.* Tunc licebit ſic inferre. Si digitus Dei, id eſt, Spiritus Sanctus, Adamum de terrâ Virgine formauit; cùr de ſanguine arteriali puriſſimo Virginis Euæ, filios in humanâ naturâ formare non debuit, absque coniunctione viri cum ea? & maximè cùm id naturæ humanæ in illo felici ſtatu conuenientius, & imagini Diuinæ, quæ homo eſt, neceſſarium fuerit, vt Reſolutione præcedenti aliqualitèr oſtenſum eſt. Sed proſequamur acumen D. Auguſtini, cuius hæc eſt illatio. *Ergò ſi tunc licuit hominem ſinè homine naſci, cùr non licuit hominem ſinè homine per MARIAM VIRGINEM* (ego à paritate omnimodâ addo) *per Euam Virginem, procreari?* Et paucis interiectis ſubdit. *Ibi tunc flatus DEI de terrâ, viuum hominem ſurgere fecit ad vitam; hîc mundum Spiritus Sanctus de MARIA VIRGINE CHRISTVM hominem figura-*

figurauit, in quo DEVS ad reparationem hominis habitaret: Adam enim ibi tunc nascitur, hîc renouatur, & resuscitatur in CHRISTO. Et concludit. *Fuit similis reparatio, quomodò fuit & hominis creatio.* Tunc ego sic pauca appono. Homo est creatus de terrâ Virgine, reparatus de MARIA VIRGINE; Ergò & propagandus fuit ex Euâ Virgine, si debeat respondere reparatio hominis, corruptioni eiusdem Originali; nisi enim originalitèr corruptus fuisset, reparatione ex Virgine non indiguisset, sed solùm glorificatione.

8. Præterea. Inter omnes Creaturas quibus benedixit DEVS illis verbis Gen: I. *Crescite & multiplicamini &c.* Homo est dignissima creatura propagabilis per generationem; Ergò propagatio eius debuit esse nobilissimus effectus generationis post Diuinam generationem nobilissimæ; Sed post generationem Diuinam non videtur esse alia nobilior istâ, de quâ loquitur Resolutio præsens; quia est symbolum expressissimum generationis æternæ, ex quo est vnius de vnâ Matre, sicut illa est vnius de vno Patre; Ergò talis esse debuit, si Adam non peruertisset eam.

9. Præterea. Ex Patre se solo in creatis, nequit haberi effectus propagationis. Tum quia (secundùm Aristotelem) *Masculus est, qui generat in alio.* Tum quia, non esset ratio, quarè potiùs diceretur Pater quàm Mater, si generaret prolem, propagando eam in seipso. Tùm quia, in Viro nec est locus conceptionis, nec formationis, nec nutritionis prolis, nec etiam potest fieri, vt vir subitò in se formet prolem, quæ nullibi sit recepta, quia ad hoc requiritur virtus infinita generandi, sicut est de facto in Patre cœlesti, quæ in nullâ creaturâ est possibilis, etiam per DEI potentiam absolutam. Ast è contra, benè potest esse ex solâ matre. Tùm quia de facto talis propagationis nobilissimæ, est iam effectus nobilissimus CHRISTVS Dominus, docente id fide, in illo Articulo; Natus ex MARIA VIRGINE; Tùm quia secundùm Doctorem Subtilem in 3. Dist: 4. q. Vnicâ §. Sed hic est dubium &c. etiam modò in isto statu pœnali, Matres immediatè agunt ad terminum generationis prolis humanæ, quia (verbis Doct: Subtilis vtar) *posito semine, quomodocunq; alterato in ordine ad generationem, si DEVS per suam potentiam absolutam illud poneret extra matricem, non fieret generatio, ob defectum actionis matris.* Ex quo infert. Quòd non videtur multùm inconueniens, attribuere totam actionem matri respectu prolis. Et dat rationem, quòd hoc non sit inconueniens *Quia* (inquit) *factâ decisione seminis Patris, tota sequens formatio vsq; ad partum, videtur principalitèr sequi conditiones Matris.* Ergò cùm penes solam Matrem sit immediata actio respectu prolis producendæ, etiam modò post lapsum, secundùm Doctorem Subtilem; & possibile sit solam Matrem generare, non verò solum Patrem Creatum; Cùr Virgo Eua nequiuerit esse Mater nostra prima in statu innocentiæ, stante illæsâ Virginitate, concipiendo imaginem DEI de Spiritu Sancto? non video.

10. Præterea. Ad perfectissimam generationem secundùm naturam,

ſcilicet paſſiuam, ſequitur perfectiſſima generatio ſecundùm naturam, ſcilicet actiua. Patet hoc. Quia ſi effectus generationis eſt perfectiſſimus in naturâ, etiam & generatio eius perfecta eſt: Sed perfectior eſt generatio naturalis, vnius de vno, quàm vnius de duobus, Ergò in iſtâ generatione humanâ perfectiſſimâ inter creatas generationes, debuit eſſe vnius de vno, Sed non de Patre abſque matre, vt oſtenſum eſt, Ergò de ſolâ Matre; Sed perfectior & nobilior eſt maternitas cum incorruptione, quàm cum corruptione, quòd eſt ad propoſitum noſtræ Reſolutionis, Ergò ſic debuit generari homo, ſecundùm primæuam intentionem DEI. Confirmatur ex D. Thoma 3. p. q. 31. A. 5. ad 1. & q. 28. A. 2. in quibus locis vult S. Doctor, CHRISTVM qui venerat corrupta reparare & purgare, nullam debuiſſe Matri ſuæ corruptionem inferre, ac proindè de Virgine Matre eum naſci oportuiſſe; Sed etiam electos in illâ innocentiæ incorruptione, non decuit naſci cum Matrum ſuarum corruptione, Ergò ex intentione DEI, nati fuiſſent in illo ſtatu de Matribus incorruptis, in Virginitate concipientibus, & parientibus. Sanctus etiam Chryſoſtomus Tom. 6. hom: de Ieiun: & Eleem: accinit dicens. *In Paradyſo erat virginitas, & à Dracone corrupta eſt; propterea medijs temporibus non apparebat: Cùm autem venit is qui ex virgine natus eſt IESVS CHRISTVS DEI Filius, tunc rurſus apparuit.*

12. Præterea. Albertus Magnus ſuper Miſſus eſt, loquens de B. Virgine, & declarans quòd ſit Mater & Virgo, ſic diſcurrit. *Quidquid eſt in arte exemplari Diuinâ, totum debet eſſe declaratum & exemplatum, in exemplo creato, Ergò & generatio Diuina aliquod debet habere exemplum in naturâ: Sed in Diuinâ generatione vnus de vno eſt, ſinè corruptione & commixtione, Ergò & in generatione B. MARIÆ reſpectu CHRISTI, vnus de vnâ eſſe debuit, ſinè corruptione & commixtione.* Sed eadem ratio pro naturâ noſtrâ innocente & pro quolibet electo quadrat, Ergò hæc in ſtatu illo innocentiæ de Matre Virgine propagari debuerat, vt ſola talis imaginis DEI generatio, inter omnes aliarum creaturarum generationes, Diuinam exemplaret generationem. Addit Albertus quaſi pro confirmatione ſuæ rationis. *Quòd prima dignitas in Diuinis eſt, à quo alius per generationem.* Et dicit; *Quòd hæc dignitas eſt communicabilis creaturis.* Sed (ego infero) nulli commodiùs & congruentiùs quam Imagini DEI, Ergò ſicut ſolus Pater in Diuinis eſt à quo alius, ita ſola Mater Virgo in humanis eſſe debuit à qua alius, cùm Pater in creatis à quo ſolo ſit alius, eſſe non poſſit.

13. Præterea. Sententia eſt Theologorum & præſertim D. Thomæ 3. p. q. 1. A. 3. ad 3. *Quòd capacitas humanæ naturæ, ſecundùm ordinem potentiæ naturalis, à DEO ſemper impletur.* Sed natura humana, quatenùs à DEO in innocentiâ inſtituta, capax fuit iſtius perfectionis, vt ita propagaretur in illo ſtatu, ſicut fuit propagata à Virgine Matre in CHRISTO; Ergò in quolibet electo ordinariè DEVS hanc eius capacitatem ſimilitèr impleuiſſet, vt propagata foret à ſolâ Matre Virgine.

14. Præ-

14. Præterea. Ex doctrinâ præclarissimorum in Ecclesiâ Theologorum, sequitur nostrum propositum, qui docent. *Quòd CHRISTO concepto de Spiritu Sancto ex MARIA VIRGINE, iure ipso naturalis conceptionis, quatenùs Spiritus Sancti virtute ex Virgine genitus est, competebat, adeò ab omni culpâ immunem ac liberum esse, vt si per impossibile vnio hypostatica non redderet eum ab omni culpâ liberum, adhuc ipsa conceptionis eius ratio, redderet eum talem.* Sed DEVS quemlibet electum voluit ab æterno concipi & nasci, tali conceptionis modo, qui eum faceret ab omni culpâ immunem; & iste modus conceptionis non videtur esse alius, nisi iste de Virgine & Spiritu Sancto; Ergò iste est modus nostræ propagationis intentus à DEO, quem Adam, cum Euâ peruerterunt.

15. Adde. Quòd si CHRISTVS quatenùs purus homo, etiam vt præscindens ab hyppostaticâ vnione, eo ipso quod ex Virgine natus est, ab omni culpâ immunis fuit; prout D. Thomas in varijs locis suæ doctrinæ determinat, sed præsertim 3. p. q. 34. A. 1. ad 2. dicens. *Ille solus natus est veraciter Sanctus, qui ex commistione copulæ carnalis conceptus non est.* Ergò cùm in illo felici statu innocentiæ, soli electi nati fuissent, secundùm Doctorem Subtilem in 2. Dist: 20. q. 2. oportuit eos nasci ad hoc, vt Sancti & iusti nascerentur, ex Virgine Matre, cum ista sit causa præcisa, quòd quis nascatur iustus & Sanctus.

16. Præterea. D. Thomas 3. p. q. 31. A. 4. ad 3. sic arguit. *A CHRISTO omnis debuit abesse immunditia, Ergò non debuit concipi de fœminâ concipiente cum carnis libidine.* Et q. 28. A. 1. *Non fuit* (inquit) *conueniens, CHRISTVM Matris honorem nascendo diminuere.* Et eadem quæst: A. 3. *Læsio Virginitatis DEIPARÆ post partum, & derogat dignitati CHRISTI, quem decuit esse vnigenitum Matris, tanquam perfectissimum germen eius, & iniuriam facit Spiritui Sancto, cuius sacrarium fuit vterus Virginalis.* Sed ista S. Thomæ dicta, æquè militant pro electis in statu innocentiæ generandis, ac pro CHRISTO ipsorum capite, quà homo est; quia etiam ab vnoquoquè electo, ceù à verâ & subsistente imagine DEI, debuit abesse omnis immunditia, nec erat conueniens eos honorem Matrum suarum nascendo diminuere, transferendo eas de statu Virgineo in non Virgineum; Et ita læsio ista Virginitatis in Matribus post partum, derogaret dignitati electorum, quia si nati fuissent ex non Virginibus Matribus, ipso facto non fuissent innocentes & iusti, sed noxij Matribus & iniusti: Sicut derogasset & ipsius CHRISTI dignitati, *qui* (ex Sententia D. Thomæ) *si fuisset natus de muliere, non fuisset iustus;* Ergò oportebat omninò vnumquemque electum, nasci ex Virgine Matre, & Spiritu Sancto, ad hoc, vt nasceretur iustus, & ad intentionem DEI, qui omnes electos, iustos nasci voluit ad vitam immortalem.

17. Præterea. Sap: 6. dicitur. *Incorruptio facit esse proximum DEO;* Sed homo inter omnes creaturas generabiles seu propagabiles, est proximus DEO, ratione DEI, quæ est ipsi intima ex dono creationis, Ergò

ſaluâ incorruptione Matris, propagari debuit, ſi Deo proximum ob incorruptionem naſci eum oportuit. Aliàs ſi Mater concipiens & pariens Filium, fieret corrupta, etiam natura Filij, procedens ex Matre, eſſet corrupta, & ita non proxima Deo, cùm nemo dat quod non habet, iuxta vulgò receptum prouerbium.

18. Inſuper, ex parte Spiritûs Sancti id videtur poſſe probari ſic. Gen: 2. dicitur. *Formauit igitur Dominus DEVS hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius Spiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Et Eccl: 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Tunc ex his duobus Scripturæ locis, ſic ad propoſitum argumentari licebit. Si præmonuero priùs, Lectorem, quòd ly ſimul, hîc non accipitur collectiuè quaſi vnico inſtanti omnia ſex dierum opera Deus creauerit; aliàs Sapiens contradiceret Moyſi; ſed diſtributiuè, pro generibus ſingulorum, vt ſit ſenſus: Vnamquamque rem in ſpecie, quam creauit Devs, creauit eam ſimul; id eſt non procedendo ab imperfecto ad perfectum, ſed ſtatim in primo inſtanti, ſuum quodlibet opus faciendo perfectiſſimum. Iuxta illud Moyſi, Deut: 32. *DEI perfecta ſunt opera:* Ita igitur arguo. Ad hoc vt homo eſſet creatura & opus Dei, omninò debuit creari ſimul, id eſt, ſtatim in primo inſtanti ſui eſſe, totus & perfectus, Ergò qui inſpirauit in eum Spiraculum vitæ, idem eum formauit, & in animam viuentem fecit, ita quòd in vnico inſtanti formatus & viuificatus eſt, ſi Dei perfecta ſunt opera: Sed viuificatus eſt primus homo per Spiraculum vitæ; Spiraculum autem vitæ à nullâ ex perſonis Diuinis ita appropriatè videtur proceſſiſſe, ſicut à Spiritu Sancto, quem Eccleſia in Symbolo Nicæno appropriatè vocat, Dominum viuificantem, Ergò idem Spiritus Sanctus hominem primum ſimul viuificauit, & ſimul formauit, ita quòd formans viuificauit, & viuificans formauit: Sed ſi primus homo ſic ſimul, cùr non deinceps alij, maximè cum Spiritus Sanctus neſciat vbique tarda molimina? non videtur ratio; niſi quia homo ille primus ſic ſimul formatus, ad ſe rapuit & ſibi vſurpauit deinceps propagationem ſui generis, (perſuaſus ab illo qui rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, vt & ille rapinam arbitraretur eſſe ſe æqualem Spiritui Sancto Domino & viuificanti) per quod propagationem noſtram ſimultaneam, commutauit in temporaneam, cuius terminus ens imperfectum, caducum, & mortale; tritum eſt enim illud Ariſtotelis. *Embrio priùs viuit vitâ plantæ, deindè vitâ animalis, & tandem vitâ hominis.* Et illud Apoſtoli. *Non priùs ſpiritale, ſed priùs animale, deindè ſpiritale;* ita quòd ordinariè quadraginta dies intercedant, inter noſtram ſeminationem Adamicam, comitem conceptum habentem, & plenam animationem, Ergò ſi iſta variatio propagationis noſtræ, per hanc Adæ rapinam Spiritui Sancto irrogatam, non fuiſſet, ſolus Spiritus Sanctus noſter viuificator & formator ſimultaneus fuiſſet; Sed non iam de terrâ; quia alias iam non eſſet naturæ humanæ propagatio, ſed potiùs creatio, quòd eſt contra Verbum Dei expreſſum, propagationem humanæ natu-

næ naturæ intendentis, illo textu Gen: 1. *Crescite & multiplicamini &c.* Ergò de Euâ Virgine, ad hoc ex costâ Adæ productâ; quod est propositum nostræ Resolutionis.

19. Qu d autem ad Spiritum Sanctum magis appropriatè pertineat formatio & viuificatio hominis simultanea, id est tota simul & perfecta, quám ad alias duas Personas Diuinas; in quo solo est vis tota istius discursus, probo multiplicitèr. Tum quia, homo ad hoc creatus est, secundùm doctrinam omnium Theologorum, vt DEO vniretur, & quidem duplici vnione, scilicèt vnione naturæ atomæ, absque propriâ personalitate, ad personam Diuinam Verbi; & vnione naturæ, suâ personalitate personatæ, in vnoquoque electo ad essentiam Diuinam, mediante vnione beatificâ; Ergò Spiritui Sancto, qui est vnio Trinitatis, & nexus personarum Diuinarum, Patris scilicèt & Filij, subsistens, appropriari debuit productio hominis cuiuslibet, tandem DEO hypostaticè in personâ CHRISTI, & beatificè, in Personis singulorum electorum vniendi. Tum quia, creatio Primi hominis, & eius propagatio, in hunc finem, vt DEO hâc duplici vnione vniretur, destinata erat ex motiuo infinitæ bonitatis, & charitatis Diuinæ, eratque donum istud homini gratuitè collatum, maximum super omnia dona; Ergò in executione homo formandus & viuificandus relictus est Spiritui Sancto, appropriatè loquendo, qui solus inter personas Diuinas appropriatè est charitas, bonitas, & donum. Tum quia, imaginem DEI, DEO simillimam nullus potuit efformare aptius & appropriatius, quàm ille, qui nouit exactè omnia quæ sunt DEI; Sed solus Spiritus Sanctus hæc omnia exactè nouit; Iuxta illud Apostoli, *Nemo nouit quæ sunt DEI, nisi Spiritus DEI.* 1. *Cor:* 2. Ergò solus Spiritus Sanctus hominem, qui est vel saltem esse debuit, pura & exacta Imago DEI, ex vi suæ productionis, producere semper debuit, loquendo appropriatè.

20. Tum tandem, ex doctrinâ Doctoris Subtilis in secundo, Dist: 1. q. 1. A. 2 id potest probari, vbi assignat duos ordines naturæ in Diuinis, scilicèt vnum instans naturæ, in quo originantur Personæ Diuinæ secundùm se: alterum instans naturæ, in quo eædem Personæ Diuinæ originantur secundùm quid, id est, secundum esse creaturarum à se producibilium, tam in esse secundùm quid, quàm in esse simplicitèr; ita quòd priùs naturâ intelliguntur Personæ Diuinæ simplicitèr originatæ, ita quòd Pater sit à se, Filius à Patre, Spiritus Sanctus ab vtroque, quàm intelligantur, intelligere, velle, & creare creaturam aliquam cum eodem ordine, scilicet quòd Pater intelligat, & velit, & creet à se, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque. Verba Doct: Subtilis sunt ibi §. Quantùm ad hoc igitur. *&c. Dico simplicitèr, in Diuinis ordo naturæ primus est; ita quòd simplicitèr procedendo, in primo instanti naturæ, debet assignari totus primus ordo originis, & si in secundo instanti naturæ assignetur ordo originis, non est primus ordo originis, sed secundus.* Ex quo vult habere Subtilis Doctor, quòd non priùs intelligitur in DEO respectus aliquis ad Creaturas, quàm præintelligatur

DEVS in personis Trinus, vt ibi latè per totum secundùm articulum probat. Tunc sic ad propositum. Secundum illud instans naturæ, immediatè sequitur spirationem passiuam Spiritûs Sancti, quia non priùs intelligitur creatura à totâ Trinitate, quàm intelligatur in primo instanti naturæ, & tertio originis, originatus Spiritus Sanctus; Ergò quidquid originatur circa creaturas in Trinitate, originatur immediatè post Spirationem Spiritûs Sancti, Sed quod immediatè intelligitur post originationem Spiritus Sancti, illud videtur magis appropriatè pertinere ad Spiritum Sanctum, quàm ad alias Personas, Ergò primum opus Trinitatis ad extra, scilicet CHRISTI Incarnatio, & cœtera omnia in CHRISTI Incarnandi gloriam ordinata, & maximè Homo, magis immediatè & appropriatè pertinet ad Spiritum Sanctum, quàm ad alias Personas. Et sic intelligendum & explicandum censeo illud Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Et. *Spiritus Domini ornauit cœlos*; Job. 26. Et. *Spiritu oris eius omnis virtus eorum*; Psal: 32. & multa talia. Quia ad Spiritum Sanctum ex eo capite ista appropriatè pertinere videntur, cùm non priùs intelligantur, quàm Spiritus Sanctus perficiat Spiratione sui passiuâ, tertium signum originis, primi instantis naturæ, siquidem tertium seu vltimum signum originis simplicitèr, videtur esse primum originationis secundùm quid, & ita quasi simultaneum, aut saltem immediatè intellectum cum signo originationis Spiritûs Sancti. Confirmatur hoc ex eodem Doctore in primo, Dist: 12. vbi docet, prout & hac dist: primâ secundi, q. primâ, in Solut: tertij Principalis; repetit. Quòd *illud* (verba sunt eius) *quòd est principium actuum ordinatorum, non intelligitur esse in potentiâ proximâ ad actum remotum, nisi vt est sub actu priori: Sicut anima nunquam esse intelligitur in potentiâ proximâ ad actum volendi, nisi vt est in actu intelligens, quia quandò est in potentiâ proximâ volendi aliquid, actu intelligit illud, quia nihil est volitum nisi cognitum.* Ex quo vult habere Doctor Subtilis in 1. dist: 17. quòd licèt Pater sit spirator voluntate fœcundâ, non tamen spirat Spiritum Sanctum nisi priùs per memoriam fœcundam generet Filium. Et hîc in secundo Dist: 1. q. 1. vult habere, quòd Pater & Filius, licèt sint omnipotentes & creatiui creaturarum, non tamen de facto creant aliquid, nisi prius ambo spirent Spiritum Sanctum, Ergò cùm non priùs potentia creandi exeat in actum à Patre & Filio, quàm compleatur Trinitas per Spiritum Sanctum; sequitur, quod creatio rerum omnium, & maximè Hominum, appropriatè spectat ad Spiritum Sanctum. Et hoc innuit Doctor Subtilis loco citato dicens. *Licet quodlibet essentiale ad se, præcedat aliquomodo notionale, tamen non oportet omne essentiale, sub omni respectu ad extra, posse præcedere quodcunque notionale.* Hoc est dictum. Licèt Pater in Diuinis sit omnipotens, & Filius similitèr omnipotens, & Spiritus Sanctus etiam omnipotens, quia omnes tres habent vnicam essentiam indiuisam omnipotentem, tamen nisi notio Spiritûs Sancti, scilicèt spiratio passiua antecedat, complens quasi intrinsecè Trinitatem, nihil fit circâ creaturas, ita quòd nec actu intelliguntur, nec intenduntur à

DEO

DEO, nisi post istam notionem. Meritò ergò ad Spiritum Sanctum censetur appropriatè pertinere creaturarum, & maximè hominis formatio, & viuificatio.

21. Tum deniquè, quia fœcunditas non videtur excludenda à Spiritu Sancto; Nam DEVS Pater generat Filium, & Filius genitus à Patre, vnâ cum eo per voluntatem fœcundam spirat Spiritum Sanctum, Ergò Spiritui Sancto competit fœcundare creaturas, quasi immediatè. Et hoc exprimitur non obscurè Genes: 1. illis verbis. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Vbi alia versio habet. Spiritus Domini incubabat. & alia. Fouebat aquas; dabat enim statim ab initio, aquæ vim concipiendi in se rerum semina, in ordine ad propagationem eorum; quæ creanda erant de ipsâ, tanquam de materiâ, iuxta sententiam D. Augustini de Gen: contra Manicheos lib: 1. cap: 7. *Materia informis dicta est aqua, super quam ferebatur Spiritus Domini, sicut superfertur fabricandis rebus voluntas artificis.* Et paulò infrà. *Quia omnia quæ in terrâ nascuntur, siuè animalia, siuè arbores, vel herbæ, & similia, ab humore incipiunt formari, atquè nutriri.* Sed præcipuè hanc fœcunditatem exercere debuit Spiritus Sanctus in naturâ humanâ de Virgine Euâ propagandâ, vt tandem sic propagata, vniretur in atomo Verbo DEI, & glorificaretur. Quorum primum, licèt peruerterit lapsus Adæ, non tamen secundum; licet & primum saltèm in CHRISTO, Spiritus Sanctus deduxerit ad executionem, imprægnando Virginem MARIAM. Et hanc causam, audeo dicere, fuisse creationis mundi, & in eo Hominis ceu Domini, & ipsius lapsi reparationis; scilicèt: quia natura humana creata erat tandem operatione Spiritûs Sancti, saltem in vnico induiduo, DEO hypostaticè vnienda, mediante fœcundatione Virginis per Spiritum Sanctum: quod obiter insinuasse sufficiat.

22. Præterea. Doctor Subtilis in 3. Dist: 4. q. vnicâ §. contra ista &c. docet. Quod *ad hoc, vt B. VIRGO actiuè se haberet in conceptione humanitatis CHRISTI, non fuit necesse, vt illi daretur aliqua Virtus supernaturalis, quâ mediante, posset cooperari Spiritui Sancto illam conceptionem operanti. Aliàs VIRGO gloriosa esset solùm per accidens Mater CHRISTI, non per se.* Ex quo ibi concludit, quod VIRGO fuit vera & naturalis Mater CHRISTI, quâ veri hominis; Sed si sic erat in VIRGINE MARIA, respectu CHRISTI, saluâ Virginitate generandi, sequitur quòd etiam sic fuit in Euâ VIRGINE, respectu alicuius electi gignendi, Ergò etiam Virgo Eua cum omnibus ad gignendum, saluâ Virginitate requisitis creata erat, vt exiret similitèr in actum generationis, superueniente in eam Spiritu Sancto: ob omnimodam paritatem hinc indè.

23. Præterea. DEO semper Virginitas & castitas placuit. In statu enim naturæ, Abel Martyr & Virgo fuit. In statu legis, Elias & Hieremias. In statu gratiæ, Virgines omnibus alijs electis præferuntur. E contrâ verò, coniugium, iuxta Apostolum, est secundùm Indulgentiam, ex quo scilicet iam corruptâ naturâ originalitèr per Adam, nequit esse alitèr

propagatio prolis humanæ, nisi per copulam maris & fœminæ. Vocanturque actus coniugales à castissimo textu Sacræ Scripturæ, nomine turpitudinis, & sordis, iuxta illud Apoc: 14. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Ergò si in naturâ lapsâ, in omni statu eius, DEO placet Virginitas, placuitquè & placebit, certè multò magis in illo statu innocentiæ, maximè cùm alius modus propagandæ prolis humanæ compossibilis cum Virginitate Euæ fuerit, qui & modò ad effectum deductus est à Spiritu Sancto in Virgine MARIA.

24. Præterea. CHRISTVS amator castitatis, & apex Virginitatis, in hoc & in futuro sæculo discernit electos per castitatem, ita quod Virgines dicit afferre fructum centesimum, continentes post amissam Virginitatem, sexagesimum, castos in coniungio & thoro immaculato contentos, tricesimum, prout Sancti Patres illam parabolam CHRISTI de semine Luc: 8. exponunt; inter hos tamen, solis Virginibus confert Aureolam martyrio adæquatam, iuxta illud Isai: 56. *Non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis:* (& certè non alijs, nisi quos in Euangelio asseruit dicens; sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum; Matth: 9.) *Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui,* (id est castitatem in naturâ humanâ, quam DEVS intendebat sempèr) *& tenuerint fœdus meum; Dabo eis in domo meâ & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Ergò si DEVS sempèr intendit quod melius & naturæ humanæ à se perfectè creatæ conuenientius est, sequitur, quòd nunquam intendebat ablationem Virginitatis ab Euâ, in ordine ad propagationem generis humani. Imò potiùs in Euâ Virgine omnes nos desponsabat sibi, vni viro Virginem castam exhibere CHRISTO suo, quem vt glorificatorem in naturam humanam, mediante vnione Hyppostaticâ, mittere decreuerat. Atque ita ex intentione DEI, Eua Virgo generare debuit imaginem DEI, nisi inobedientia cum esu pomi vetiti iuncta, naturam & originem nostram, præter intentionem DEI, corrupisset.

25. Præterea à contrario; *Eua post transgressionem, abiecta est vt pareret, & in doloribus pareret.* (vt verbis Tertulliani vtar, lib: de carne CHRISTI cap: 17.) Ergò certum esse debet, quòd antè transgressionem, sinè dolore peperisset; Sed non videtur conuenientior huius ratio, nisi quia etiam clauso vtero & saluâ Virginitate concepisset, & non alio modo, nisi eo qui nobis manifestatus est in Virgine MARIA concipiente Filium suum, Ergò &c. Et confirmatur. Quid enim commune habet dolor partus cum esu pomi? maximè apud illum, qui iustus iudex & vindex peccatorum decernit, vt *quantùm quis glorificauit se & in deliciis fuit, tantùm detur ei tormentorum & luctus. Apoc:* 18. nisi vetitum pomum comestum, operatum fuisset concupiscentiam carnis, & congressum cum viro, per pruritum carnis in vtroque, concitasset? Ergò iustè plectuntur genitalia mulieris, & vterus, qui edendo insons est, reus verò in concipiendo de viro, dolore partûs

tûs affligitur, quia contra intentionem DEI, propagationi prolis humanæ, cum corruptione Virginitatis indulsit, seu incubuit. Ita vt vel hinc appareat, Euam nunquam in tales conceptus prolium fuisse à DEO destinatam, sed in talem, qualem præfert Resolutio nostra.

26. Præterea. D. Augustinus lib: 14. de Ciuitate DEI, cap: 16. sic ait. *Quis autem amicus sapientiæ, Sanctorumq́ gaudiorum coniugalem agens vitam, & sicut Apostolus monuit, sciens vas suum possidere in Sanctificatione & honore, non in morbo desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant DEVM, non mallet si posset, sine hac libidine filios procreare?* Et lib: 5. contra Iulianum cap: 12. *Si proles aliter quàm per copulam carnalem generari posset, actus matrimonialis esset illicitus.* Sed in illo statu naturæ institutæ, sinè istâ libidine proles haberi potuit, & aliter quàm per actum matrimonialem; Ergò sic fuisset, si Adam non peruertisset, scilicèt de Euâ Virgine.

27. Præterea. In statu innocentiæ, antè esum pomum, inter illos duos Adamum & Euam, matrimonio rato coniunctos, actus matrimonialis, aut erat licitus? aut illicitus? si illicitus? Habeo propositum, quod Eua debuit esse Virgo, & tamen propagatio prolis humanæ fuisset in Paradyso, secundum verbum DEI, Crescite & multiplicamini: si licitus? Ergò eos pudere non debuit, sed decere, sicut amicos sapientiæ & Sanctorum gaudiorum; Sed positâ quâcunque modificatione circa actum coniugalem, adhuc ille nequit esse sinè pudore, vt latè D. August: lib: 14. de Ciuit: DEI Cap: 18. deducit, Ergò prorsùs nullo modo iste actus ibi fuisset.

28. Præterea. Gen: 2. Mulieri dixit DEVS. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos in dolore paries Filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Quòd de factò ita est. Multiplicatæ sunt enim mulieris ærumnæ; quia modò mulier quæuis, siuè Virgo, siuè maritata, siuè vidua, omnem morbum bis patitur; irruit enim in eas morbus quiuis, & ex corruptione naturæ deprauatæ, sicut irruit & in viros, & ex vteri furore, qui cùm non sit destinatus ad concipiendum de viro ex dono primæ creationis, & tamen sentit se esse obnoxium, & vi pomi comesti dispositum ad recipiendum semen virile, furit & furendo affligit miserum sexum omni genere morborum; non esse autem vterum muliebrem destinatum ad concipiendum de viro, præter iam dicta, probat ipsa sexus muliebris deuotio, ita vt fœminæ per anthonomasiam ab Ecclesiâ appellentur, Deuotus sexus, & certè non nisi ratione vteri, regimen in totam mulierem habentis, & eam à viro discriminantis: pudor enim & deuotio singularis in DEVM, videntur esse ratione vteri fœminis indita, vt quæ debuerant concipere de Spiritu Sancto, essent verecundæ, & cultui Diuino magis addictæ. Multiplicati sunt quoque conceptus, quia stante statu innocentiæ, soli prædestinati de Spiritu Sancto & Virgine Matre gignerentur, & fortè vna vnum prædestinatum peperisset: Modò verò abiectæ sunt Matres etiam ad partus reproborum, imò prima Mater corrupta, primogenitum genuit reprobum; In dolore quoque pariunt fœminæ, vt potè quæ apertionem claustri

M 2 virginita-

virginalis licèt dolorificam, libentèr sustinent. Sub viri potestate constituuntur, & ita sub eius potestate sunt, vt aliqui mariti Tyrannidem in eas exerceant; quia se viro stuprandas in primà Matre Euâ submiserunt. Sileo hîc nauseas & inquietudines, quibus à conceptu de viro, mox circumagitur mulier, quas non patiuntur bruta; sileo menstrua, quæ sola mulier patitur, licèt cæteræ animalium fæmellæ illis careant. Atqui ista omnia arguunt non debuisse Virginem Euam concipere de viro seminalitèr, Ergò tales conceptus sunt præter intentum Creatoris, & destinationem Virginis Euæ, quæ in conceptum de Spiritu Sancto Imaginis DEI destinata fuit, in primæuâ sui creatione.

29. Insuper. Bonitas infinita proprio complacentiæ motu, ab æterno tanto hominem dilexit amore, quòd statuerit suam Diuinitatem illi connectere, in vnitate suppositi Filij DEI, Sed Filius DEI potuit suâ Personâ terminare dependentiam naturæ humanæ ad suppositum, etiam conceptæ de viro, & tamen id non fecit, sed defacto terminauit dependentiam naturæ humanæ virgineæ conceptæ de Virgine sinè viro, Ergò natura humana ad tantum fastigium destinata, Virgo esse debuit, stante virginitate & propagari: maximè cùm secundùm D. Nazianzenum, Poëmate de Laud: Virgin. *Prima Trias Virgo sit.* Cùr igitur & Imago Trinitatis, non Virgo? cùm Trinitati cum illâ tantum commercium, mediante Personâ Filij DEI futurum erat?

30. Denique addo pro coronide congruentiam. Siquidem proli Regiæ, & Dominatrici omnium animalium, qualis est proles humana, congruebat alitèr concipi & suscitari ad vitam immortalem, quàm prolificabant ista, quæ pedibus eius subiecit omnipotens Creator, alias etiam in illo statu innocentiæ, conueniret cum brutis in origine suâ, si per copulam maris & fœminæ, licèt sinè pruritu concupiscentiæ gigneretur: Sed non est assignabilis alius conuenientior modus, quàm is, quem præfert Resolutio nostra, Ergò iste fuit.

31. Sed contra doctrinam in his duabus Resolutionibus positam argues. DEVS antè lapsum, instituit Matrimonium, dicente Scripturâ Gen: 1. *Masculum & fœminam creauit eos, benedixitq́ eis DEVS, & ait: Crescite, & multiplicamini & replete terram.* CHRISTVS etiam Matth: 19. ad illam Pharisæorum interrogationem: An liceat homini dimittere vxorem suam, quâcunque ex causâ? Respondit. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos; & dixit: Propter hoc dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vnâ: Itaq́ iam non sunt duo, sed vna caro: Quod ergò DEVS coniunxit, homo non separet.* Apostolus quoquè ad Eph: 5. inquit. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in CHRISTO & in Ecclesiâ.* Ecclesia autem fuisset & CHRISTVM sponsum habuisset, quamuis Adam non peccasset, & consequentèr istud Sacramentum fuisset. Accedit Authoritas Ecclesiæ, quæ in Paradyso antè lapsum, Matrimonium institutum agnoscit; quod & omnes Sancti

Patres

Patres vnanimitèr fatentur: Ergò intendit DEVS propagationem Generis humani, per Patrem Adamum & Matrem Euam, intercedente copulâ carnali.

32. Respondeo non peruicacitèr, sed sicut congruit & decet loqui Filium S. Francisci, qui totum ordinem suum specialitèr obligauit ad obedientiam Sanctæ Sedi Romanæ, & subiecit pedibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Quòd DEVS antè lapsum instituit matrimonium ratum, nunquam tamen consummandum, atquè ita instituit verum matrimonium, in sui perfectione, demptâ & seclusâ ab eo omni imperfectione. Ratio huius dari potest. Quia cùm Matrimonium non habeat honestatem ratione suæ consummationis nisi ex intentione prolis, quam consummantes intendunt, sequitur, quod si alio modo DEVS in Paradyso propagationem hominum fore disposuerat, iam conuictum maris & fœminæ solùm in adiutorium instituit; non verò in consummationem carnalis copulæ, causâ procreandæ prolis. Vndè Gen: 2. dicitur. *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius, & dixit DEVS; non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et licèt S. Augustinus in plerisque locis suæ doctrinæ, istud adiutorium ratione copulæ, in ordine ad prolem procreandam explicet, hoc tamen ideò, quia respexit ad hunc statum pœnalem, in quo alitèr fœmina in adiutorium viro non datur, nisi isto fine: quod tamen in illo statu innocentiæ alitèr potuisse fieri, non negat, vt patuit ex allatis hìc dictis eius. Poterat ergò in Paradyso fuisse consensus mutuus maris & fœminæ in conuictum, sic ordinante DEO, imò de facto sic fuit; sicque coniuncti consensu mutuo, quoties ambo desiderarent, & peterent prolem à DEO, DEVS per superuentionem Spiritûs Sancti in Virginem Euam, concederet eam habere in vtero; atque ita vt loquitur D. Augustinus 9. de Gene: ad literam cap: 3. *Poterant in Paradyso eis esse nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus.* Et vt Resolutione tertiâ eum adduxi, *Solo pietatis affectu, nullâ corruptionis concupiscentiâ, haberentur Filij.* Si enim, secundùm omnes Theologos, oblationes & preces parentum, in lege naturæ iam lapsæ, purgabant prolem natam à peccato originali, & conferebant gratiam gratum facientem eidem; à fortiori id poterant coniuges in naturâ innocente in impetrandâ à DEO prole; quia hoc erat tunc ordinis naturalis, istud verò sempèr est ordinis supernaturalis: Et maximè in hoc impetrando Euæ Virginis preces, vota, desideria, & efficax consensus, haberent robur, cui DEVS ad hoc à DEO postulandum, maiorem præ viro, cum verecundiâ iunctam deuotionem, ex dono creationis indiderat. Accedit. (vt & supra dixi) Quòd quomodocunque accipiamus, primos homines antè peccatum genitalibus membris ad procreationem prolis imperare potuisse, sicut cæteris in quouis opere sinè voluptatis pruritu: tamen sempèr esset in congressu illo turpitudo: imò ob rationes pro resolutionibus istis datas, nullus istius congressus esset effectus, vt infra clarè probabo. Quæcunquè igitùr Ecclesiæ decreta de matrimonio consummato, censenda sunt

da ſunt procedere pro ſtatu iſto, ſtante ſcilicet impoſſibilitate humanæ propagationis ſinè copulâ maris & fœminæ, loquendo ordinariè: corruptâ enim Virginitate in naturâ, præcluſa eſt eo ipſo via caſtiſſimo Spiritui Sancto, ne operaretur in non Virgine conceptum Imaginis DEI immediatè; licèt adhuc mediatè, ſcilicèt poſtquam generatio carnalis, quod ſuum eſt animale perfecerit, quod fit intra quadraginta dies à conceptu, ex infinitâ bonitate ſuâ, infundat animam immortalem. Iſtam igitur copulam, iam ex hac causâ permiſſam, quia DEVS vt potè præter intentionem ſuam exortam, & ex ſe inhoneſtam, honeſtare voluit varijs circumſtantijs; etiam Eccleſia optima Diuinæ voluntatis interpres, & veritatis columna, legibus Diuinis inhærendo, tot decretis cohoneſtauit. Et quod aſſiſtentiam Spiritûs Sancti reſpectu Eccleſiæ Romanæ in ipſius decretis arguit, à miniſtris proximè corpus CHRISTI Virgineum, de Virgine ſumptum reſpicientibus, quales ſunt Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, capacitatem Matrimonij, à Spiritu Sancto edocta, omninò excluſit, vt ſaltem illi abſtinerent ab iſto contractu ſeruili, & difficili, per cuius vſum caro prodit Adamica; de quorum caſto miniſterio prodit vel prodire debet immaculata & Virginea CHRISTI caro, pro mundi vitâ à CHRISTO ſuæ Eccleſiæ data, in Sacramento Euchariſtiæ. His præmiſſis.

33. Reſpondeo ad ſingula. Cùm dicis. *Maſculum & fœminam creauit eos*, Et ex hoc vis habere, quòd ita fecit in ordine ad conſummandam copulam; nihil obtines. Quia ſcrutaris occulta DEI; Et eſt ac ſi quæres. Cùr DEVS Adamum permiſit tentari? Vel cùr DEVS Adamo & Euæ dedit organa generationis? Dico ergò tibi, quòd ideò: Quia voluit DEVS, vt in hoc conſiſteret vis primæ tentationis illorum; propterea ergò. *Maſculum & fœminam creauit eos.* Et quia Euam ordinauerat in conceptum Virgineum humanæ prolis, dedit quoque illi organa generationis, ſcilicet vterum. Et quia præſciebat in hac tentatione ſuccubituros, præmonuit & vetuit, vt ſibi à fructu arboris ſcientiæ boni & mali, in quo latuit fermentum luxuriæ, cauerent; cùm hoc tamen, in caſum ſuccubitionis, quam certò prænouerat futuram, maſculum & fœminam fecit eos, etiam notas ſexuales ab extra illis affingendo, arboremque illam vetitam ad hoc in medio Paradyſi creando, vt eſſet ambobus occaſio tentationis. Aliàs ſi DEVS organa generationis, & notas ſexuales ambobus antè caſum non dediſſet, non fuiſſet in eis ex pleno tentatio; & demùm exortâ concupiſcentiâ in eis per comeſtum pomum, debuiſſet DEVS, aut illis poſt lapſum ſuperaddere organa generationis, & notam ſexuum, aut genus humanum, illis deletis, delere funditùs; de quo tamen alitèr diſpoſuerat, etiam permiſſo lapſu: Quod repugnat ſapientiæ DEI æternæ, diſponenti omnia ſuauitèr. Quarè autem ſic fecit? Dico tibi, quòd voluntatis diuinæ non eſt quærenda ratio à priori. Congruentia tamen ad hoc affertur à D. Auguſtino lib: 11. de Gen: ad literam cap: 4. dicente. *Non eſſet laudabile homini, ſi benè viuere poſſet, quia nemo malè ſuaderet viuere, cùm in naturâ poſſe, & in poteſtate*

ſtate haberet velle non conſentire, DEO iuuante. Quarè dico tibi, quòd hoc ideò fecit Deus vt Adam & Eua haberent in naturâ poſſe, in caſum quo ſuccumberent tentationi, quamuis ſi voluiſſent, & Deo monenti & præcipienti paruiſſent, vitare caſum potuiſſent. Quapropter non fruſtrà Maſculum & fœminam creauit eos Devs, licèt non in ordine ad conſummandam copulam carnalem, de neceſſitate propagationis naturæ. Ad illud. *Creſcite & multiplicamini &c.* Dico, quòd nec ex hoc ſequitur neceſſaria ad propagationem matrimonij conſummatio. Devs enim hìc intendit propagationem naturæ humanæ, modo perfectiori saluâ Virginitate: quaſi diceret; Creſcite & multiplicamini ſecundùm intentionem meam, ſicut congruit multiplicari Imaginem Dei, ſcilicèt de Virgine & Spiritu Sancto, & hoc, ſi perſeueraueritis in ſtatu innocentiæ; replebitiſquè terram, eo modo multiplicati, non hanc morientium extra Paradyſum, ſed iſtam viuentium, quæ eſt in Paradyſo; Quod ſi cecideritis, prout præuidi & certò ſcio vos caſuros, & Virginitatem amiſſuros, etiam ſic creſcite, & multiplicamini, & replete terram morientium, vt electi à me intenti, etiam de Viro & muliere naſcantur, per Christvm meum redimendi, & glorificandi. Quomodo poſt diluuium etiam Noë benedixit cum filijs eius, eâdem benedictione. Quia vt ait D. Auguſtinus lib: 2. de Nuptijs & concup: cap: 9. *DEVS nec ab ipsâ vitiatâ deprauatâq; naturâ ſuam abſtulit bonitatem, vt auferret hominum fæcunditatem, viuacitatem, ſanitatem, ipſamq; ſubſtantiam animi & corporis, ſenſûs, atq; rationem, alimenta, nutrimenta, incrementa: qui etiam facit oriri ſolem ſuum ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & quidquid boni eſt naturæ humanæ à DEO bono, etiam in illis hominibus eſt, qui non liberabuntur à malo.*

34. Quòd ſi inſtes. Devs ſimili benedictione benedixit beſtijs & hominibus, Ergò tam illæ, quàm hi eodem modo, ſcilicet per congreſſum ſexualem multiplicari debuerunt, ex ordinatione Dei. Reſpondeo negando illatum. Quia licèt Devs omnibus hac eâdem phraſi propagationem naturæ per indiuidua iniunxerit, tamen modum propagationis, ad hunc vnicum per ſexualem congreſſum non reſtrinxit, ſed iuxta ſpeciei cuiuſque exigentiam, propagationem fieri voluit: ita quod humanam naturam, ſi perſeueraſſet in ſtatu innocentiæ in Virginitate, Virgineam propagandam voluerit; ſic cecidiſſet, iam brutali modo, qui inter quadrupedia viget, multiplicandam decreuerit, vt potè quadrupedibus & jumentis jam comparatam, & ſimilem illis factam. Anguillas item modo ſuæ naturæ conuenienti, ſinè commixtione ſexuali, (quod omnes Philoſophi docent) in aquis multiplicandas reliquit; ſicut & apes in aëre, & conſtanti Hiſtoricorum Philoſophorumque traditione, Phœnicem Arabiæ; Ergò inſtantia iſta nihil obtinet contra nos, niſi quatenùs iam aſſimilati ſumus iumentis inſipientibus & ſimili modo multiplicamur, etiam ſic corruptam naturam noſtram propagante, & multiplicante Deo.

35. Ad Christi ad Phariſæos reſponſum. Dico, quòd procedat pro

pro hoc ſtatu pœnali, in quo DEVS ordinauit culpam primorum parentum per pœnam, ſcilicèt per contractum matrimonialem difficilem, vt eum vocat Doctor Subtilis in 4. diſt: 26. q. vnicâ, ideò. *Quia ex eo naſcitur obligatio valdè difficilis, ſcilicèt indiſſolubilitas, cuius tamen obligationis ratio eſt honeſtas*, ita quòd etſi hæc indiſſolubilitas eſt valdè difficilis, ſeruilis, & pœnalis, tamen vt coniunctio viri & fœminæ matrimonialis, maximè per actum copulæ maritalis, ſit honeſta, hâc indiſſolubilitate honeſtauit illam DEVS. Quam quia Moyſes proptèr duritiam cordis Judæorum, in lege veteri, ne grauiora incommoda ſequerentur in duræ ceruicis populo, relaxauerat; CHRISTVS in ſuâ lege Euangelicâ, reuocauit, & inuiolabitèr tenendam decreuit, exceptâ causâ fornicationis. Et quòd pro ſtatu hoc pœnali loquatur CHRISTVS, dicens; *Propter quod relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit vxori, & erunt duo in carne vna*; penſa verba eius, quæ ſtatim ſubiunxit; *Itaq; iam non ſunt duo, ſed vna caro; Quod ergò DEVS coniunxit, homo non ſeparet.* Hoc eſt dictum. DEVS dixerat ab initio. Erunt duo in vnâ carne, id eſt, erunt duo matrimonio ratò juncti in vnâ prole, ad illorum pia vota Spiritu Sancto impprægnante ſemel quamlibet conjugem; tunc enim caſti & virgines parentes ipſi prædeſtinati, vnicam prolem prædeſtinatam peperiſſent. Sed quia homo corrupit in ſe & in primâ fœminâ Virginitatem, ipſo facto verba iſta DEI, *Erunt duo in vnâ carne* peruertit; quia facto ſtupro, per commixtionem ſexualem, qui debuerunt eſſe duo in vnâ carne prolis, dicit CHRISTVS, quod iam non ſunt duo, ſed vna caro; quare? Quia commiſcuerunt carnem ad inuicem per copulam, & conſequentèr, quia per ſemetipſos & culpam ſuam, ex duobus facti ſunt vnum, iuſto DEI iudicio, debent iam poſt completum actum copulæ matrimonialis, indiſſolubilitèr manere: Quod ſi non conſummaſſent copulam, ſicut vna caro non fuiſſent, ita conſequentèr, nec iſta ſeruilis & pœnalis indiſſolubilitas inter eos, ex lege DEI interceſſiſſet.

36. Roborat hanc interpretationem Verborum CHRISTI, ipſa veridica CHRISTI interpres Eccleſia, dùm permittit ſeparari coniuges Matrimonio rato & non conſummato coniunctos, & liberum relinquit vni illorum, inuito altero, ſtatum perfectiorem, ſcilicèt Sacerdotij vel Religionis arripere. Quare? Quia adhuc ſunt duo. Aſt in Matrimonio conſummato id nunquam præſumit, niſi in cauſa adulterij. Quare? quia iam coniuges non ſunt duo. Quòd ſi contingat alterutrum coniugem diuidere carnem per adulterium, iam innocens coniux, ipſo CHRISTO permittente, poteſt ſi vult, à noxio ſeparari. Quare? quia iterum ille peccando factus eſt duo, diuidendo carnem cum altero à proprio coniuge; Quo facto, coniux innocens ſoluitur ab obligatione indiſſolubilitatis. Et hoc eſt, quòd CHRISTVS concludendo ſubtexuit; *Quod ergò DEVS coniunxit, homo non ſeparet*; Loquitur enim de ſtatu pœnali naturæ iam lapſæ, in quo plerunque matrimonium ratum, conſequitur eius conſummatio, quâ completâ, DEVS eos lege indiſſolubilitatis coniunxit, quàm legem nullus à DEO, ita

quòd

quòd nec ipsa Ecclesia, potest immutare, exceptâ causâ fornicationis. Potiùs ergò hæc CHRISTI ad Pharisæos responsio est pro nostris Resolutionibus, quàm contra eas. Aliàs si ista verba à CHRISTO hîc citata, DEVS per os Adæ protulit, etiam pro statu innocentiæ; sequeretur quòd lex Euangelica, in quâ CHRISTVS suadet Virginitatem, & eam præfert Matrimonio, esset contraria statui innocentiæ.

37. Ad verba Apostoli dico. Quòd DEVS habuisset Ecclesiam, etiamsi nunquam copula carnalis fuisset inter marem & fœminam, in naturâ humanâ, hoc stante solo matrimonio rato, & nequaquam consummato; imò adhuc veriùs tunc repræsentaretur casta coniunctio CHRISTI cum Ecclesiâ quàm modò, vt ex se patet. Voluit tamen DEVS, etiam post casum Adæ habere Ecclesiam, ex filijs concupiscibilitèr & cum rugâ istius fœditatis genitis, quia permisit eos sic nasci, quos ordinauit per lauacrum regenerationis mundandos, & in membra CHRISTI coaptandos fore. Imò ex amoris sui superabundanti bonitate, ipsum consensum maris & fœminæ in matrimonialem copulam gratiâ prolis, post natiuitatem regenerandæ, in excellentiam Sacramenti, denotantis vnionem CHRISTI cum Ecclesiâ indissolubilem, euexit, ad maiorem confusionem Diaboli deceptoris, idquè non antè fecit, nisi postquam mundauit Ecclesiam suo sanguine in cruce, & eam secum coniunxit, mediante vnione hypposticâ, & ad se traxit magnâ ex parte, per exhibitam passionem, liberando Sanctos Patres ex limbo, & per apertam ianuam Regni Cælestis, in thalamum gloriæ suæ introducendo eos.

38. Ad Authoritatem Ecclesiæ & SS. Patrum, dici potest, quòd ipsa & illi, si agnoscunt omninò Matrimonium in Paradyso antè lapsum, solùm de Matrimonio rato loquuntur, nequaquam verò de consummato; & hoc vel indè patet; quòd SS Patres & Doctores Ecclesiæ palam testantur, potuisse esse alium modum in Paradyso propagandæ naturæ humanæ, quàm istum per consummationem Matrimonij; Vt liquet ex allatis locis ipsorum, in his duabus Resolutionibus.

39. Et pro confirmatione totius istius Responsionis de matrimonio solùm rato, nunquam tamen consummando in illo statu felici innocentiæ, placet proponere omnium oculis matrimonium secundæ Euæ, videlicet MARIÆ Virginis, cum suo sponso castissimo Josepho, de quo fusè D. Augustinus ostendens eius veritatem disserit. lib: 1. de Nuptijs & concupiscentiâ, & tamen ibi consummatio eius nunquam intendebatur ex parte amborum: quòd tamen matrimonium præfert ibi D. Augustinus omnibus quorumcunque sanctissimorum coniugum matrimonijs. Cùr igitur non similitèr futurum fuisset in statu innocentiæ? non videtur cùr negare debeamus? Legatur attentè D. Augustinus loco citato, non enim ob discursus eius ibi prolixitatem, censui eius verba huc transferenda esse, sufficiet mihi breuiùs eius testimonium pro me citare, quod in simili materiâ scripsit, Epistolâ 199. ad Editiam, in matrimonio Virginem; vbi dicit. Sanctius & per-

fectius esse tale coniugium, quod est inter coniuges sinè vllo respectu ad copulam: Verba eius ibi sunt hæc. *Non quia pariter temperabatis à commixtione carnali, ideò maritus tuus esse desiterat; imò verò tantò sanctiùs coniuges manebatis, quantò sanctioris vitæ concorditer placita seruabatis.*

40. Argui potest secundò in contrarium sic. Carnis copula inter coniugatos propter propagationem prolis, est cum magno coniugum eo fine se copulantium merito; Sed si inter coniugatos non fuisset ab initio de intentione Creatoris, saltem esset indifferens, & non meritoria, Ergò fuit de intentione eius, etiam in Paradyso. Respondeo; quod post quam stante lapsu Adæ, impossibile est iam alitèr posse procreari prolem, nisi per copulam, cùm iam ablata sit omnis spes mulieri corruptæ, concipiendi de castissimo Spiritu Sancto, & consequentèr toti naturæ, iam ex hac corruptione primæ Virginis corruptæ, & deprauatæ ortæ; iam actus coniugalis permissus est à DEO, sed tamen ordinatus & honestatus multis circumstantijs: vndè si secundùm illas circumstantias fiat, est meritorius; non ex se, quia sic sumptus, est inter coniugatos indifferens, sed per conformitatem ad rectitudinem, à DEO per circumstantias finis & aliarum similium, illi adnexam. Quarè argumentum hoc, nihil contra me concludit, vt patet.

41. Argui potest tertiò sic. Si solus sexus fœmineus destinatus est ad generationem humanæ prolis in illo innocentiæ statu, Ergò tunc sexus virilis esset frustra, nec erat tunc necesse vt viri nascerentur. Respondeo primò distinguendo consequens; Ergò &c. esset frustrà; comparatus ad generationem humanæ prolis, concedo; Comparatus ad alia cultum DEI concernentia, nego. Probabile est enim dicere, quòd fœmina Virgo destinata fuerit ex intentione primæuâ DEI, in generationem Imaginis DEI de Spiritu Sancto; Vir autem destinatus sit, ex eâdem primæuâ intentione DEI, in Sacerdotium DEI summi, vndè & modò in hoc statu pœnali, soli masculi sunt capaces characterum Ordinis, fœminæ nequaquam. Et vt ita sentiam, moueor ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, in quibus viros saluatos, textus sacer vocat Sacerdotes, quasi vnus quisque vir id recuperet in regeneratione, quod amisit in carnali generatione sui, nec vllis viribus suis id possit acquirere in hoc pœnali statu, nisi acceptando Sacramentum Ordinis, per quod CHRISTVS id naturæ restituit, quod ei per carnalem generationem est ablatum. Hinc dum Isaias cap: 61. CHRISTVM introducit vt vnctum & Sacerdotem, statim & de nobis addit. *Vos autem Sacerdotes Domini, vocabimini Ministri DEI nostri.* Et cap: 66. dum loquitur de reuocatione nostrâ ex gentibus ad domum Domini, quod fiet in introitu ad gloriam æternam, statim subdit. *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem Sanctum meum Hierusalem, dicit Dominus: Et assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus DEVS, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.* Sed clarissimè id testatum habemus in Apocalypsi


pocalypsi, vbi cap: 5. Seniores viginti quatuor procidentes, glorificant CHRISTVM his verbis. *Redemisti nos DEO in sanguine tuo, ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione, & fecisti nos DEO nostro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Et cap: 20. *Hæc est resurrectio prima; Beatus & Sanctus qui habet partem in resurrectione primâ; in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes DEI & CHRISTI.* Hoc innuit & Apostolus Petrus Epist: 1. cap: 2. *Et ipsi* (inquit) *tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis in Sacerdotium Sanctum.* Et ibidem infra. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Hoc colligitur & ex Apostolo Paulo ad Heb: 7. vbi inducit CHRISTVM Sacerdotem DEI summi, & sic discurrit. *Secundùm similitudinem Melchisedech exurgit alius Sacerdos, qui non secundùm legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis; contestatur enim; Quoniam tu es Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech.* Hæc de CHRISTO. Et mox de nobis. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei per quam proximamus ad DEVM. Et quantum est non sinè iure iurando, in tantum melioris testamenti Sponsor factus est IESVS.* Tunc ergò; Sed istud melius testamentum non est nisi nos, qui sumus Regale Sacerdotium, Ergò CHRISTO summo Sacerdote existente, nos sponsionem accepimus sacertij. Et sanè non de est ratio pro hoc. Si enim in illo statu innocentiæ, si perseuerasset, adhuc fuisset instituta Eucharistia, vt tota subtilium Schola contendit, consequens est, vt & Sacerdotes essent instituti, Sed non in sexu fœmineo, qui ex vi creationis ob aliam sui destinationem, est incapax, Ergò in sexu virili. Et fortè tunc multò pauciores masculi generarentur, quàm fœmellæ, & fortè tot tantùm quot sufficerent in illo statu pro Sacerdotio; quia & modo curiosiores obseruarunt, duplò plures nasci fœmellas, quàm masculos; quod vnusquisque inspiciendo Cathalogum Baptisatorum, per annos singulos in Parochialibus Ecclesijs seruari solitum, aduertere potest.

42. Sed si hæc Responsio minùs placet: tunc Respondeo secundò. Quòd diuersitas sexus in viro & fœminâ, potest considerari dupliciter; aut secundum rem & interiorem dispositionem tum animi tum corporis, aut secundùm signum sexuale per notam sexualem expressam: Ista enim sunt diuersa; siquidèm contingit aliquandò nasci prolem sinè notâ sexuali, & tamen non sinè interiori dispositione tum animi tum corporis virili aut fœmineâ, quæ postmodùm se manifestant per inclinationem ad actus viriles, vel muliebres talium: DEVS igitùr creauit primos homines, nedum cum interiori dispositione sexuum diuersorum, sed etiam cum notis sexualibus extrinsecis; quia vt iam supra, in eo consistere voluit primam ipsorum tentationem; sed si vicissent, deinceps fortè proles prodijsset ex Euâ Virgine sinè exteriori notâ sexuali; vt potè in illo statu, post superatam primam

tentationem circa propagationem naturæ, & inutilem, & superfluam. Sicut enim modò post restaurationem naturæ nostræ, dum iam natura nostra inseritur in CHRISTVM per Baptismum, non est masculus neque fœmina in CHRISTO; teste Apostolo ad Galat 3. ita tunc futurum fuisse conijcere licet. In rei tamen veritate, fuisset tunc sexus vterque, internus tamen, & hic deputaretur Sacerdotio, scilicèt virilis, ille generationi, scilicèt fœmineus, superatâ tamen primâ illâ tentatione; Quam quia DEVS præuidit non fore superandam à Protoplastis, hinc notas sexuales extrinsecas illis efformauit. Postquam autem succubuerunt illi tentationi, & pomum prohibitum ederunt, iam suscitatâ in eis animâ seminali per fermentum concupiscentiæ, vi eiusdem fermenti, appingitur sempèr fœtui, nota sexualis in corpore mortis huius, vsque in finem sæculi. Patet ergò, quòd sexus virilis sumptus pro internâ dispositione, esset in Paradyso, & non frustra, licèt fortè perseuerante illo statu, non esset nota sexualis, quæ est effectus seminalis auræ, disponentis ad formam animalitatis in nobis, totam massam naturæ humanæ corruptæ: vt infra Resolutione Septimâ apparebit.

43. Cætera quæ contra Resolutiones istas militare possent, consultò prætereo; cùm hæc quæ videbantur maximè vrgere in contrarium, ostenderim, nihil contra nos militare, imò potiùs pro nobis esse. Post hæc ergò aliqualitèr stabilita, restat videre: Qualis homo in illo statu innocentiæ, ex tali matrimonio solùm rato, & ex Euâ Virgine natus fuisset.

Pro quo sit.



RESO-

RESOLVTIO QVINTA.

Homo, ſicut digito DEI de terrâ Virgine formatus eſt in Spiritum concretum carni ſpiritualizatæ, per inſpiratum Spiraculum vitæ; Ita conſequentèr de VIRGINE Euâ & Spiritu Sancto propagatus, totus fuiſſet Spiritualis, ſpiritualizatâ carne, ſimili Spiraculo vitæ.

1. HÆc Reſolutio ex prædictis omninò ſequitur. Si enim, vt fatetur Scriptura, fecit DEVS hominem (videlicet primum) rectum, ſi primus homo rectus à DEO creatus eſt, ſpiraculumque vitæ in faciem eius non alio fine inſpiratum, niſi vt Spiritus ſit in carne, cùr non & reliqui? & maximè cùm idem digitus DEI, qui (vt oſtenſum eſt) formauerat hominem de terrâ Virgine, etiam formaturus erat alios de Euâ Virgine. Quarè ſi formator digitus DEI, videlicet Spiritus Sanctus, certè ſpirituales & illi qui ab eo ſic formati fuiſſent: atque ita (vt D. Auguſtinus ſupra relatus ex libro 3. de Gen: ad lit: cap: 21. loquitur; *Inſtitueretur Sanctus & iuſtus populus, qualem poſt reſurrectionem futurum credimus*) nihil prorſus animalitatis, quam modò Adamicè in naturâ iam corruptâ propagati contrahimus, habens, ſed totus ſpiritualis, perfectiſſimis naturalibus donis, ad omnimodam perfectionem naturæ humanæ requiſitis, in primo ſtatim inſtanti conceptionis donatus, & cum hoc adhuc iſta dona ſuperueſtita gratiâ diuinâ, prout D. Bonauentura 2. p. Breuiloquij cap: 11. ſub ipſum finem loquitur, poſſidens: Si quidem tantus Artifex, nihil de largiendâ perfectione ad melius eſſe ſui plaſmatis requiſitâ, omiſiſſet, ac condens naturam, largitus ſimul fuiſſet & gratiam.

2. Verùm enim verò quia Ethnicæ Philoſophiæ implicatorius & impoſſibilis hactenus viſus eſt Spiritus concretus; quæ ſolos abſtractos, quales ſunt intelligentiæ ſeparatæ, agnoſcit; Hominemque propterea inter animalia, quæ ſunt ſecundùm eam corpora animata & ſenſitiua, recenſet. Idcircò vel imprimis corpus ſpirituale, & è conuerſo Spiritum corporeum in naturâ, nedum non implicare, ſed de facto eſſe, ſolidè demonſtrandum eſt.

3. Et ſanè Apoſtolus in hoc puncto doctrinæ, eſt pro nobis, dum ſic loquitur 1. ad Cor: 15. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.* Igitùr cum fide credamus, in eadem carne demptâ animalitate, & eam conſequentibus

tibus imperfectionibus; animam aggrauantibus, seclusis, nos resurrecturos, nos inquam eosdem per omnia qui nunc sumus, cùr statim ab initio & primo instanti nostræ conceptionis, corpus spirituale nequiuimus habere, præsertim concepti de Spiritu Sancto & Virgine? Quod CHRISTVS clarè insinuauit Joannis 3. dicens. *Quod natum est de carne, caro est, quod natum est de Spiritu, Spiritus est.* Quid enim aliud ex hoc sequitur, nisi eum hominem, qui modò carnalitèr in degeneratione naturæ in suâ origine est formatur in carnem, & fit totus belluinus & animalis, exceptâ mente, futurum fuisse totum Spiritualem, si à Spiritu Sancto in vtero Virginis formatus fuisset?

4. Hanc spiritualitatem hominis tam ex parte corporis quam ex parte animæ, agnoscit D. Augustinus fuisse in primo homine, cum lib: 6. de Gen: ad lit: cap: 26. citans Apostolum ad Eph: 4. sic discurrit. *Sicut est veritas in IESV, deponere nos secundùm priorem conuersationem hominem veterem, eum qui corrumpitur secundùm concupiscentias deceptionis; Hoc est factus Adam vetus per peccatum.* Vide ergò quid sequitur. *Renouamini autem Spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm DEVM creatus est, in iustitiâ & sanctitate veritatis: Ecce quod perdidit Adam per peccatum. In hoc ergò renouamur secundùm id quòd amisit Adam, id est, secundùm Spiritum mentis nostræ.* Hæc D. Augustinus. Tunc licet inferre. Sed Adam non amisit Spiritum mentis in se, sed solùm Spiritum carnis, seu potius impediuit redundantiam Spiritus in carnem, quâ spiritualizabatur caro eius; Ergò Adam fuit corpus Spirituale, & Spiritus corporeus, ad quod & nos oportet modò renouari, inducendo scilicet spiritualitatem in carnem, eam edomando, & Spiritui subijciendo; de quo in processu Resolutionis plura.

5. Et vt euidens sit doctrina Resolutionis istius, adduco pro ea Doctorem subtilem in 4. Dist: 49. q. 14. in quâ quærit. Vtrum corpora Beatorum erunt agilia? Et respondendo ad Quæstionem §. Respondeo &c. Duplicem motum in compositis, præsertim animatis esse asserit, scilicèt, vnum ex parte elementi prædominantis: alium ratione Animæ; quæ distinctio & differentia istorum motuum, videantur in textu ipso Doctoris. Tunc his præmissis, definit agilitatem tàm in communi, quàm in speciali §. secundo videnda est ratio nominis, &c. sic: *Agilitas est habilitas in aliquo, ad promptè mouendum se eo motu, cuius principium est anima.* Et loquitur de agilitate in communi Mox verò de agilitate in speciali, scilicet de agilitate corporum beatorum, subdit. *Et quia* (inquit) *habilitas non potest esse in aliquo toto ad faciliter mouendum se, nisi concurrente virtute motiuâ, & mobili: ideò ad rationem agilitatis in speciali, requiritur perfectio virtutis motiuæ in animâ, & perfecta dispositio non repugnans isti motui, ex parte corporis; ergò est in speciali agilitas, habilitas in aliquo toto ad promptè mouendum se secundùm locum, ex perfectione virtutis motiuæ animæ, & congruâ dispositione corporis.* Et mox immediatè § sequenti, Tertiò videndum, &c. Cùm multis rationibus stabiliuisset, & conclusisset quod in anima sit virtus alia ad mouendum alio modo quàm organicè ipsum

corpus; quòd tamen dixerat non esse ita manifestum, nec in homine, nec in alijs animalibus, sicut est manifestum de virtute animæ motrice corporis organici, subjungit dubium ibi: Sed est ne vna &c. in quo quærit. Est ne in animâ vna & eadem virtus motiua organicè, cum virtute motiuâ inorganicè? Et resoluit affirmatiuè, concludendo, quod sit vna, illis verbis, *Non videtur mihi ponendum, eam esse aliam virtutem à virtute motiuâ organicè, quia nunquam est ponenda pluralitas sinè necessitate; sed non est necesse ponere duplicem virtutem motiuam in animâ respectu corporis sui mouendi, potest enim vterq; motus saluari, ponendo eandem virtutem motiuam in animâ; ergò, &c.* Et declarat quomodo id saluari possit. Sed videatur textus ejus: cujus sufficiat hic sensum ponere, qui hoc sibi vult; quod virtus motiua in animâ, si ponatur cum omnimodâ dispositione, & sinè vllo impedimento, poterit mouere immediatè & inorganicè corpus. Et mox subdit hæc Verba. *Inconueniens enim est, quòd homo careat nunc aliquâ perfectione secundùm totam suam Speciem, quæ sibi naturalitèr congruit; Et cum illa virtus quâ Anima post resurrectionem mouebit corpus, sit sibi naturalis, quia nulla potentia animæ tunc dabitur noua, sequitur quòd nunc habet illam potentiam, & quod illa virtus, siue potentia, nunc in vitâ mortali non impeditur à suo effectu, sed tantùm in modò causandi effectum suum.* Quæso quid clarius dici potuit ex parte animæ? Ex parte autem corporis, an debeat dari in resurrectione qualitas aliqua disponens corpus, & quasi proportionans animæ, vt illud agilitèr moueat? Respondet Doctor Subtilis itidem negatiuè. Verba eius sunt. *Dico quòd proportionata agilitas, quæ requiritur ad motum beati, potest esse sinè naturali quocunque addito corpori, vel animæ.* Et quia excludit vtrumque, satis solidè multa afferendo pro nostrâ Resolutione apprimè militantia, ignoscat benignus Lector, si eum hic de verbo ad verbum licèt longiusculè posuero. Primò ergò ostendit propositum ex parte animæ sic. *Non oportet* (inquit) *ex parte animæ, nisi quòd virtus motiua fiat perfectior, & quòd resistentia accidentalis ex parte corporis tollatur; & vtrumque potest fieri sinè supernaturali addito: Quia quòd modò in animâ virtus non est sufficiens ad motiuum, hoc est, vel quia est impedita à corpore, vel quia in se est diminuta; Et cùm est separata, aut vnita corpori glorioso, intenditur, &c.* Ex parte autem corporis mobilis, subdit D. S. *Quod amouebitur duplex impedimentum, vnum ex parte organorum virtutis motiuæ, quod est in iuncturis & neruis, quo impedimento remoto, fit trabibilitas, & applicabilitas maior in eis; & amotio istius impedimenti maximè requiritur ad agilitatem in motu progressiuo, ad quem mouetur potentia motiua organicè. Aliud impedimentum est in toto corpore, quod est repletum humoribus grossis, & spiritibus, & caput fumositatibus, & multis talibus, quæ reddunt hominem pigrum, & quæ non pertinent ad veritatem humanæ naturæ: Hæc autem amouebuntur, & Spiritus boni, & subtiles dabuntur corporibus gloriosis, per quæ reddetur corpus multùm agile ad motum.* Ex quibus tandem omnibus, resoluit quæstionem quam proposuit, dicens, §. quinto ex dictis, &c. *Ex dictis patet responsio ad quæstionem, quòd beatus habens suum corpus gloriosum, habebit agilitatem, promptitudinem ad mouendum, quæ agilitas non*

tas non est per aliquam qualitatem supernaturalem corpori superaddita, defluente ab animâ, Sed est propter intensionem virtutis motiuæ ex parte animæ, & propter amotionem duplicis impedimenti ex parte corporis, & collectione bonorum spiritu-um, & subtilium in corpore. Hæc Doct: Subtilis. Tunc ex his omnibus ad pro-positum, ex ratione hîc à Doct: Subtili descriptæ agilitatis, tam in com-muni, quàm in particulari, & ex his quæ hic dicit Doct: Subtilis, arguo breuiter sic. Ratio agilitatis in communi est, quòd agilitas est habilitas in aliquo ad promptè mouendum se eo motu, cuius principium est anima; & hæc agilitas fit specialis eo ipso, qu`d virtus motiua in animâ est per-fecta, & in corpore est etiam perfecta dispositio, non repugnans isti vir-tuti motiuæ, & eius actui, id est ipsi tali motioni; Sed ista virtus perfe-cta in animâ est vnica & eadem in homine in viâ, & in patriâ ex parte animæ: ex parte etiam corporis illa virtus non impeditur absolutè, nunc in vitâ mortali à suo effectu, sed tantùm in modo causandi effectum su-um, eò quòd totum corpus humanum sit modò in statu viæ spiritibus gros-sis, & alijs similibus, quæ reddunt hominem pigrum, & non pertinent ad veritatem humanæ natutæ, repletum; quibus anima impeditur, non qui-dem simpliciter ad mouendum agilitèr corpus, sed solùm secundùm quid, scilicet quia non subest ei ordinariè modus id faciendi, ob talia impedi-menta in corpore, vel etiam in se; Quia nunc, vt dicit Doctor Subtilis, est diminuta in se, (non intellige tamen hanc diminutionem quoad sub-stantiam animæ, sed solùm quoad actionem eius in corpore, quæ emana-ret aliàs à substantiâ & potentijs eius, si haberet omnimodè proportiona-tum corpus, nam & anima debet esse aliquid in se, antequam sit princi-pium agendi, & ab illo quod est antequam sit principium agendi, non di-citur hîc à Doctore Subtili anima in se, sed ab eo, quo est principium agendi in corpore, quia hoc potest diminui & augeri, vt hîc supponit Do-ctor Subtilis, animam in se diminutam; Ista enim est vna Aristotelis stul-titia, quòd sicut definiens naturam, solùm eam dixerit esse principium mo-tus & quietis, non expresserit verò quòd sit illud principium; Ita & defi-niens animam, pronunciauerit eam esse actum corporis organici &c. non tamen edisseruerit, quid sit illud quod est actus Corporis, quod hic obitèr in-sinuasse doctis sufficiat) Ergo secundùm doctrinam eius, anima potest sim-plicitèr habere agilitatem in hâc vitâ, dum modò se ita intendat, vt discutiat tenebras carnis, quas per peccatum Adæ natura humana contraxit, quas Doctor hîc indigitat nomine spirituum grossorum, & fumositatum non pertinentium ad esse naturæ humanæ. Sic sic subtile Doctoris huius ingenium dignificat naturam humanam, etiam in principijs Ethnicorum, qui eam iam lapsam (nunquam enim agnouerunt puritatem & ortum natu-ræ institutæ, sed æternam & semper sic defectuosam fuisse crediderunt) inter animalia brutis non absimilia computarunt. Tunc subinfero. Sed defactò est hoc, quod virtus animæ etiam modò in viâ, potens est vincere te-nebras carnis Adamicæ, & spiritus grossos corporis, quod regit, discutere;

Ergò

Ergò iam corpus humanum habet in viâ talem agilitatem, quòd in instanti vel tempore breuissimo, anima sua potest facere illud præsens ibi, vbi intensè ipsamet anima vult vt sit præsens in se, & corpus quod regit concomitantèr. Atque ita in sententiâ Doctoris Subtilis, imò & in ipsâ rei veritate, corpus humanum potest spiritualizari per animam, & vno verbo, sic spirituale fieri, quale post resurrectionem credimus, iuxtà illud: *Seminatur corpus animale, surget spirituale.* Et vt hæc virtus animæ nostræ & nobis diuinitùs ex dono creationis data, clariùs pateat.

6. Notandum est primò. Quod Theologia mystica, ex omnium spiritualium virorum consensu, diuidit hominem quatenùs in naturâ corruptâ originalitèr viuit in viâ, in Internum, & Externum: Internus secundùm eos est, ipsissima DEI imago. Externus verò, est solùm imago hominis interni. Internus est purè spiritualis, quia purè intellectualis, aliàs non referret imaginem DEI; Externus verò est, solùm homo animalis. Internus factus est à solo DEO ex primæuâ DEI intentione: Externus licèt sit etiam factus à DEO vt cooperatore naturæ, non tamen ex primæuâ intentione, sed occasione mulieris fermentantis azymam & Virgineam naturam, vi pomi comesti contrà prohibitionem DEI, in quo fuit fermentum luxuriæ, vt posteà declarabo Resolutione sequenti. In vtroque igitùr istorum, est prætacta virtus animæ, licèt ordinariè solùm intrà & non extra hominem; vt mox patebit. Pro quo.

7. Notandum est secundò. Quòd cùm DEVS hominem primum, imò & vnumquemque nostrum, qui similitèr homines sumus, in veram sui ipsius imaginem creauerit, ità quòd in vnoquoque nostrum elegantissimè, proprijssimè, & proximè expressum sit Deitatis simulachrum, & præsertim loquendo de homine secundùm DEI intentionem, qui modò iam à mysticis Theologis dicitur Internus; oportebat, quòd sicut DEVS agit per verbum & nutum voluntatis suæ, ita etiam homo ageret aliqua saltem, licet non quæcunque, solo nutu voluntatis, vt & in hoc referret veram imaginem DEI, & quidem non otiosam, nec sterilem, cùm ipse quoque DEVS sterilis in se non sit, iuxtà illud Isa. 66. *Ego qui generationem aliis tribuo, sterilis ero?* Quàpropter ne homo esset otiosum DEI simulachrum, atque saltem in hoc à prototypo difforme, contulit ei DEVS potestatem agendi per nutum, eâ saltem parte, quâ homo internus & secundùm intentionem DEI est Et loquor hic de homine vt est totum, non autem de solâ animâ; Hominem enim fecit DEVS ad imaginem & similitudinem suam, non autem animam hominis tantùm, vt clarè testatur scriptura. Sed hic statim insurgent Aristotelici: Quomodò homo internus, spiritualis, cùm quatenùs homo est, constet animâ & corpore? Pro hoc.

8. Notandum est tertiò. Quòd etiam homini secundùm carnem considerato, quatenùs caro eius de limo terræ, manu & digito DEI formata est, indiderit DEVS spiritum, ita vt homo à DEO tunc formatus, ex tri-

ex tribus constaret, puta, animâ, spiritu, & carne, & consequentèr omnis deinceps homo, à digitò DEI formandus in vtero Virgineo. Dicit enim scriptura, quòd homo de limo terræ formatus sit. At pauci hunc limum terræ benè intellexerunt. Limus ergò hic terræ, nihil aliud sonat, nisi extractum totius mundi, ex quo DEVS condidit hominem, vt esset secundùm corpus microcosmus, scilicet ex omnibus creatis compactus, & extractus in compendium totius mundi; Sicut autem scriptura non facit mentionem, nisi duorum in mundo, verè ex nihilo prorsùs creatorum, scilicet cœli, & terræ dicens. *In principio creauit DEVS Cœlum & Terram*, Vbi D. Basilius Hom: I. Exam: dicit. *Ex duobus extremis, vniuersi sanè totius innuit ortum, cœlo quidem primis ortus redditis partibus, terræ verò secundis, quidquid autem istorum medium est, id vnà cum ipsis omninò finibus exortum esse, consentaneum est rationi &c.* Ità etiam homo secundùm corpus, ex duobus his primò creatis, seu ex illorum (vt ita dicam) quintâ essentiâ, plasmatus est; Ex cœlo quidem (secundùm D. Basilij sententiam) quòad nobiliorem corporis partem: Cœlo enim DEVS, (teste D. Basilio) primas ortus partes reddidit; Ex terrâ verò, secundùm visibilem partem corporis, cui (teste eodem) secundas reliquit, creator; Quæ est autem ista nobilior & inuisibilis prout & cœlum inuisibile est, pars humani corporis? Pro hoc:

9. Notandum est quarto. Quòd DEVS formans Corpus humanum de Extracto cœli & terræ, ità illud formauit, vt esset spirituale, seu astrale, atque sydereum, vtque à potiori esset eius essentia, plùs scilicet de cœlo participans, quam de terrâ: ita videlicet hoc intelligendo, vt de terrâ sit siliqua, de cœlo nucleus corporis humani. Corpus ergò humanum, secundùm quòd non siliqua sed nucleus est, est defacto Spiritus. Qualis spiritus? Ex quintâ Essentiâ cœli acceptus: propter quem (vt obseruauerunt meliores Galeno medici) cœlum intùs gerimus, ideòque & præsertim corruptâ nostrâ naturâ iam ægri, rythmum cœli astrorumque & Planetarum sequimur, vndè & Spiritus iste, nomen Astralis seu syderei obtinuit. Iste tamen spiritus ad instar auræ inuisibilis, imò aura nostri corporis vitalis, corpus est, ast inuisibile & Spirituale, ad instar venti. Nec sanè latuit antiquiores Aristotele Sophos, qui eum diuersimodis indigitauerunt appellationibus, vocantes eum Hominis genium; (bonum vel malum, prout cernebant sic vel sic affectum hominem) Penatem, quòd penes nos sit semper; Larem domesticum; hominem vmbratilem; Spectrum; Euestrum; Lumen naturæ, quòd videlicèt cum cœli lumine similem habeat cursum. Imò docuerunt istum Spiritum Sydereum, ex astris homini inditum, Magnetem esse naturæ humanæ, eò quòd ipse cum astris symbolizans, etiàm ad se astrorum vires trahat, vt videre est in Lunaticis; & mirabiles operationes suprà humanum captum proferat: vt patet in Matribus grauidis, cerasum, in fœtu, rythmum cœli in flore, generatione, progressu, & maturitate imitans, vi istius Spiritus vehementi imaginatione & appetitu commoti, producentibus. Istum Spiritum corpus Spiritualizantem, iàm vnanimitèr

mitèr medici melioris notæ, vocauerunt Archeum. Et hic est pars humani corporis nobilior, & inuisibilis, seu Spiritualis, à quo, si à potiori fieri debeat denominatio, & totum corpus humanum dici debet Spirituale. Itàque iam patet, qualitèr homo internus, tàm quoad Animam, de quo non est dubium, quàm quoad corpus, quod Philosophi Ethnici non concedunt, spiritualis est. Nunc ad virtutem animæ nostræ in corpore, reuertamur.

10. Porrò iàm dictum est, homini datam esse à DEO potestatem agendi aliquid solo nutu voluntatis, vt & in hoc referret imaginem Creatoris. Et licèt robur istud Spirituale, in mente primariò collocatum fuerit à DEO, ex dono creationis; gliscit tamen hoc suo modo & ad Spiritum astralem corporeum, atque hinc in totum hominem, vt sic in totum hominem ista virtus dispergatur ordinariè: ita tamen vt in mente vegetior & viuacior, in Spiritu verò isto sydereo, & in carne ac sanguine, longè demissior, & viribus inferior sit. Et quòd Anima deriuet à se in externum hominem, hoc robur Spirituale, probari potest à posteriori. Quo enim pacto obediret Spiritus ille Astralis iussui mentis, nisi iussus iste Spiritum, & Spiritus deinceps corpus moueret? Et si sic ad intrâ propagat se robur istud Spirituale, in Spiritum astralem & carnem, idque ordinariè, ex dono creationis, etiàm in naturâ corruptâ; Cùr non interdum & vltrâ se propagabit extra ordinariè, sicut potuisset semper in incorruptà? maximè cùm secundùm Doctorem Subtilem, eadem & vnica sit Animæ virtus in omni naturæ statu. Quarè autem non sempèr se propagat extrà in hoc Statu naturæ lapsæ? vt hoc intelligas, obitèr hìc intimabo; siquidem de hoc quod nunc Animam in hoc impedit, tota erit sequens Resolutio. Igitùr.

11 Notandum est quinto. Vim istam naturalem Animæ nostræ, quæ ab aliquibus vulgò dicitur, Virtus Magica naturalis, (excludo enim hic magiam superstitiosam, quæ toto cœlo distat à naturali) mansisse in Adamo promptam ad operandum extrà se, quousque abstinuit à pomo vetito Scientiæ boni & mali; sed superueniente in naturam corruptione, per fermentum luxuriæ, vi pomi introductum in naturam, iàm virtus hæc spiritualis, estò mansit in Adamo, impedita tamen & quàsi ligata à carne peccati, ità vt vix modò se idque oscitantèr ad hominem externum propaget; si enim hæc vis est solius mentis, & illi immediatè subiecti Archei; postquàm medium inter ista duo subintrauit per esum pomi, scilicèt vita Animalis per Animam sensitiuam, quæ Archeum humanum pessundedit, & mentem se à regimine sic conspurcati corporis retrahere compulit, iam virtus hæc, à mente vix intrà corpus sic corruptum, ad Archeum alteratum pertingit, satisq; habet se ordinariè in hâc vitâ mortali carni & sanguini communicare: Vbi sic communicata, per offusas carnis corruptæ nebulas, quasi in nocte tenebrarum inuoluta, dormit, vlterioris ad extrà propagationis incuria, nisi excitetur aliquâ forti impressione, quâ tenebras se

impedientes discutiat, & incipiat extrà se agere; Tenebras inquam scientiæ boni & mali ex pomo vetito haustæ. Hinc enim experimur in somnis, quandò Scientia hæc consopitur tantisper, nos quandoq; habere somnia prophetica, & multa intelligere, quæ aliàs in vigiliâ intelligere nequiuissemus: nimirùm potestate Animæ Magicâ per scientiam pomi tunc non interpollatâ, sese liberiùs exerente in intelligendo. Imò si se etiam ista vis ab Animâ in inferiores potestates demerserit; eas somno durante mouet, & tutò eò ducit, quò vigiles scandere non possent: vt patet in Lunaticis, in quorum Spiritum astralem, anima vim hanc spargens, viuaciùs eum excitat, vt illi astro, scilicet Lunæ, cuius rythmum & syzygiam obtinet, nedum se ipsum, sed & carnem in quâ latet vt in siliquâ, mediantibus Organis, cum Lunâ copulet. Hæc vis Animæ, sicut mansit in Adamo superstes à peccato, ità etiàm in vno quoque nostrum est; sed vt dixi, soporata, & dormiens, & ne extrà se prosiliat, impedita est. Si tamen excitetur, verè etiam extrà operatur, discussis impedimentis. Potest autem excitari, vel per Spiritum Sanctum speciaiitèr illuminantem hominem interiorem, & hoc frequentèr contingit in viris Sanctis, qui se ad hanc excitationem disponunt quantùm possunt, tollendo in se obicem scientiæ pomi, causantis somnolentiam, per continuatas orationes, vigilias, contemplationes, ieiunia, & mortificationes. Assequunturque quod cupiunt vehementissimè, ità vt hæc Animæ potestas magica per Spiritum Sanctum illuminata, & viuacitèr in carnem & sanguinem illorum deriuata, eam in aerem sursùm eleuet; Et si quid eis DEVS reuelet in illâ illuminatione, ad quod illi summo desiderio & charitate intensâ anhelant, statim vi istius desiderij concitus Spiritus illorum Astralis, qui est verè corporeus, & Symetriam membrorum externorum continens, ibi fit in momento, vbi esse desiderat. Hinc legimus D. Ambrosium visibilitèr adfuisse exequijs D. Martini, licet alibi etiam simul esset; Et D. Antonium de Paduâ, simul fuisse in choro cum Fratribus, & Paduæ prædicasse populo, quod certè fieri non potuit, nisi vi Magicâ animæ, quæ extra propulit Spiritum Exterioris hominis visibilem, à se tamen informatum, ipsa verò remansit & hìc penes corpus, & ibi simul fuit penes Spiritum astralem corporis, vi magicâ eius sic se extra propagante.

12. Imò hæc virtus, potest excitari & á Sathanâ, sed non iam in homine interiori, solius enim Spiritus Sancti est, in interiori animæ fundo, vbi est Regnum DEI, hanc excitationem facere, cùm illuc Diabolo sit præclusus aditus; sed præcisè in homine exteriori scilicèt carne & Sanguine, & eorum Spirituali, idque in suis mancipijs, sibi cum animâ & corpore deuotis, semperque ob malum finem, vt scilicèt mediante tali potestate magicâ, sic de sopore solito excitatâ in vnâ sagâ, in quam tunc inducit Catochum seu Soporem vigilantem, ne id aduertat esse sibi naturale, feriat & interdùm occidat hominem vel iumentum, diradiando in eum à suo Spiritu per Sathanam concitato, radium sigillatum ideâ odij, vel ardentis

dentis desiderij ei nocendi, non secùs quam si in Spiritum eius quem sic ferit, ensem aut romphæam abdidisset. Non quòd tunc totus Spiritus Sagæ, abierit in eum quem sic ferijt, sed solùm quòd radius deriuatus sit, adhuc in sagâ remanente toto lumine Spiritus astralis. Est enim vniuoca sicut lucis ita & Spiritus cuiusuis participatio & diffusio, manente adhuc integro Spiritu in priori subiecto, vt patet in irradiatione seminum in actu generationis, quæ fit Archeo quasi alienato à se, & totalitèr ad semen sigillandum, & lumine suo ibi sigillato fœcundandum, conuerso. In semine enim quod V. G. parentes decidunt ad generationem prolis quâlibet vice, totius hominis generantis Spiritus, etiam ad multos fœtus sufficiens propagatur, manente tamen integro in propagante, suo Spiritu; ita enim voluit creator lumina seminalia propagari, sicut propagatur lumen V. G. candelæ in mille & plus myriades Luminum, manente tamen prioris luminis in candelâ, omnes alias accendente, integritate. Quod autem de Sagis dixi, hoc probatum est ad oculum non semel, & vnusquisque in casu occisi V G. iumenti à sagâ, probare potest. Si enim cor mortui animalis, adhuc calidum natiuo quod habuit dùm viueret calore, exemeris, & clauo transfixum ferreo per totum, ardentibus prunis inieceris, aut in veru ad ignem assaueris, iam eo clauo vel veru detentum Spiritum Sagæ in illo corde, domicilio vitalis Spiritus animalis mortui, vbi se Spiritus Sagæ cum Spiritu vitali animalis copulauerat hostilitèr (ob idæam odij, quam Saga feriens in illo sigillauerat) transfiges cor Sagæ, & affirmo tibi pro certò, quòd itâ totus Spiritus per Magnetismum torquebitur in Sagâ, etiamsi illa mille hinc distet leucis, sicut hic torquetur in corde iumenti, detentus Spiritus eius.

13 Ex quo experimento disces inprimis, Spiritum talem per se primò pati morbos, carnem verò non nisi per Spiritum. Quia non nisi Spiritu patiente corpus patitur, Spiritus autem ipse, etiam non patiente corpore, potest benè pati, vt in rigore & calore febrili cernere est. Disces etiam, Spirituum cum Spiritibus esse hostilitatem, vt in exemplo citato Sagæ & Animalis occisi videre est, & meliùs in omnibus venenis, quorum Spiritus humano Spiritui aduersantur, vt patet in peste & alijs venenis. Esse etiàm & amicitiam, per quam amicabilitèr connectuntur, & quasi per ligamen indissolubile in vnum transeunt, vt de Dauide & Jonathâ, & glutino inter animas illorum, testatur Scriptura. Et patet per Sympathias rerum. Disces denique, Vnum Spiritum prædominari alteri, vt hîc Spiritus Sagæ Spiritui Animalis. Humanum verò Spiritum, suâ Magiâ de facto prædominari, quantùm est in eo, omnibus Magijs sibi subiectarum rerum & Spirituum, *Omnia enim* (vt dicitur Psal: 8.) *Subiecisti sub pedibus eius*, licet quatenùs iam Magia eius soporata est per tenebras Scientiæ pomi, debilior sit, quàm vt sibi exoticas Magias in se potentèr exertas vincat, quarum certè actio in hominem, sunt illi tribuli & spinæ. Gen: 3. pungentes & subigentes Spiritum hominis, & tandem eum suffocantes, vt ex-

tinguatur instar Luminis candelæ, quo extincto anima & vita abeunt, sicque venit amara amarè separans mors. Ad extremum disces; quam stupidè ne dicam impiè, aliqui Doctores, Ethnicæ doctrinæ nimium inhærentes, quæ corpora Physica solùm secundum Mathesim & trinam dimensionem aspicit, non verò secundum Spiritum, hanc virtutem Magicam à DEO corporibus naturalibus spiritualitèr inditam, & mirabilia seù potius extraordinaria operantem, in Diabolum & pactum cum eo explicitum vel implicitum referant. Cum ista sit verè naturalis virtus, à DEO creaturis indita. Aperiant ergò isti oculos, & desinant id, quod cedit in gloriam solius Creatoris, attribuere Sathanæ, qui in tantâ ignorantiâ nostrâ, iam satis gloriatus est. His ita pro nunc de virtute Magicâ Hominis obitêr constitutis, quatenùs scilicèt hìc nobis postea inseruient pro declarandâ immaculatâ Conceptione DEIPARÆ Virginis, quæ nos ad se rapit; ad propositum istius Resolutionis.

14. Dico. Quod sicut primus homo, totus formatus fuit de terrâ Virgine à Spiritu Sancto, in Spiritum, nedùm quòad animam, sed etiam quoad Spiritum corporeum astralem, corpus pro nobiliori eius parte Spiritualizantem; ità & quilibet deinceps propagatus de Spiritu Sancto & Virgine, esset similitèr totus Spiritualis, quoad animam & Carnem. Hoc patet. Si enim modò in statu naturæ corruptæ, remansit illi ista Spiritualitas carnis, licet obfuscata & soporata, vt in Notandis demonstrauimus; Quis poterit negare, eam in illo felici naturæ statu, si perseuerasset nostra propagatio absq; corruptione Virgineæ naturæ, futuram fuisse? Et quod modò sit de facto, vltra dicta iam, adhuc probatur multiplicitèr, ex Sacrâ Scripturâ, & alijs medijs.

15. Et inprimis ad hoc est Locus ille D. Joannis Epistolâ 1. cap: 8. *Tres sunt qui testimonium dant in terrâ, Spiritus, Aqua, & Sanguis; & hi tres vnum sunt;* Vbi loquitur de humanitate CHRISTI ex his omnibus constante, scilicèt ex Aquâ, videlicèt ex limo illo extracto è corde Virginis, qui fuit materia corporis CHRISTI; ex sanguine, & ex Spiritu, quæ tria vnum sunt in humanitate CHRISTI, quià omnia sunt Spiritus, qui Spiritus, & Aquæ & sanguini confert Spiritualitatem, ideoque & præponitur à D. Joanne Aquæ, & sanguini, tanquâm illas vniens in se & Spiritualizans. Sed & nos si de Virgine concepti fuissemus, parem humanitatem ex Spiritu, Aquâ, & sanguine, vnitis in Spiritu, habuissemus; Ergò fuissemus purè Spirituales, absq; omni admixto, prout etiam modò sumus, sed cum admixto fermento luxuriæ, & consequentibus illud, Spiritualitatem nostram obfuscantibus.

16. Deindè, idem D. Joannes, Euangelij sui cap: 1. agnoscit voluntatem carnis, distinctam contra voluntatem viri, & contrà voluntatem DEI, dicens de illis quibus dedit DEVS potestatem Filios DEI fieri. *Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt.* Ergò si in nobis alia est voluntas carnis, & alia voluntas viri,

iam ſequitur, ita carnem ſicut & ipſum virum, habere in ſe Spiritualitatem. Conſequentia eſt euidens. Quià voluntas vbicunq; ſit non poteſt eſſe non Spiritualis, & conſequentèr illud in quo eſt, denominat Spirituale.

17. Præterea. Scriptura frequentèr teſtatur, Animam & vitam eſſe in ſanguine, eo quòd inſint ſanguini vires quædam vitales, & mumiales, diſtinctæ à vitâ viri, ac ſi per ſe animatæ eſſent; Vndè vox ſanguinis Abel dicitur clamare ad DEVM vindictam in Cainum fratricidam Gen: 4. Imò & ad iudices terrenos eadem vox ſanguinis frequentèr clamat vindictam in homicidam, quandò præſente homicidâ ſanguis cadaueris, aliàs iam mortuo cæſo congelatus in venis, tamen repentè ebulit, & foras contrà homicidam, quaſi clamans vindictam, erumpit; Ergò ſanguis humanus eſt Spiritus viuens, ſentiens, & volens vindictam ſuâ voluntate, diſtinctâ iam à voluntate viri, quæ cæſo illo perijt. Et hæc eſt fortè cauſa, quarè vtraque ſcripturæ pagina, tam ſcilicet veteris quam noui Teſtamenti, prohibet veſci ſanguine, quod ſit in eo ſua vita, & ſua voluntas, etiam in Brutis, pro conditione naturæ illorum: Quia enim V.G. Taurus, & in vitâ & in morte eſt excellentèr vindex, & cum nimio appetitu vindictæ moritur, ideò & ſanguis eius ſuâ voluntate eſt quoque vindex, ita quod, ſi quis comederet vel biberet ex illo etiam cocto, ſtrangularet eum. Et contrà verò, quia lepuſculus eſt plebs inualida, mitis, manſuetuſque; ſanguis eius venatione occiſi, etiam in linteo Siccatus & igneis apoſtematibus, V. G. Erijsypelati appoſitus, ſanat eum. Sed hæc vix faciunt ad noſtrum propoſitum, ideò Medicis relinquantur, & reuertamur vndè digreſſi ſumus.

18. Ipſe CHRISTVS Matth: 16. diſtinxit in Petro duas reuelationes, tenentes ſe ex parte Petri, quà homo erat pro hoc ſtatu pœnali viuens. *Caro* (inquit) *& ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus.* Atqui hoc eſſe non poteſt, niſi in carne & ſanguine ſuppoſuerit CHRISTVS eſſe Spirituales poteſtates, ſcilicèt Imaginationem, Voluntatem, & alia ad reuelationem actiuam reſpectu Petri requiſita; Ergò ipſe CHRISTVS agnoſcit in carne & ſanguine ſenſum, cogitationes, notitias, reuelationes actiuas, quæ ſunt vtiq; ſpiritualia. Et ſi hoc in iſto ſtatu; à fortiori certè in ſtatu innocentiæ id fuiſſet.

19. Præterea; huc adduco dictum CHRISTI Matth: 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Non enim hîc myſtica vel allegorica explicatio ſufficit, quaſi CHRISTVS hîc per cor intelligat, Cogitationem, vel amorem, ſeu voluntatem viri; Friuolum enim ſermo CHRISTI contineret, quòd homo ſemper cogitationem & amorem fixum teneret in theſauro, cum multa interim diuerſa cogitet & amet. Sed hîc loquitur CHRISTVS de iſto Spiritu hominis externi, ſcilicet carnis & ſanguinis, quem intelligit per Cor, qui frequentèr, (vt non rara probat experientia) etiam localitèr circâ theſaurum defoſſum comparet, etiam poſt mortem illius, qui theſaurum illum defoderat. Imò potuit ſemel ſaltem iſte Spiritus ſydereus,

etiam cor materiale auari secum ad thesaurum rapere, prout toti suo auditorio B. Antonius de Paduâ explicans hæc verba CHRISTI in concione funebri, suprà cadauer cuiusdam auari habitâ, ad oculum monstrauit, asseuerans cor illius hominis non in cadauere, sed circa pecuniam mortui eos inventuros. Quod ità contigit. Et hùc spectant Lemures, seu isti Astrales Spiritus, oberrantes præsertim tempore Pestis, vel in castris tempore obsidionum, & bellorum.

20. Præterea. Compertum est etiam, Externum & Animalem hominem, propter intensam imaginationem, pati tales extases, vt voluntas carnis excitata vehementi desiderio, illum momentaneè propellat ad desideratum. Sic sagæ, carnali illarum voluptate per Dæmonem excitatâ, imperantem illis vehemens desiderium, & accendentem intensè imaginationem, in ictu oculi ad locum longè dissitum se translocatas reperiunt, putantque falsò se à Dæmone deferri, imò naturalitèr id posse fieri sinè vllâ ope Dæmonis, testis est Martinus del Rio Societatis JESV Theologus, in suis disquisitionibus magicis: vbi pro certò affirmat: Puerum quendam in Ciuitate Insulensi, tam violentâ cogitatione, ductum fuisse, quòd cum flagrantissimum desiderium cum imaginatione intensâ iunxisset, videndi Matrem multis milliaribus ab illâ ciuitate tunc distantem, statim per vim Magicam seu extaticam, in sanguine & carne anteà soporatam, & tunc ardenti desiderio excitatam, eam inuiserit, & ad se rediens, omnium quæ viderat memor fuerit, & apud matrem veræ suæ præsentiæ manifesta signa reliquerit; Sed hoc arguit clarè Spiritualitatem hominis, etiam quoad carnem & sanguinem; Ergò, &c.

21. Præterea. Illi qui in somno ambulant, vereque & realitèr eunt, redeunt, scandunt tecta, & fastigia, nunquam id facerent, nisi ductorem Spiritum in carne & sanguine latentem, & illa Spiritualizantem, & pro libitu commouentem, haberent; Ergo, &c.

22. Præterea. Res omnes vulgò dictæ Inanimatæ, sunt à DEO cui omnia viuunt, & qui totus vita est; Ergò nulla è manu eius prodit creatura mortua, sed viua, sensata, phantasiata, vt sic in vnâquâque re, DEVS qui vita est, clarè elucescat; Sed homo qui super omnia creata constitutus est, tam secundum corpus, quam secundum Animam, è manu DEI prodijt, & deinceps prodire semper debuit, Ergò totus viuus, sentiens, & Spiritu vitæ dotatus, esse debuit. Maior patet, per Exemplum vel vnius Magnetis; qui manifestè ostendit, quòd in se habeat naturalem sensationem, sympathiæ & Antipathiæ omnis in eo auctricem: Si namque magnes se ad polum dirigat, oportet vt illum noscat, si in directione sui ad eum errare non debeat, quomodò autem noscet, si non sentiet vbi sit? similitèr si ad ferrum eminus positum, se neglecto polo torqueat, iam necesse est vt ferrum sentiat, & ex hâc sensatione amorem in ferrum concipiat maiorem, quàm in polum: qui amor nequit in eo esse sinè præsuppositâ phantasiâ eius; Ergò magnes ad diuersa diuersè dirigitur; Alia enim

Phanta-

Phantasiâ dirigitur in polum, & aliâ in ferrum; quià ad ferrum, per vicinum duntaxat spatium, virtutem suam spargit, ad polum verò, per ingens interuallum: aliâ etiam phantasiâ in vtero minitante abortum, prohibet abortum prolis, aliâ catharros de naturâ Matris, aliâ intestinum in Herniâ, propellit, aliâ è vitro candenti in fornace, in massam vitri igne resolutam, minutulo fragmento iniectus, maculas virides & luteas ab eo extrahit, sicque candidum vitrum efficit. Sed & plura exempla similium rerum occurrunt, puta succini, quod non nisi proptèr Phantasiam sibi à DEO spiritualiter inditam, alitèr paleas & festucas trahit, alitèr virus pestilentiale ad pulsus septem Planetarios affrictum, exsugit, alitèr gummatibus immistum, virus & plumbum è vulnere si emplastretur educit. Item Torpedinis, marini piscis, torporem in manum remotam piscatoris eiaculantis. Basilisci, solo visu interficientis. Denique nulla est actio in totâ naturâ, nullaque agendi potentia, quæ non procedat à formis & illarum Phantasijs magicè; quod hactenùs proprietatibus occultis, hoc est nescitis & incognitis, ruditèr & rusticè adscriptum stetit; cùm tamen omne agens, pro tantò agat in obiectum proprium, pro quanto illud præsentit, atque ità suam non temerè, sed in obiectum duntaxat spargit actiuitatem, videlicèt postquàm sensit obiectum, commouendo Phantasiam suam ad dispergendum idealem entitatem, & ad copulandum eam obiecto. Et vt verbo me expediam. Cuiuscunque rei phantasia, validum obtinuit appetitum, ad alterius rei spiritum, loco mouendum, trahendum, expellendum, propulsandum &c. Ibi & non alibi magnetismus totus spiritualis, velut naturale eius rei donum Magicum, à DEO illi implantatum, agnoscendus est. Si igitùr in istis, de quibus minus videtur, & tamen inest Phantasia, sensatio, & diuersæ illarum impressiones spirituales; certè & cui magis videtur, scilicèt carni & sanguini hominis, est concedenda spiritualitas.

23. Confirmatur hoc. Quia in toto Vniuerso latet spiritus, quem Magnale magnum vocant, qui Sympathias & Antipathias inter res promouet, & magnetismos istos rerum, per se, tanquam per quoddam vehiculum, ad distantia obiecta defert; vt patet in chordis distantium testudinum benè extensis, quarum percusâ vnâ in hâc V. G. testudine, subsilit alia similis in aliâ distante testudine; non enim nudus tonus alterius testudinis eam subsilire facit, alias quilibet tonus id efficeret, etiam dissimilis chordæ; Ergò spiritus in medio habitans, actionum & Sympathiæ executor, & delator. Qui spiritus Vniuersi, non latuit etiam antiquos melioris notæ Philosophos; Juxta illud Poëtæ; *Solem Titaniaq; astra, Spiritus intus alit, totamq; diffusa per artus, mens agitat molem;* Ergò cùm & in toto mundo, & in omnibus eius partibus sint isti spiritus, seu auræ vitales, solum contra crassiorem corporis compaginem, non verò contra ens Physicum corporeum distinctæ, sequitur, quòd quodlibet corpus, habet sibi concreatum spiritum, & multò magis corpus humanum spirituale est, licet modò iste spiritus sit obfuscatus, qui in statu innocentiæ fuisset viuidus.

24. Confirmatur idem per varias morborum claſſes, per prægnantium ſtultos appetitus, per Virginum cretam, lanam, argillam, vorantium, digeſtionem, quæ ſanè non fiunt naturâ humanâ id poſcente, ſed ex extaticâ humorum & excrementorum in illis ſtabulantium phantaſiâ, imperante; Vndè excrementis iſtis cum illorum phantaſijs naturam impellentibus, expulſis, ſubſequitur mox ſanatio.

25. Idem confirmat generoſitas nobilium, quia enim phantaſia carnis & ſanguinis in primo familiæ parente excitauerat eum ad exercendos actus heroicos, quibus meruit benè de patriâ, & ob hoc nobilitate eſt donatus, iam illa phantaſia ſanguinis tradux in ſemine, etiam in poſthumo, mores Patris, Aui, Proauique, & geſtus, ac conditiones, emicare facit, quod certiſſimum eſt propagatæ in nepotibus nobilitatis ſignum. Nonne etiam innata Lupi cum Ouibus eaque naturalis inimicitia, etiam in eorum pellibus remanet, ita quod nedum phantaſia iſtorum animalium impreſſa eſt peruicacitèr in cruorem, ſed etiam & in pelles & cutem eorum? ſicut & in Succiâ Animal guloſum ob hoc Gulo incolis dictum eſt: è cuius pelle ſtragulis factis, ſi homo contectus dormiat, ſomniare cogitur continuò de epulis, voracitate, & inſidioſâ animalium venatione, pro indole ſcilicet illius viuentis animalis, adeò vt ſolo tegmine externo cutis Gulonis, traducatur phantaſia animantis in cute hoſpitata, in hominem ſubtus dormientem.

26. Præterea. CHRISTVS dixit Joan: 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipſum ſolum manet &c.* Per quod dictum, docet Saluator, quòd oportet granum emori, vt in eo vis ſeminalis latens ſub ſiliquâ erumpat, & prolificet. Cuius ratio eſt. Quia cùm eſſentiæ rerum, & earum Spiritus vitales, putreſcere neſciant, ob ſui ſpiritualitatem, alligatam tamen ſiliquæ exteriori, iam factâ per putredinem, vel per aliquam aliam digeſtionem, diſſolutione illius corporeæ extrà apparentis compaginis, in cuius harmoniâ latent ipſi Spiritus ſoſpites, liberi, & expediti, emergunt, & in actum deducuntur. Hinc felices ſunt illi ægri, qui nacti ſunt medicum ſcientem educere ex herbis & metallis has ſoſpites virtutes, eaſque noſtro Spiritui enormontico accommodare, ſic enim compendioſa & certa ac ſecura ſequitur ſanatio. Igitùr ſi in herbis, metallis, graniſque ſeminalibus, ſunt tales ſpiritus, qui ſunt rerum quidditas & eſſentia, ſequitur quod multò magis erunt & ſunt in corpore humano, etiam modò, & à fortiori fuiſſent in Statu Originalis iuſtitiæ, minimè obfuſcati.

27. Ad extremum, hoc medium probans noſtram Reſolutionem ex potentiâ Magicâ naturali Animæ redundantis in corpus intrà, & in alia extrà, roboro verbis Doctoris Subtilis in 4to Diſt: 10. q. 8. § Ideo &c. Sub ipſum finem. Vbi de ipsâ ſub nomine potentiæ inorganicæ, ſic loquitur. *Hanc potentiam motiuam non organicam, ſuppono fuiſſe in Animâ CHRISTI, quia etiam erit in Animâ cuiuſlibet beati, non tantum quantum ad habitum, ſed quantum ad*

tum ad

tum ad actum, vel vsus possibilitatem, hâc etenim poterit vti, immediatè mouendo aliquod corpus secundum se totum, sicut Angelus potest mouere: hâc etiam fortè vsus est CHRISTVS in vitâ istâ, vt quandò dilapsus est de manibus Iudæorum, qui ducentes eum ad montem, super quem erat ciuitas eorum sita, voluerunt eum præcipitare, quandò etiam elapsus est de manibus parentum, & mansit in Hierusalem; Ergò anima CHRISTI in Eucharistia existens, poterit vti istâ potentiâ, &c. Ex quibus verbis sic arguo. In hâc vitâ fuit talis homo CHRISTVS, qualis intentus est à DEO ex vi primæuâ creationis naturæ humanæ, quià de Spiritu Sancto & Virgine conceptus, & ideò totus spiritualis, & vi animæ suæ magicâ pro libitu vtens; Ergò & quilibet homo sic conceptus, fuisset totus spiritualis, vernaculum vsum habens potentiæ magicæ, sibi ex dono creationis, naturalis.

28. Imò Corollariè infero. Quòd quià corpus CHRISTI totum erat sempèr spirituale, & nunquam impeditum ab vsu suæ Magiæ naturalis, per aliquem Adamicæ carnis obicem, cuius ille solum similitudinem non rem habuit, sequitur quòd si intensissima Charitas & vehemens desiderium manendi nobiscum, imò in nobis, accessit in CHRISTO, eleuans in summo Magiam Corporis eius viui, eo ipso & tunc quandò instituit Eucharistiam, translocauit suum spirituale viuens corpus in plurima loca, & nunc eodem desiderio translocat, sicque per Magiam istam melius saluantur difficultates occurrentes circà existentiam corporis CHRISTI simul & semel in pluribus locis Sacramentalitèr, quam per tot varietates sententiarum circà hoc existentium. Quod occasione verborum Doctoris Subtilis subtexui, quibus concedit, CHRISTO vt in Eucharistiâ existenti potentiam magicam, sub nomine Potentiæ inorganicæ. Sic probatâ Resolutione hâc ex medio virtutis magicæ Spiritualis, restat vt probetur ex alijs medijs. Itaque.

29. Ex ratione immortalitatis, quæ Beato corpori quàtenus corpus beatificabile est, omninò datur, sic ad propositum Resolutionis arguo, ex verbis Doctoris Subtilis in 4. Dist: 49. q. 12. §. Ad argumenta &c. Ibi, Ad aliud de vitâ &c. Quæ sunt hæc. *Concedo, quòd vita ista in quantum vita, non repugnat beatitudini; Sed hoc est solum, in quantum est mortalis.* Et mox infra ibi, Ex hoc sequitur corollarium &c. dicit. *Consistit ergò beatitudo corporis in esse primò, vt est perfectibile ab animâ beatâ, & hoc propter duo, vel propter maiorem perfectionem animæ in operando, vel propter maiorem perfectionem corporis ab animâ.* Et Quæst: 13. & sequentibus docet assertiuè; Nihil addi corpori aut animæ ad hoc vt corpus fiat de passibili impassibile, de pigro agile, de grosso subtile, de tenebroso lucidum, de mortali immortale; sed in istis beato corpori tribuendis dotibus, partim recurrit ad voluntatem DEI ea conseruantis, partim ad amotionem impedimentorum in corpore, modò illud aggrauantium & corrumpentium. Tunc his positis, quæ videri possunt in textu Doctoris istius, ità procedo. Si vita ista, in quantùm vita, non repugnat beatitudini nisi in quantum est mortalis, Ergò vita ista

immortalis multò minùs repugnabit beatitudini; Sed vita iſta in ſuâ beatitudine inuoluit corpus, ità quòd nedum inſit beatitudo ſecundùm animam, ſed etiam ſecundum corpus, prout corpori poteſt beatitudo competere, Ergò corpori viuo in vitâ iſtâ, non repugnat beatitudo illi conſentanea; Sed per nihil ſuperadditum ſibi, corpus viuens iam immortale, eſt beatificabile; Ergò eſt beatificabile quatenùs eſt corpus immortale & nihil plus; Sed præciſa ratio, quarè corpus factum eſt mortale, eſt tranſitus ſeu transmigratio corporis noſtri in carnem, & per conſequens ſpiritualitatis in carnalitatem, ſeu animalitatem ſuperadditam corpori noſtro vi pomi; Ergò illâ demptâ, corpus noſtrum non eſt caro, ſed ſpiritus, capax ſibi competentis beatitudinis, & immortalitatis; Atqui in ſtatu innocentiæ, vbi generaremur de Spiritu Sancto & Virgine, non ſubintraret in nos carnalitas; Ergò eſſemus Spirituales ſecundùm corpus, ſicut erimus & poſt reſurrectionem. Vel ſuccinctius arguo. Præciſa cauſa quarè homo qui à DEO factus fuit immortalis de facto, & beatificabilis etiam ſecundùm corpus, factus ſit mortalis de facto, & non prius beatificabilis quàm moriatur, eſt ens poſitiuum, exortum in eius corpore ex pomo prohibito, præter intentionem Creatoris, quod ens eſt concupiſcentia carnis, quæ corpus infecit, & in carnale degenerauit, vt Reſolutione ſequenti declarabo; Sed ablatâ causâ iſtâ præcisâ carnalitatis in corpore, quæ vtique eſt ens poſitiuum, carnalizans corpus hominis ſpirituale, aufertur & carnalitas; Ergò vbi non eſt iſta cauſa carnalizans, ibi eſt ſpiritualitas in carne; Sed ſtante ſtatu innocentiæ, & virgineâ propagatione naturæ, non fuiſſet iſta cauſa carnalizans; Ergò nec corporis noſtri carnalitas, atque ità fuiſſemus ſpirituales ſecundùm corpus.

30. Confirmatur. Quia ſecundum Doctorem Subtilem, nihil additur corpori ad hoc vt ſit beatificabile, immortale, impaſſibile, agile &c. Ergò vt non ſit beatificabile, debet illi aliquid addi, iuxtà illam regulam: *Non fit tranſitus de contradictorio in contradictiorium, niſi ratione alicuius entitatis nouæ intercedentis.* Sed iſtud aliquid, quo addito ſibi, corpus noſtrum tranſijt de immortali, impaſſibili, agili, beatificabili, in mortale, paſſibile, pigrum, non beatificabile, non eſt aliud niſi eius carnalitas, & animalitas introducta vi pomi; Ergò hâc ablatâ, corpus noſtrum in ſe eſt ſpirituale; Sed hæc exultauit à conceptu noſtro de Virgine; Ergò ei oppoſita ſpiritualitas infuit; quod eſt propoſitum. Et hæc eſt cauſa, quarè vita iſta quà mortalis, repugnet beatitudini, & cùr teneatur modò quilibet prius mori, quàm beatificetur, ſaltem quoad corpus.

31. Excipio tamen CHRISTVM & B. VIRGINEM, qui licet carnalitate hâc caruerunt, & mori non tenebantur, tamen mortui ſunt, ob alias rationes poſteà afferendas, morte tamen ſpontaneâ, non verò neceſſitatâ, ſicut nos morimur, ità quòd mors iſtorum duorum, verè eſt alia à morte noſtrâ, qui caro ſumus.

32. Ex ratione etiam penetrabilitatis ſeù poſſibilitatis eſſendi cum alio

alio corpore simul, probari potest sic. CHRISTVS idem omninò corpus habuit post resurrectionem, quod & antè, dum viueret, & dùm ex MARIA VIRGINE nasceretur; Sed tàm nascendo quàm resurgendo penetrauit corpora, faciendo se simul cum eis; Ergò corpus CHRISTI tàm cùm nasceretur, quam cùm resurgeret, æquè fuit idem; Sed cùm resurgeret fuit spirituale; Iuxtà illud Apostoli; *Resurget spirituale*; Ergò & cùm nasceretur, fuit quoque spirituale, eo solum modico intercedente discrimine, quod nascebatur velatum similitudine carnis peccati, resurgebat verò abiectâ in morte tali similitudine; Sed CHRISTVS habuit per omnia similem carnem illi, quam habuit Adam antè peccatum; Ergò CHRISTVS habuit carnem spiritualem etiam dum nasceretur ex Virgine, qualem & Adam habuit. Neq; hic recurras ad potentiam Diuinam; Quià non sunt ponenda miracula in naturâ aliquâ, ad hoc vt perficiatur perfectione sibi naturalitèr competente; Sed naturæ humanæ in omnibus electis competit ista perfectio naturalitèr, quòd demptâ imperfectione & grauedine molis aggrauantis animam, penetrabit alia corpora post resurrectionem, & quidem vt eadem omninò est secundum corpus, Ergò id ex dono creationis habet corpus humanum, quòad actum primum, licet ad actum secundum, ob impedimentum naturæ carnalizatæ per scientiam pomi, nequeat pro libitu exire. Dixi pro libitu. Quià multa experimenta conuincunt, verè dari in naturâ humanâ penetrationem corporum naturalem, quam tamen nobis nescientibus natura facit, cui hoc in ipso creationis eius principio, geniale fecit pijssimus in hominem Creator; Si tamen homo id velit pro libitu habere, hoc ipsi non contingit. Vndè.

33. Penetrabilitatem corporis humani ab alijs corporibus, & penetratiuitatem respectu aliorum à se corporum, volo probare esse naturæ & præsertim humanæ ex dono creationis geniale, & naturale. Probo itaque sic. De facto datur in homine viuo, insensibilis corporum materialium integrorum iniectio, penetrantium insensibilitèr solidum hominis corpus, per viam aut nullam, aut pori magnitudinem non excedentem, saltem longè imò inproportionabilitèr corpore iniecto angustiorem; Ergò iam naturæ humanæ secundum corpus, competit de facto penetrabilitas, & penetratiuitas naturalitèr. Antecedens patet per experientias multas, relatas tum à Martino del Rio in suis Disquisitionibus magicis, tum ab alijs Authoribus, tum ab Exorcistis, qui talia iniecta per vomitum eiecta, cum magno stupore non semel spectauerunt; nempè Spicula, Spinas, Aciculas, Pilos, Serraturas, Insectas, Lintea, Artificum instrumenta, Ranas viuas, &c. quæ sagæ conuictæ, confitentur se in homines iniecisse. Hic enim non valet dicere, quod hæc non fuerunt intrò admissa, sed solum per ludibrium sathanæ & oculorum effascinationes, modò reiecta videantur. Quià aliquandò ista manu extrahuntur è faucibus, & si fuerint ligna, ardent, si fuerint bufones, verè viuunt & gradiuntur, sicut experimento compertum fuit A. D. 1631. Mechliniæ, vbi Virgo quædam quisquilias ligneas, dolobra

læuigando derasas, cum multâ mucilagine vomuit, ad duorum pugnorum magnitudinem; & Lyræ, vbi pueri aliqui equuleum, id est Scamnum quadrupes, suâ rotâ atque funiculis instructum, per vomitum reijcientes, iuuabantur per manus adstantium, & extrahentium illud, qui equuleus ligneus arsit verè, nec fuit phantasma, sed verum lignum. Nec iuuat dicere cum Martino del Rio (qui etiam priorem Responsionem solidè eneruat, ostendendo reuerâ eiusmodi res materiales intro inferri in suâ quam habent entitate, & reiectas per vomitum, tales apparere quales de facto sunt) illas res prius comminui à Diabolo in tenuissimum puluerem, & postmodum intus in corpore ad pristinam integritatem, figuram, & conditiones, reduci, dumque foras prodeunt, iterum ab eodem Diabolo teri in puluerem, & in instanti egressus, statim penes angustias faucium iterùm coagulari in pristinum ens. Hoc enim est prorsus potentiæ creatæ Dæmonis impossibile: nempè facere rem iam destructam & priuatam vitâ, iterum viuam, & integram, totiesque à priuatione ad habitum immediatè transitum rebus dare, quod sanè deberet iuxta hanc responsionem fieri, si bis ligna, acus, bufones, viua animalia, comminuerentur in puluerem, & bis rursus ad priorem habitum integritatis, vel vitæ, reuerterentur. Nec enim Sathanas est suprà sed intrà naturam, vndè eius opera intrà naturam, non suprà sunt. Nec rursus iuuat dicere; Diabolum occultè inferre semen rerum, vel applicare intrà hominem actiua passiuis, vt ista in eo generentur: quia licet de bufonibus reiectis per vomitum, & alijs insectis hoc possit admitti (licet multa obstent ne hoc concedatur, quæ lubens prætereo) tamen in rebus quæ per artem factæ supponuntur, vt sunt Acus conglomeratæ, lintea, organa artificum, equuleus ligneus cum suâ rotâ & funibus, & multa similia, non valet responsio. Consequentia est euidens; Ergò &c.

34. Sed præscindendo à Sathanâ, & eius si quod ad hoc præstat auxilio, & operâ, probo, sinè vllâ operatione Sathanæ dari in naturâ humanâ penetrationem corporum de facto. Sunt enim fide digni authores, qui sincerè texentes historias, ea narrant, quæ re ipsâ verè & realitèr euenerunt, in quibus leguntur multi sinè vllo vulnere reddidisse corpora solida per omentum, intestina, stomachum, nasum, obdomen, vesicam, vterum, ita vt fœtus quinque vel sex mensium in vtero mortuus, & quoad carnem consumptus, sua ossa non semel dimisisse compertus sit trans vterum clausum, & quod mirere magis, per vmbilicum maternum. Fernelius etiam insignis medicus scribit, studiosum quendam, aristam deglutitam per costas dedisse. De Sacerdote, qui araneam incidentem in calicem bibit, & per nasum sternutando integram reddidit, nota est historia. Cornelius Gemma de cosmocriticis scribit, se vidisse Virginem, quæ in globum tormenti bellici, literis & characteribus notatum, ponderis trium librarum, per annum excreuerat, nec tamen anteà quidquam sensit vbi delituerunt illæ libræ tres æris, nec fuit in eâ intestinum tàm amplum, vbi tot mensibus tanta moles ænea contineretur. In prægnantibus id frequentèr

tèr contingere solet, cùm ductæ inordinato appetitu aliquid manducant, vel auidè inspiciunt, ità vt quædam, dùm conchiliorum cum summo appetitu testas crudas bis tantùm vel ter, dentibus concisas deglutisset, peperit infrà horam, fœtum viuum vulneratum in abdomine ab illis testis, quæ intrà corpus infantis sese demerserant, transeuntes sinè vulnere aliquo per membranam vteri, & stomachi, aliorumque intermediorum intestinorum, & infantis abdomen lædentes duntaxàt. Quædam spectans auidè tredecem principum tempore Ducis Albani Antuerpiæ decapitationem, mox inuadente eam dolore partus, enixa fuit infantem maturum, absque capite, & cum collo cruento, cuius caput nusquàm comparuit, aut ex vtero prodijt posteà; Ergò clauso vtero ablatum fuit caput illius infantis insensibilitèr per corpus mulieris. Multa talia occurrunt, in quibus enodandis non suppetit alia ratio, nisi concedatur, humanam naturam, ex dono creationis, admittere penetrationem dimensionum, sinè vulnere vllo, præsertim si ardenti desiderio aut tædio vel appetitu insigni, commoueatur. Existimo etenim, quòd sicut desiderium, terror, odium, tædium, cùm sunt intensissima, translocant naturam humanam in ictu oculi ad desideratum, vt iàm docuimus; ità & penetrabilem ab alijs corporibus, & actu penetratiuam aliorum, eam faciunt; nec enim puer ille Insulensis, Matrem inuisere tàm longè distantem potuit subitò, nisi simul tot corpora intermedia, etiàm solida, penetrauerit suum corpus, cujus spiritus Astralis vehementissimo tædio & desiderio matris accensus, corpori eius vtrumque, tam scilicet subitaneam translocationem, quam penetrationem dimensionum, actu contulerit, amouendo impedimenta, quæ sunt & prohibent in carne peccati ista fieri ordinariè.

35. Præterea. Eua (teste Sacrâ Scripturâ) nisi originalitèr conspurcasset naturam humanam per copulam carnalem, sinè dolore peperisset corpus nostrum, & fuissent tunc infantes illius magnitudinis, in quâ CHRISTVS ex vtero Virginis prodijt. Quia enim modò in dolore parit, hoc patitur in pœnam peccati, quod scilicèt belluinam carnem more belluino concipit, cum amissione Virginitatis & stupro; Ergò hoc ordinariè fuisset in naturâ, si non præcessisset peccatum originale; Sed quod est ordinarium naturæ ex dono creationis, illud est ei naturale; Ergò talis partus in statu innocentiæ fuit Euæ naturalis, & consequentèr non miraculosus; Sed talis partus fieri non potuit, nisi admittamus penetrationem dimensionum corporis infantis, & corporis Virginei Euæ; Ergò in naturâ humanâ geniale fuit à creatione, dimensiones se inuicem penetrare, quod arguit hominem esse spiritum, licet concretum, quàmuis corruptâ iam naturâ & brutali carne infectâ, perierit ista authoritas spiritus in carnem, & non se exerat in actum ista penetratio, nisi discussis impedimentis per vehementem aliquem affectum humanum; tunc enim Archeus noster, scilicet spiritus ille astralis, corpora in se absorbet, vt fiant quàsi spiritus, eo fermè modo (licet id non omnimodè quadret, quia omnis similitudo claudicat)

dicat) quo aqua fortis, vulgò dicta Aqua Regis, aurum, æs, argentum, ferrum, in ſpiritum tenuem conuertit, manente integrâ formâ eſſentiali auri & aliorum, in quam rurſus facilè reducuntur, fiuntque rurſus corporeæ, & viſibiles.

36. Huc facit doctrina Hyppocratis, qui totum corpus humanum conſpirabile & exſpirabile dictauit, eò quòd vnius viſceris in aliud, imò in vniuerſum corpus ſit plena poteſtas, authoritas, & facultas; V.G. Vteri in thoracem, pulmonem, caput; ſtomachi ſimilitèr in alia membra, & ſic de cæteris; quod ſanè in corpore arguit ſpiritualitatem, etiam Ethnicis cognitam; Ergò &c.

37. Imò dicam liberè, nedum naturæ humanæ hoc priuilegium datum eſſe ex vi creationis, ſed & alijs naturis, imò ordinariè eſt hoc vernaculum rerum ſeminibus, & ſpiritibus in eis latentibus, facere penetrationem corporum, vt de ſemine & Archeo auri omnes fatentur; cùm enim multa ſint corpora pluries ponderoſa quàm materia vndè conflantur, & inter iſta aurum ſuâ materiâ, ſiuè illa ſit aqua, ſiue terra (de hoc non diſputo modò, ſcio enim eſſe aquam rerum omnium materiam, ſecundum D. Auguſtinum ſuprà relatum) decies & plus ſit ponderoſius, iam neceſſe eſt, naturalitèr concidere in vnum decem partes aquæ, vt aurum indè fiat, æquè cum illis decem partibus ponderans: atque ità ſequitur, quòd cùm pondus non ſit ex nihilo, ſed ex aliquo, iam aqua naturalitèr toties penetrauit ſe ipſam, quoties aurum aquæ præponderat. Hoc idem conuincit & de alijs ſeminibus ipſorum quotidianus progreſſus in generationibus; generata enim ex ſeminibus alitèr non fiunt, niſi corpus ſeminis intimè penetretur, per condenſationem. Hocque agunt ſemina vi ſpiritus in ſe incluſi, qui ſpiritus tametſi ipſemet corporeus, actionem tamen habet ſpiritualem, quâ mediante, materiam ſibi accommodatam in ſe abſorbet, & ſic profert fœtum ſolidum, denſum, ob præfatam penetrationem. Tunc ad propoſitum. Si penetratio iſta conceditur alijs ab homine in naturâ, ob ſpiritualitatem Archei in agendo, multò magis ab homine remoueri nequit, qui à Deo in ſpiritum licet concretum formatus eſt; Sic igitur non videtur abſonum perfectioni noſtræ naturæ, tribuere illi corpus ſpirituale, quale erit poſt reſurrectionem, ſi conſpurcata per degenerationem belluinam non fuiſſet, prout & S. Auguſtinus lib: 3. de Gen: ad literam, relatus à nobis ſupra ſenſit: *Quod tunc fuiſſet Sanctus & iuſtus populus, qualem poſt reſurrectionem futurum credimus.* Jam quo ad Animam, qualis tunc fuiſſet homo genitus de Spiritu Sancto & Virgine, videndum eſt. Pro quo.

38. Præmitto vnum ex doctrinâ Ariſtotelis, qui id videtur ab antiquioribus ſe accepiſſe Philoſophis; *Aliquos videlicèt homines eſſe melius diſpoſitos, quàm ſi eſſent ſcientes.* Hoc enim planè verificabatur in illo primo homine in ſtatu innocentiæ viuente, qui profectò melius fuit diſpoſitus, quam ſi eſſet ſciens; imò prohibitus fuit à Deo ne fieret ſciens, qui ei fructum arbo-

arboris scientiæ boni & mali interdixit ideò; & postquam eso pomo scientiæ factus est sciens, condoluit ei DEVS illis verbis prolatis: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Maledicta siquidem scientia introiuit in hominem ex pomo, non ex creationis dono, vt postea resoluam. Meliùs igitur ille fuit homo dispositus, quam si esset sciens, prout & omnes fuissemus, si de Spiritu Sancto & Virgine, sinè peccato geniti essemus, in illo innocentiæ statu.

39. Dico itaq; etiam secundùm animam; sicut primus homo de terrâ Virgine à Spiritu Sancto formatus fuit purè spiritualis; ità & nos de eodem Spiritu Sancto & fœminâ Virgine geniti, purè spirituales fuissemus. Probatur. Quià homo solus inter omnia creata factus est creatura DEI, viuens in corpore per solam animam immortalem intellectiuam, ad imaginem DEI efformatam, ità quod anima eius sinè imagine DEI considerari nequeat, dùm regnum DEI cum omnibus suis charismatibus sit intimius animæ, quam ipsamet sibi est intima; Ergò secundum animam, homo sic conceptus esset purè spiritualis. Antecedens non tàm indiget probatione, quam declaratione.

40. Cum ergò dico, homo solus; excludo primò Angelos, de quibus nec in Scripturâ nec in Sanctis Patribus habemus clarè Resolutum, quòd sint imagines DEI subsistentes, sicut est homo totus, maximè tamen secundum animam. Vndè licet Angelus censeatur esse Imago DEI, non tamen ità verè & propriè, sicut est anima, quià potiùs est signaculum similitudinis DEI, seù (vt aliqui SS. Patres loquuntur) speculum DEITATIS in quo lux illa Deitatis reflectitur, & constituit sic reflexa, Angelum in esse eius creato: Tanta est ergò differentia inter Angelum & hominem, seu animam hominis, quanta inter Imaginem DEI subsistentem, & Speculum lucis increatæ.

41. Excludo & alia quæcunque creata, ad instar hominis facta, vt sunt Fauni, Satyri, Nymphæ, Pygmæi, Homines marini, & si quæ sunt similia, quæ cum homine videntur conuenire in naturâ. Quià ista solum sunt simulachra nostri, & pura animalia, sensitiuâ animâ, sagaci tamen & discursiuâ, prædita, nequaquam verò sunt imagines DEI, vt postea patebit.

42. Cùm rursus dico. Quod homo viuat in corpore per animam immortalem intellectiuam, & ad imaginem DEI efformatam; excludo ab homine vt tali, animam sensitiuam, cum suâ scientiâ per discursum & rationem. Hæc enim cùm non sint in DEO, nec in eius imagine verâ, ex dono creationis habuerunt locum, sed vi pomi comesti surrexerunt, & hominem de intelligente scientem fecerunt: Antè esum enim pomum, non indiguit homo Ratione, nec habuit eam, sed fuit purè intellectualis, sinè auxilio omni extrinseco rationis, & sensuum externorum, qui solùm dati sunt illi ad perficiendum accidentalitèr, & ornandum corpus eius, perfectissimo astrali Archeo donatum, quam ad adminiculum in intelligendo;

ratio autem ab eo prorsus exulauit. Sicut & modò Sancti & amici Dei, dùm stant sub actu intellectus, contemplando vel seipsos, vel Devm, vel mysterium aliquod fidei, silet in eis ratio, & quiuis sensus, ac si nunquam inesset eis; prout suum amicum Timotheum, D. Dyonisius Lib: I. de Diuinis nominibus instruit, paulò post principium dicens: *Tu verò amice Timothee, intensissimo circa mystica Spectacula studio, linque sensus, intellectualesq; actiones*, (id est rationales, quià intellectus noster non est actiuus, sed tantum passiuus, quidquid dicat Aristoteles, qui deceptus à Ratione actiuâ, eam putauit esse intellectum agentem,) *& sensibilia & intelligibilia omnia, & quæ sunt, & quæ non sunt, atq; vt ipsi iungaris, quod omni essentiâ & cognitione superius est teipsum intende pro viribus, quasi cognitione vocantem; Solâ enim extensione quâdam tum à teipso, tum omnibus expeditâ, ad ipsum Diuinæ caliginis radium, essentiâ* (supple creatâ) *sublimiorem, sublatis omnibus, & absolutus ex omnibus, euolabis.*

43. Vt autem pateat, quòd intellectus, si est Dei imago, non debeat esse agens, sed tantum patiens; declaro hoc: Quia aliàs intellectus quà talis, non referret in se Dei vnitatem & simplicitatem, posito, quòd esset diuisus in luctas agentis & patientis; merè ergò est vnicus, simplicissimus, & cum hoc passiuus tantum; Cùm enim intelligendo transmigret sempèr in formam rei intellectæ, iam eo ipso perficitur, absque tædio & molestiâ: Lucetque in ipso eius lumine, Lumen veritatis intellectæ; Quod vtique fit patiendo, non agendo, iuxtà ipsummet Aristotelem, qui docet *Intellectum esse, quo omnia fieri*; Et Doctorem Subtilem q. I. Prologi: Vbi refellit Philosophos, per intellectum agentem, omnem notitiam posse fieri, probantes, & soluit eorum rationes, concluditque, nos ad veritatis cognitionem pertingere non posse, nisi per reuelationem, seu fidem: quod vtique arguit, intellectum nostrum passiuum, non actiuum esse, eoque plus perfici, quò maior & nobilior eius facta est illuminatio.

44. E contrà verò, ratio seu discursus, qui apud Aristotelem nomen intellectus agentis obtinuit, tantùm res extrinsecè aspicit earumque in se format imagines, curritque cum omni labore circà eas in circulum, ad nucleum autem & essentiam nunquàm pertingit, quià nec res in eum, nec ipse in res subintrat, se transformando in rem intellectam, contentus efformare speciem rei, conformem suo de re illâ placito, in quo fermè semper cespitat, & errat.


45. Quòd autem nequeat anima sinè imagine Dei considerari, est data causa: quòd regnum Dei sit ipsi magis intimum, quam ipsa sibi. Et hoc ex verbis Christi Domini declarari potest, qui nos orare docens, iubet petere, vt nobis aduenìat regnum Dei. Quod ita intelligo. Siquidem notitia intellectualis nihil est aliud, nisi transformatio intellectus in rem intellectam, & è conuerso; prout & ipse Aristoteles coactus est tandem fateri, dicens: *Principia essentiæ, & principia intellectus, esse prorsus eadem:* Quod est dictum: Veritatem essentiæ, & veritatem intellectua-

tellectualis cognitionis eiusdem, esse vnum & idem; iam sequitur, quòd etiam regnum DEI nobis adueniat, atque innascatur quandò in fide DEVM verum, bonum, summum, intellectu degustamus, tunc enim in DEVM intellectus intrat, & in eum vicissim DEVS intrat, & fit per talem intellectus nostri transmigrationem, Regnum DEI, & hæ sunt DEO deliciæ, sic esse cum Filijs hominum, quod Sancti in extasibus abundè experiuntur. Quià ergò iam successit illi statui innocenti, alius corruptæ & obfuscatæ tenebris rationis naturæ status, in quo plerumq; mens nostra cum suo intellectu velut incarcerata à Scientia pomi, vix se exerit, & sinè DEI speciali excitatione nunquàm, ideò CHRISTVS præscribit nobis, vt istud auxilium petamus, dicentes; Adueniat regnum tuum. Licet enim anima ipsa cum suo intellectu sit ipsummet Regnum DEI, tamen iam quasi remota est ab eo, ob rationis nebulas, nisi DEVS suâ gratiâ excitet eam. Sic Adam spiritualis fuit ex partæ animæ, quia intellectualis, non Rationalis, vt vulgò hactenus putatum est. Hinc sequitur.

46. Corollarium. Non benè hominem definiri per animal rationale: vtrumq; enim istius definitionis membrum, est homini, quatenùs homo est, exoticum. Attenderunt enim Philosophi, sic definientes hominem, ad statum præsentem hominis, quem habet in naturâ corruptâ, in quâ viuit assimilatus iumentis insipientibus; & non respexerunt ad statum naturæ institutæ, quem penitus ignorarunt. Nunquàm enim DEVS, condens Hominem in Imaginem suam subsistentem, in vitâ & substantiâ immortali, intendebat vt esset animal, aut propagaretur, nasceretur, viueret, ac moreretur vt Animal, sed hoc ipse sibi homo fecit, vt infrà patebit. Quà proptèr ly animal, quod in Definitione Hominis positum est pro Genere, hoc coram DEO est Degeneratio, corruptioq; naturæ nostræ, & destructio intentionis DEI de Homine. Tantum ergò distat homo in suâ integritate & perfectione primæuâ naturæ consideratus, ab Animali, quantum immortale à mortali, & DEIforme à Bruto. Rationale etiam pro differentia essentiali hominis, vt homo in naturâ incorruptâ sumitur, infulsè ponitur; Cùm Ratio sit ipsissima illa Scientia boni & mali, per esum pomi vetiti in hominem introducta, & non ex dono primæuæ creationis illi collata, vt palam faciam mox, nisi Rationale explicetur per intellectuale. Hæc enim duo nequàquam coincidunt in vnam significationem, cùm aliud sit significatum ly Rationis, & aliud ly Intellectus, licet ista pro vno & eodem hactenùs vsurpata sint à plerisque; absit ergò hominem inter animalia collocare, etiam cum additâ differentiâ Rationalitatis, quæ non deest etiam brutis. Quia licèt homo alienas & quidem animales proprietates induerit ex vitio, & asuetudine, quâ iam in naturâ corruptâ & belluino more propagati, actibus animalibus à puero asueuimus, adhuc tamen in suâ naturâ intellectuali, licet constrictâ & incarceratâ pro statu illo, spirituales perseueramus. Quod ideò occasionalitèr attigi, vt meliùs appareat qualis Homo fuerit, & qualis futurus esset in statu innocentiæ,

ſi perſeueraſſet, vtque natura humana dignificetur, quæ nunc cum Animalibus, quæ DEVS ſubiecit ſub pedibus eius, ſicut computata eſt ſuâ culpâ, ità & eorundem definitione eſt definita, ſuâ ignorantiâ.

47. Et vt iam concludam iſtam Reſolutionem, ad ipſius CHRISTI Domini naturam humanam recurro, quæ in eo certè nequaquàm animalis fuit, ſed ſpiritualis quoad animam & corpus, licet velata, ne id appareret, ſub formâ ſerui, quæ prætendebat carnem Adamicam, tamen abſque peccato. Sic Gloſſa ordinaria ſentit, dum loquitur de eius transfiguratione, dicens. *CHRISTVS ibi oſtendit speciem, qualem habuit per naturam.* Sic & Albertus magnus ſuper miſſus eſt, ait. *Hic annunciatur ille, qui primitias maſſæ noſtræ accepit, cum ſolutione pænæ, & immunitate culpæ, & ſic in primâ puritate, & claritate.* Sed CHRISTVS eam naturam habuit, qualis fuit in Adam antè peccatum, & qualis fuiſſet in vnoquoque electo concepto ſinè peccato; Ergò talis natura fuiſſet in omnibus electis, in ſtatu innocentiæ ſinè peccato genitis, qualem oſtendit CHRISTVS in ſuâ transfiguratione. Nunc iam qualitèr homo à ſuâ ſpiritualitate degenerauit, & per quid Animal factus eſt, licèt in interiori homine adhuc permanſerit Spiritus concreatus, oſtendendum eſt. Et ſit.



RE-

RESOLVTIO SEXTA.

Adam & Eua comedentes de fructu Arboris Scientiæ boni & mali, contrà prohibitionem DEI, vi fructus illius, conceperunt fermentum concupiscentiæ, sicq; degenerauerunt Naturam.

1. CHRISTVS hanc doctrinam (ni fallor) insinuauit Matt: 13. dùm inter alia quibus assimilauit Regnum Cœlorum parabolicè, etiam *Simile illud esse dixit fermento, quod accipiens Mulier, abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum*: Teste enim Lyrano in illum locum; *Fermentum in Scripturâ, vt plurimum, accipitur pro malò, eò quòd est corruptiuum.* Tria autem sata farinæ, secundum Glossam ordinariam inibi, sunt Spiritus, Anima, & Corpus. Regnum autem cælorum, hîc videtur significare naturam humanam, vel cœtum Electorum omnium, eò quòd homini & maximè iusto adueniat Regnum DEI, modo iam suprà declarato: Imò quilibet homo ex dono creationis, imago est Regni DEI, saltèm in interiori homine. Mulier est Eua. Ex quibus non inconuenientèr elicitur iste huius Parabolæ sensus. Natura humana, quæ fuit à DEO instituta, electa, virginea, & azyma, in Paradyso, inclusaque in istis tribus satis, scilicet spiritu, Animâ, & Corpore, ex quibus constat, per Euam decerpentem pomum vetitum, in quo erat fermentum luxuriæ, & abscondentem in his tribus satis per comestionem, vnâ cum Adamo, fermentata est tota isto fermento, & degenerata in belluinam propagationem, illi ex intentione Creatoris non conuenientem.

2. Hanc (vt mihi videtur) huius Parabolæ intelligentiam obtulit Ecclesiæ Apostolus 1. ad Cor: 5. dùm commemoratâ fornicatione qualis nec inter gentes, propter quam & illum qui sic fecit, Sathanæ tradere iussit, & illos quod hactenus non eiecerunt eum, increpauit dicens: *Non est bona gloriatio vestra*, subtexuit hæc verba. *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi, etenim Pascha nostrum immolatus est CHRISTVS. Itaq; epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Nam quid est quæso aliud dicere: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* nisi idem quod dixit CHRISTVS; *Donec fermentatum est totum?* Et quid est? *Expurgate vetus fermentum?* nisi illud quo

quo homo vetus, totam naturam conſpurcauit: quod non fuit aliud niſi concupiſcentia, quæ æſtu ſuo effecit, vt nec nouercæ parceretur. Hoc ergò eſt fermentum à prima muliere in ſatis tribus naturam humanam conſtituentibus, abſconditum; iſta iſta de pomo exorta in natura concupiſcentia carnis, in cuius ſaltèm oppoſitionem & minuitionem, Paſcha noſtrum CHRISTVS, inſtituto nobis epulo carnis VIRGINEÆ in Euchariſtia, vt epulemur in azymis, immolatus eſt. Hinc & in figurâ huius, in lege veteri vetitum in Phaſe fermentum, magno ſanè myſterio. Sed his immorari non expedit, vbi ad declarandum Reſolutionis noſtræ punctum properandum eſt. Quod quià exactè fieri nequit, niſi rerum naturalium principia, & cauſas, generationiſque modum, Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum ſententijs conformem, aſſignemus. Ideò pro hoc.

3. Notandum eſt primò. Quòd licèt Ariſtoteles benè diſtinxerit inter rerum naturalium principia, & earundem cauſas: (ſiquidem alia eſt ratio principij, & alia cauſæ, cùm illud in Diuinis ad intrà ſit, hæc nequaquàm, vt tota ſemper agnouit Theologia.) vtrumq; tamen in naturâ, ſoli lumini naturali innixus, videtur non benè aſſignaſſe, vt vel ipſa priuatio, quæ eſt non ens, & tamen inter principia prima entis poſitiui ab eo recenſita, innuit. Meliùs moderni, ad duo ſolùm reuocant res naturales generabiles & corruptibiles ſub ſole principia, ſcilicet ad materiam, quæ eſt aqua, & fermentum, quo omnia rerum cauſantur ſemina. Sicut & cauſas, ad duas ſolùm reducunt, videlicèt ad Materiam, & Efficiens, & quidem internum, non externum. Iſta enim duo, ſcilicet Materia & Efficiens internum, ſufficiunt abundè ad conſtitutionem cuiuslibet rei naturalis non animatæ; continent enim totam rei cuiusuis ſublunaris non animatæ compaginem, ordinem, ortum, notiones ſigillares, proprietates, & quidquid deniq; ad talis rei conſtitutionem requiritur. Efficiens namq; ſeminale, id eſt, in ſemine latens tanquàm in materiâ, continet in ſe rei agendæ typum, figuram, motum, reſpectus, inclinationes, aptitudines, adæquationes, proportiones, alienationem, defectum, ac quidquid deinceps incidit tàm in generationis quàm regiminis negotio; imò & fines, tanquam rerum à ſe agendarum inſtructiones: eò quòd vnicuique cauſæ efficienti internæ naturali, ſua à DEO naturalitèr ſit infuſa finium & habitudinum ſcientia, vt ità Creator omnipotens, vnicuique efficienti interno, hæc omnia conferens ex merâ liberalitate ſuâ, in vnaquaque re eluceat, & pro tantò res omnes veriùs dicantur creaturæ DEI, quàm ratione materiæ ſolius. Res ergò ſingulæ ſublunares non animatæ, his duabus cauſis internis conſtant, & has duas non plures ad ſui conſtitutionem requirunt, ſcilicet, ſuccum aliquem genericum pro materiâ, ac ſeminale efficiens, diſpoſitiuum ac directiuum tam generationis quam ipſius geniti. Dixi autem ly Rei naturalis non animatæ. Quià in animatis nequaquam iſta duo dant vitam, licèt productum in eſſe conſtituunt, capax vitæ: hæc enim nequit in naturâ haberi, vi naturæ, ſed à ſolo fonte vitæ DEO ſuperadditur, cum

anima

animâ viuente, ceù cum lumine quodam descendente à Patre luminum, & rem à naturâ ad hoc vltimatè dispositam, irradiante & viuificante. Jàm de fermento.

4. Notandum est secundò. Quod fermentum potest accipi dupliciter: aut genericè, aut specificè. Genericè acceptum, est ens creatum formale, seu quod idem est, est forma creata, quam DEVS condidit à mundi principio, tùm in condo elementorum, tùm in tribus monarchijs rerum sublunarium disparatis, quæ sunt, vegetabilia, animalia, mineralia, eo fine, vt præcedendo semina, illa paret, principiet, & excitet. Specificè verò accipiendo fermenta, illa per indiuidua specierum dispersa manent; suntque dona ac radices à Creatore stabilitæ, vsque in consummationem sæculi durabiles, per continuam propagationem faciendo semina speciei propria, & illa excitando. Illa fermenta vocentur, distinctionis gratiâ, Localia: hæc verò, Seminalia. Localia siuè communia fermenta, implantata sunt terræ, tanquam communi omnium rerum Matrici, & etiam aquæ expresſæ; quandò dixit DEVS. Gen: 1. *Germinet terra, &c. Producant aquæ, &c.* Tunc enim terræ, quæ creata est inanis & vacua, tòt implantauit DEVS fermenta, quòt fructus potest de se producere. Vndè videmus, quòd etiam sinè semine præcedentis plantæ, terra fermentata per aquam, profert seu prolificat nouam plantam, nec tamen, vt ait Poëta: Omnis fert omnia tellus; sed illa solùm, ad quæ diuinitus est in illo loco implantata ratio quædam, & radix immutabilis, producendi statutos effectus, tam respectu vegetabilium, quam mineralium, imò & insectarum. Ideoque manifestè videmus diuersitatem fundorum in terrâ & proprietatum illos fundos consequentium, quæ diuersitas nulli alteri causæ tribuenda videtur, nisi diuersitati fermentorum localium inibi creatorum, ob quam etiam diuersi fructus in diuersis pullulant sponte locis, quorum semina aliò translata, aut non proueniunt, aut valdè imbecillitèr. Hæc eadem localia fermenta data sunt & Aquæ, respectu entium ex eâ generabilium seminalitèr. Imò & Aëri; licet de Aëre expresſè id non habeatur in Scripturâ: vel exindè tamen apparet, quòd in aliquibus Prouincijs benigniori aurâ præditis, spontanea & abundans est incussorum seminum profusio, quæ tamen alibi, quamuis in meliorem glebam translata, pereunt. Cuius ratio nequit dari, nisi ex parte aëris, tali ratione fermentali hìc carentis, qualem ibi habet. Hæc fermenta localia in elementorum finibus condita, immutabilia perseuerant. Iam pro fermentis seminalibus, quæ non iam in elementis sed in rebus sunt.

5. Notandum est tertiò. Quòd hoc fermentum, rebus iam constitutis à Creatore datum, est dispersum per indiuidua, & consequentèr cum illis interit; oriturque interdùm etiam, vi fermenti localis originalis; hoc autem fermentum dicitur seminale, quia vi suâ fermentali, in rebus facit semina, quibus res successiuè prolificant in locis, vel finibus, ad hoc aptis natis. Quod facilè patet in mineralibus & herbis, in certis locis, vi semel

 hausti

hausti fermenti sponte prouenientibus. At quià in animalibus, & alijs successiuâ seminis fœcunditate generantibus, non ita clarè elucescit vis ista fermenti semel hausti, ideò pro hoc.

6. Notandum est quartò. Quòd etiam in istis quæ successiuâ seminis fœcunditate generant, vel mutuo congressu sexuali prolificant, eadem est ratio fermenti in principiando: ita enim sapientia æterna, quæ attingit à fine vsque in finem fortitèr, & disponit omnia suauitèr, fermenta plantauit, quòd quædam fecit stabilia in Elementis, & hæc sunt Originalia: Quædam per rerum indiuidua, & species ac si essent loca, dispersit, & hæc sunt seminalia; iterum hæc seminalia, alicubi stabilia pro naturâ corporum ad quæ ordinata sunt, fecit, vt fermenta mineralium &c. Alibi verò vt quasi de manu in manum transirent, ad faciendam scilicet rerum caducarum propagationem, & eâ mediante continuationem, ordinauit; vt fermenta Plantarum, Herbarum, Animalium. Hæc tamen fermenta seminalia, siuè stabilia, siuè labilia, verè originantur à fermentis originalibus, elementum aquæ tam in se quàm in terrâ & aëre imprægnantibus, quæ deindè sic originata, traduntur quasi per manus inter propagandum, & quasi transfunduntur in materiam præparatam duntaxat; quæ est materia seminis; & in semine deinceps sedent, causamque internam, in illo semine velut nucleum in siliquâ seminis inditam, in fectant, vt deindè producendo rem suæ speciei, ità eam fermentet, sicut ipsa est primitus affecta à fermento, sicque iam habetur rursus duplex fermentum in naturâ: vnum Archeale, quod scilicet iam continet auram fluxibilem, seu Archeum seminalem, suo fluxu in Animam viuentem aspirantem; quale fermentum V. G. est in embrione antè animationem: alterum initiale respectu seminis, quod scilicet nondum habet in se talem auram, sed solum continet initium generationis rei, quam principiat. Sed quomodò tale fermentum acquirit vel producit in se semen cum suo Archeo? vt hoc intelligas.

7. Notandum est quinto. Quod istud fermentum initiale, quod potest dici initium generationis rei, acquirit inprimis, vel potius fit vapor, aut odor, aut fraciditas quædam, quam fermenta tam localia quam materialia externis fomentis suscitant, donec tandem ille vapor se suumque sensim hospitium incipiat transmutare, aptare, adaugere, tam diu, quousque requisita omnia ad esse materiale seminis adipiscatur; quibus adeptis, nondum quiescit, sed vltra disponit omnia ad proportionem auræ seu Archei, ad quem ille vapor seu odor fermentalis tendit. Quibus ritè peractis, postquam iam substrata auræ isti massa, iuxta fermenti concepti scopum directa est, consurgit semen perfectum, seu completum; cum cuius primo esse, & simul fomes aliqualis luminis, & cum fomite, fit arreptio luminis, vel à vicino viuente, vel alias: de hoc enim modò non disputo; quod lumen arreptum, est iam aura vitalis in semine, quæ sumpto mox temerario ausu, etiam in animam viuentem non raro aspirat, vt contingit in

git in generatione Cimicum, Pulicum, Lumbucorum, Pediculorum &c. quorum Archei, nobis fermentum & fotum dantibus, accenduntur, & lumen cum Animâ viuente, à Deo impetrant; ità quod à nobis tantùm insufflatur odor fermenti, qui ritè coaptatus materiæ, ex eâ Insectam prosilire facit, licet solum dispositiuè, quia à Deo viuificante effectiuè. Iam verò in illis quæ mutuo congressu prolificant, & transfundunt semina vitalia cum Archeis illorum, generans inter generandum inspirat, seu sigillat in semine sui similitudinem, per idæam imaginatæ fortitèr libidinis, quâ semen fermentatum fit fœcundum, illudque sic fœcundatum transmittit in locum conuenientem, in quo cætera iam per se Archeus sic sigillatus perficiat, iuxta typum idææ similitudinis generantium, ab ipsis generantibus per imaginationem intensam libidinis sibi impressæ. Sicque animalium congressu sexuali prolificantium, fit conceptio. Quià autem dixi, quòd fermentum sit odor: hoc vt euidens sit.

8. Notandum est sexto. Quòd odor, siuè sentiatur, siuè non, est ipsummet initiale fermentum, & totius seminariæ transmutationis continet & complet energiam, saltem virtualitèr, & dispositiuè. Vndè videmus plantas, herbas, insectas, sœpè prodire sinè semine præuio, ex solo odore fermenti, quod ibi inspiratur, & succum, seu aquam disponit ad concipiendum semen talis herbæ, vel plantæ, tàm diu, donec de facto concipiat semen. Vndè absolutè concludo, etiam omnium animalium semina esse, ex suæ Speciei specificis odoribus, quibus excitatis ab aliquo ambiente, causante talem odorem, etiam semina excitantur cum suis Archeis, ad faciendas materiæ illis subiectæ adaptationes, in ordine ad formam talis speciei. Neque satis habet odor excitare semen cum suo Archeo, sed etiam afficit ipsam materiam ex quâ fit semen, & in clientelam suam siuè volens siuè nolens sit, abducit, vndè postmodum in Animalibus genitis, diuersæ intrà eandem speciem inclinationes, impressiones, prosequutiones, auersiones, robora, debilitates, & vitæ alietates, oriuntur. Tanti in natura æstimantur, & tantùm valent odores. Nec mirum; cùm enim natura etiam in corporibus, spiritualis sit maiori ex parte, vt potè ab eo qui Spiritus est, producta, sequitur, eam secundum Spiritum delectari odore, eò quòd odor Spiritus immediatè attingat & penetret per modum lucis, nihilque aliud sint rerum Archei in vnoquoq; semine, nisi spiritus & auræ vitales. Vndè obseruauerunt sagaciores Philosophi, tot esse fracedinum rancidos odores, quòt sunt rerum sapores proprij; eò quod odores nedùm sapores demonstrant, sed & pariunt, ità ergò initiantur res per fermentales odores, vt patuit, producendo & afficiendo semina in naturâ, cum eorum Archeis. De quibus Archeis, siuè causis efficientibus internis, & eorum actiuitate internâ, seriò aliqua addenda sunt. Vndè.

9. Notandum est septimò. Quod in totâ rerum naturalium generabilium serie, de nouo nihil surgit, quod non è semine ortum ducat, nihilque fit, quod non è seminalis Archei actione internâ, de necessitate fiat,

 nisi

nisi adsit impedimentum, eius actionem aut auertens, aut interrumpens, aut tollens, & destruens. Imò & ipsa rerum desitio seu mors naturalis, nihil est aliud, nisi fatiscentis post exantlatas vires Archei defectus, seu periodus. Est enim iste Archeus latens in semine, cuiuscunque rei efficientèr & potentèr efficiens, & ob hanc magnam efficientiam, essentialitèr est à materiâ distinctus; quam efficientiam promouent in eo etiam alia dispositiuè concurrentia, qualia sunt hospitia cum fermentis externis, materiæ in alteritatem transmigrationis dispositiuis, circumstantiæ, fomenta; sinè quibus vel nihil, vel non ità benè operatur Archeus, alias dato semine, statim res proueniret infallibilitèr, quæ tamen non prouenit, nisi ista concurrant. Porrò iste Archeus est tantæ actiuitatis, quod non requirit materiam dispositam, sed ipse valet sibi materiam disponere, ad scopos sibi cognitos, & destinatos, quod ipsa experientia conuincit. Nam ex vnico terræ succo, in vno horto diffuso subtus superficiem terræ, quadringentæ plantæ crescunt & fructificant, quod tamen non fieret, si dispositio in materiâ deberet aliundè parari, quàm ab Archeis herbarum & plantarum. Saltem perindè est Archeo, siuè inueniat dispositionem amicam in materiâ, siuè non; quia sufficit illum esse in semine, & excitari ab aliquo dispositiuè concurrente, tunc enim statim perget in sui destinationem, siuè dispositam habeat materiam, siuè indispositam inueniat; eam enim per seipsum disponet. Neque dicas, per fermentum initiale, esse dispositam iam materiam; quia hoc fermentum non disponit materiam, nisi pro ipso semine, & eius Archeo, quo peracto, dùm iàm Archeus seminalis obtentus est, cessat fermenti initialis dispositio, & tota relinquitur Archeo deinceps prosequenda, qui agit intrinsecè quantùm est in eo, ad formam perfectam rei inanimatæ, & si eam suis viribus obtinere nequit, DEVS supplet eius causalitatem, dando eam formam, quam tota natura dare non potest, scilicet vitam, vel lumen vitale. Sed iam de generatione viuentium vitâ verâ, & se propagantium per semen, dicamus. Itaque.

10. Notandum est octauò. Quod propagantia nunquam attingunt formam essentialem propagati, sed ad summum semen producunt, vi fermenti originalis à DEO ipsis vel locis in quibus propagantur, implantati; quo fermento fermentatus ipsorum quoque Archeus primitus surrexerat, qui & modò semen eodem & cum eodem fermento communicato produxit, quod semen deindè à generante, in ordine ad generationem sequentis V. G. Plantæ, deciditur, sed quasi soporatum, vbi autem ille obdormiens Archeus excitatur à sopore, vt fit quandò terræ concreditur, & haurit eius fracedinem, iàm siliquam seminis in quo latet, statim turgidam efficit, situm ampliat, & fermentum suum specificum, seu odorem profert, qui statim in semine illo causat saporem itidem specificum, ità vt in singulo semine singulæ speciei, singularis quoque fiat alteratio, vnicuiq; speciei propria, quâ alteratione massa seminis iam iam disponitur ad sui transmutationem, & resolutionem siliquæ; quâ factâ ob turgescentiam humidi

sperma-

ſpermatici à fracedine ortam, ſimul vapor quidam & mox exhalatio (quæ è putrentibus, teſte experientiâ, ſenſim aſcendere cernitur) concitatur, oriturque ex illis ambobus, ſub iſtâ qualicunque putredine, calor, qualis interdum ad tactum manus ſentitur in rebus ſub terrâ fraceſcentibus, & præſertim lignis, quæ etiam propterea fugoſam de ſe illicò extrudere fuliginem conſpiciuntur, caloris & corporis diſſoluti indicem. Hoc facto, aura quoque vitalis, licet profundius aliquandò ſit concluſa in maſsâ ſeminis, tamen meditatur eruptionem, & incipit intùs vagari, oberrando per totam maſſam ſeminis liquidam; & tali proceſſu naturæ, non ſemel, madidum fœnum in aceruo compreſſum, ædium excitauit incendia. Habemus ergò, quòd ſemen plantæ vel herbæ, creditum terræ, vi fracedinis, ſit primò turgidum, deindè fracidum, ſimulque odoroſum, & ſaporoſum ſpecificè, tertiò incipit meditari ſuæ maſſæ reſolutionem, quartò concitat vaporem & exhalationem, quintò producit putredinem ſuæ maſſæ cum calore aliquantulo, ſextò calor iſte heterogenea ſeparando, extrudit fuliginem, ſeptimò iam Archeus tentat erumpere, vt ſui perfectionem meditatam promoueat, octauò tandem incipit oberrare per maſſam ſeminis, & nonò eam inter oberrandum diſponit, ſeù potiùs prouocat & vrget, vt ſuſcipiat diſpoſitiones ad formam organicam, vltimò tandem incipit diſponere ſecundùm ſcientiam finium, quam habet ſibi inditam vel à formâ generantis plantæ, quæ ſuper eum dando illi fœcunditatem ſplenduerat, vel ex dono creatoris. Interim verò in tanto auræ illius Archealis conatu, DEVS naturæ pijſſimus parens, non deeſt anhelanti auræ illi, ſed eam tenui, ſplendido, in actualitèr calidis, vel nitido, in actualitèr frigidis, accendit lumine, quo aliquantulum & quaſi inchoatiuè vitalis ſit, non tamen animata per hoc, licet iàm iàm immediatè euadat animanda, imò animetur de facto, DEO ad illum nitorem vel ſplendorem lumen clarius infundente, quod lumen eſt forma eſſentialis, ſeu quidditas rei genitæ, quâ determinatur res ad hoc aliquid eſſentiale; adeò ſanè, vt quamuis ſplendor ille vel nitor, vi ſolius naturæ excitetur inchoatiuè, modo prædeclarato, nunquàm tamen vitalis ſit, aut ad hoc aliquid eſſentiale determinatur, niſi per munificentiam Creatoris, graduantis illud lumen, ſeu potius perficientis, formâ luminis ſpecifici quidditatiuâ ſuperadditâ: quæ forma ſuperueniens, per ſe ſola iàm trahit omnia præcedentia in ſui vnitatem, ſcilicet fracedinem, odorem, ſaporem, calorem, ſplendorem vel nitorem, omneſque proprietates contrahit ad hoc & non ad aliud in ſpecie. Quam formam & vitam niſi Creator largiretur, ſupplendo defectum naturæ, iàm omnia præcedentia hanc formam degenerarent in molam, monſtrum, vel putredinem, aut aliquid aliud ſimile: omnibus ſiquidem alijs præſentibus, & quantum eſt in illis agentibus, deficiente iſto lumine formali, omnia illa trahente ſub vnitatem ſpecificam, proles nequaquam conſurgeret, ſed mox aut in deterius aut in putredinem abiret. Huc ſpectat illud Apoſtoli de DEO pronunciatum, Actuum 17. *Nec longè eſt ab vnoquoq; noſtrûm, nam in ipſo viuimus, mouemur,*

& sumus. Totus iste processus quotidiè constat ipsâ experientiâ in seminibus vegetabilium, sed apertius in ouis volatilium, & apertissimè in seminibus quadrupedum iam decisis in matricem fœmellarum. In quorum propagationem quià homo impegit, per conceptum in naturâ suâ Virgineâ, fermentum luxuriæ brutalis, ideò de eorum propagatione adhuc vnum addendum est, maioris claritatis gratiâ. Igitur.

11. Notandum est nonò. Quòd nec animalia quadrupedia dum generant, attingunt formam geniti, sed solùm semen in se producunt vi fermenti originalis, quo primitus ipsa fermentata fuerunt, quod semen dùm cum ipsius Archeo iam eodem fermento affecto, decidunt inter generandum, tunc ipsorum anima sensitiua, quæ forti & intensâ imaginatione libidinis, quasi à seipsâ alienata, abit per quandam extasim voluntatis carnis, in quâ extasi sigillat suâ luce seù potiùs fulgore, auram seminis archealem, splendendo super illam, & sigillum vmbratile sui splendoris in illam imprimendo, quo hæc aura fit fœcunda, dùm sic sigillata in matricem vtrinq; deciditur. Vbi aura illa, quia fœcunda decisa est, per impressum sibi splendoris sigillum, fit mox auida vlterioris splendoris, ideòque intendit omni viâ sibi possibili, massam sibi subiectam disponere ad receptionem clarioris luminis; quorsùm desiderando anhelans, se ipsam magis magisque accendit, & discurrit solertissimè obambulando & scrutando latebras seminis, vt illud faciat susceptiuum illius veri luminis, quod suprà illam splenduerat ab animâ sensitiuâ generantium, inter generandi actum, quod lumen dùm tota natura illi largiri nequeat, pijssimus luminum vitalium Pater, tunc cùm iam Archeus vltrà progredi, peractâ completâ organizatione massæ, non valet, & iam iàm sistitur plane functus suis munijs, confert ei liberalitèr, & ità fit catulus, vitulus, &c. adueniente lumine essentiali & specifico, determinante massam seminis ad hoc aliquid in specie. Hæc autem determinatio per formam essentialem viuentem, non prouenit in rebus ità, sicut censuit Aristoteles, quasi DEVS cogatur dare formam, vbi natura nequit in eam, hoc enim repugnat fidei: sed quia ex summâ bonitate & liberalitate, obligauit se toti naturæ, quam creauit, & cum quâ ipse principalitèr operatur, vt quoties rerum semina ad iustam maturitatem, & ad metam perfectionis suâ actiuitate obtinendæ, in ordine ad multiplicationem speciei suæ cuius sunt, peruenerint, & destinationi suæ exactè, quantum est in eis, satisfecerint, vbi vltrà procedere nequirent, ipse clementèr largiretur, pro exigentiâ varietatis dispositionum, lumen vitæ specificum, determinans essentialitèr rem.

12. Sed quæres. Quod fuit illud originale fermentum, quo bruta cofermentata conceperunt in se semen, vt eius transfusione libidinosâ per copulam maris & fœminæ propagarentur, quodlibet intrà suam speciem? Respondeo, esse animam sensitiuam brutalem, cum suis phantasijs & concupiscentijs. Non enim frustrà à Spiritu Sancto in varijs locis Sacræ Scripturæ, vocatur per Antonomasiam, Animalis, eò quòd solis animali-

bus

bus brutis ex dono creationis obtigit, in quorum etiam carne & sanguine gliscit; & cùm mortalis & caduca sit, vt resarciat damnum ruinæ, quòd subit in singulis indiuiduis per mortem, sollicita est id restaurare per sexuum commixtionem, multiplicando se intrà speciem, quo fine ei æstrum concupiscentiæ carnis Creator addidit, non quasi quid distinctum realitèr à tali animâ, sed vt eius formalem & primam proprietatem, vt est in Brutis. Et hoc colligo ex eo, quod tanta est connexio concupiscentiæ cum animâ sensitiuâ, vt cum eâ omninò & semper insit, & solis illis insit, saltim quo ad actum primum, qui viuunt animâ sensitiuâ tali. Vndè quia talis ordo à Creatore præscriptus est, vt vbi concupiscentia est, ibi & anima sensitiua sit; sequitur, quod qui fermentum concupiscentiæ acquireret, eo ipso acquireret animam sensitiuam, quamuis ex dono creationis eâ careret, de quo posteà.

13. Et si instes. Animam sensitiuam non posse esse fermentum. tum quià est diuersæ speciei in diuersis brutis; istud autem fermentum concupiscentiæ est in omnibus animalibus idem & vniforme. tum quia est substantia; fermentum autem istud, videtur esse accidens. Respondeo, & nego assumptum. Ad primam probationem dico. Quod anima ista, non secundum illam realitatem, quâ distinguit hanc speciem ab alijs, essentialitèr, est fermentum tale, sed in ratione genericâ animæ sensitiuæ brutalis vt sic, ità quòd non fermentat quà Bouina, Leonina, Canina &c. sed quà brutalis & animalis animâ sensitiuâ præcisè; & ideò sicut anima sensitiua est in omnibus brutis eadem secundum genus, ità & idem fermentum dat omnibus, & omninò vniformè, quod potius est pro nobis, quàm contra nos. Ad secundam probationem dico. Quod anima sensitiua non est substantia, sed est medium quid inter substantiam & accidens, id est minus quàm substantia, & plus quam accidens; sicut Ignis, aut lux; suppono enim dari tales formas medias, quod probabo alibi. Proindè & concupiscentia sequitur tenorem eius, iuxta placitum D. Augustini Lib. 1. de nuptijs & concupiscentia Cap. 25. Vbi sic de illâ loquitur. *Non enim* (inquit) *substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor.* Verè languor carnalis concupiscentia, siuè spectetur vt est in brutis, siuè vt introiuit in hominem vi pomi, est enim radix mortis, ità quòd quidquid per eam fermentatum prodit, eo ipso mortale statim euadit, & languidum, atque morbidum, vt malo suo, & totius naturæ humanæ expertus est Homo in Paradyso, ad quem his præmissis jam conuertamur. Et videamus, qualitèr, & quâ viâ, mulier istud fermentum concupiscentiæ, in istius farinæ, id est, naturæ humanæ satis tribus, scilicet Spiritu, Animâ, & Corpore, abscondit, donec fermentatum est totum. Pro quo.

14. Notandum est decimò. DEVM dum crearet fermenta originalia, tàm in locis, quàm in rebus, distribuendo scilicet dona & radices suis creaturis varias pro varietate earum, etiam creasse duas arbores in Paradyso, quarum vna vitam pro dote natiuâ accepit transplantandam in hominem, si de illius fructu edisset; altera scientiam boni & mali, si ad illam, idem homo, comesturus fructum, recurrisset. Non metaphoricè autem sed verè & realitèr

fuit in istis arboribus vita in vnâ, & scientia boni & mali in alterâ, & vtrũq; in ordine ad hominem Paradysi incolam, ità vt vtraque potens erat suam dotem in hominem transplantare, ità scilicet, vt si Adam de ligno vitæ sibi permisso sumeret, vitam æternam (cæteris paribus) vi illius fructus haberet, sin autem neglecto ligno vitæ & fructu eius, se conuerteret ad arborem scientiæ prohibitam, ac voluntatem malo consensu obfirmatam, in executionem, mediante manu mitteret, decerptumque pomum deglutiret, acquisiturus esset talem scientiam, quæ eum mortalem factura erat. Verè igitùr illa arbor & realissimè habuit in se scientiam, & quidem satis multam, ità quòd dùm eam Protoplasti cum pomo esitarunt, & intus conceperunt, omnes posteros eâdem ad nauseam saturarunt. Paradoxum hoc, scio quòd ridebunt isti, qui ipsimet hâc scientiâ nimis saturi languent, sed audiant, vel legant sequentia, & mox melius habebunt. Itaq;

15. Notandum est vndecimò. Quòd DEVS in vnamquamq; rem, contulit ex dono creationis phantasiam illi rei propriam, vt iam supra dictum est; sic etenim aliqua simplicia amentiam, nonnulla insaniam, nonnulla furorem, inducunt homini, non quòd cerebrum destruant, aut spiritus dissipent, (hoc enim facere non possent, nisi prosternendo statim vires furiosi, quæ tamen experientiâ teste, in illis sunt validissimæ) sed quia introducunt suam phantasiam exoticam humanæ naturæ in nos, quæ victrix, nostrum spiritum astralem, & carnis sanguinisque voluntatem, in nobis subigit in sui clientelam, aut pro aliquo tempore, vt in delirio, vel phrænesi; aut perpetuò, vt in vesania. Arbori igitùr illi, quæ Anthonomasticè vocatur à Spiritu Sancto, Arbor scientiæ boni & mali, donauerat DEVS ob fines sibi cognitos, & in gloriam suæ Maiestatis vergentes, ex vi creationis, talem phantasiam, vt quicunque ederet ex eius fructu, statim etiam transplantaretur in eum phantasia illius arboris, directè opposita vitæ, non alitèr, quàm modò transplantatur phantasia Hyosciami V. G. in eum, qui semen seu fructus eius edit, & facit edentem insanire: vel qualitèr canum rabies, in homines, vel leuitèr à cane rabido sauciatos, transit, phantasia videlicet furoris maniaca in saliuam caninam transplantata de cane, quæ si tetigerit sanguinem alicuius, vel tenuitèr apertâ cute, victrix euadit, subigitque per dies consequentes vim magicam sanguinis humani, & infrà quadraginta dies, plenè spiritum astralem totum caninum efficit, adeò, vt quod probatum est, si homo sic affectum habens spiritum carnis & sanguinis, generaret, iam geniti, (non obstante quòd haberent Symetriam membrorum humanam) verè cum canino spiritu & phantasiâ nascerentur, non flentes, sed eiulantes more canum, & latrantes; sic & punctura serpentum, sanguinem humanum in flauum commutat, totumque hominem mox ictericum reddit: Sic Tarantulæ morsus, tripudiantem in immensum mox efficit. Sic tauri cruor, potantem strangulat: & vno verbo, venenata omnia, sic iam in naturâ nostrâ corruptâ, subigunt sibi suis phantasijs vitam nostram, quamuis id præstare nequiuissent antè peccatum, ob nostri super omnia creata dominium, animâ scilicet immortali immediatè

& per se regente œconomiam corporis nostri, roburque suum spirituale ità ei communicante, vt vinceret omnes inferiorum magias, & phantasias.

16. Soli tamen arbori scientiæ boni & mali, dedit Creator ex dono creationis tantam scientiam, seù phantasiam, vt etiàm in statu innocentiæ robur hominis Magicum superare & prosternere posset, idque in pænam peccati, si ex eâ contra prohibitionem comederet, vt statim pænam in eâ inueniret, ideoque non frustra eam excepit ex omnibus alijs arboribus, quas dederat homini in escam, & adjecit monitum, paternamque prohibitionem, prædicens morituros, si de eius fructu comedissent; non quòd DEVS immissurus in eos fuisset mortem; *DEVS enim mortem non fecit* (scilicet pro homine) *Sap.* 1. sed quia haustâ scientiâ pomi, infallibilitèr mors secutura erat, sic vi fermentali pomi illius scientifici, naturam humanam fermentante, & pessundante. Et procùl dubio cauisset sibi homo à tam pernitiosâ arbore, nisi ille, qui jam sicut fulgur de cælo ceciderat, totalitèr corruptam habens voluntatem, inuidisset homini tantam felicitatem. Hinc scriptum est. *Inuidiâ Diaboli, mors intrauit in Orbem terrarum. Sap.* 2. Nòn quòd ille fecerit mortem, sed quòd persuaserit homini, vt sibi causam mortis fermentalem applicaret, quæ in eo mox causauit mortalitatem. Jlle ergò serpens antiquus, qui & proptereà vocatur à CHRISTO Domino, Joan. 8. *Homicida ab initio;* jam ipse factus obstinatus in malo, (vt loquitur D. Bonauentura. 2. p. Breuiloquij cap. 7.) & per hoc excæcatus à vero, & deordinatus in operatione, & infirmatus in virtute: ille inquam, cuius voluntas jam erat impia, actio auersa à DEO, & conuersa ad hominis odium, & inuidiam; Cuius perspicacitas intellectus à vero lumine excæcata, conuersa est ad deceptiones, & officiositas in ministrando, à verò ministerio amota, conuersa est ad tentamenta, & virtuositas immutata, & coarctata, quantùm permittitur, permittente DEO, vt posteà ex homine etiam quoad carnem corrupto, maiora bona in gloriam suam faceret, induxit hominem ad spernendum mandatum, & præcautionem pientissimi Creatoris, effecitque vt illa prior, quæ virgo creata & in generationem humanæ prolis salvâ Virginitate destinata fuerat, manum arbori admoueret, fructum tolleret, comederet, viroque comedendum offerret; non quòd debiliorem eam viro sciret, sed quòd in eâ totum rei cardinem volui agnosceret, circa propagationem naturæ nostræ virgineæ, eâ enim corruptâ, sciebat aut nullam propagationem futuram generis humani, aut conditiones vteri secuturum partum. Quod & præstitit malignus impostor; vt perhibet scriptura Gen. 3. Postquam autem comederunt pomum scientiæ primi Parentes, vt operationem illius pomi eos fermentantis, cognoscamus.

17. Notandum est duodecimò. Quòd sicut omnium fermentorum originalium vnicus scopus est, producere semen vi suâ fermentali, iuxtà iam dicta suprà; ità & pomum illud arboris scientiæ, quod fuit fermentum respectu concupiscentiæ, & aliorum ad mortem disponentium & necessitantium, admissum intro in hominem, vi suâ fermentali produxit in eo semen, vi originalis fermenti faciendo seminale fermentum, & ei pro aurâ

 vitali

vitali inſpergendo ſuam phantaſiam, ſicq; ſubigendo magicam & robur ſpirituale hominis, in carnem & ſanguinem à mente deriuatum, adeò, vt mens iam ſe à carne retraheret, ob talem obicem carni inſperſum, non valens ordinariè influere in eam vim & regimen ſuum. Quià autem ſemen cum ſuo ſeminali fermento, ſi inuenit adiumenta ſe excitantia & promouentia, non eſt otioſum, ſed ſtatim expergefacto Archeo ſeu aurâ in eo dormiente, properat in diſpoſitiones illius formæ ad quam eſt ſemen, ideò & ſemen inſperſum ab arbore ſcientiæ in hominem, ex quo nactum erat locum conuenientem, ſcilicet carnem & ſanguinem hominis, ſtatim properauit iſta diſponere in ordine ad formam, quæ apta nata erat per tales diſpoſitiones præuias introduci. Cùmque omnia exactè fermentaſſet in corporibus Protoplaſtorum, & carnem ſanguinemque ità affeciſſet, vt brutali carni per omnia facta eſſet ſimilis; non poſſet autem ſuâ actione ad formam animæ brutalis attingere, quæ ſola ad carnem brutalem iam deſiderabatur, ob generalem defectum totius naturæ, non potentis dare animam & vitam ſuis productis; D E V S obligatione illâ antiquâ, quâ ſe obligauerat rerum ſeminibus, quod vbi illa fecerint quantùm in illis eſt in ordine ad formam viuentem, ipſe dabit formam; in vltimo inſtanti perfectæ diſpoſitionis, dedit formam ſeu animam homini talem, qualem exigebat corpus eius omnimodè fermentatum, & diſpoſitum ad brutalitatem, animam ſcilicet brutalem, diſcurſiuam, rationalem, cuius appulſu homo acquiſiuit ſibi & ſuæ naturæ exoticas facultates, nempè ſcientiam, id eſt, rationem procedentem à notis ad ignota, & miſerè currentem ſeu diſcurrentem circa res, & nunquam illarum eſſentiam intrantem, concupiſcentiam ſtimulantem ſe in coitum brutalem, mortalitatem concupiſcentiæ prolem, ità vt iuxtà verbum Domini, exortâ in homine concupiſcentiâ, eodem die mors in eum introiuerit, ſuſcitata à cauſis ſuis, jam in hominem introductis, ſcilicet animâ ſenſitiuâ, brutali, caducâ, & mortali, cum ſuis concupiſcentijs, diſcurſibus, ideis, & phantaſijs. Quæ mentem immortalem à clauo immediati regiminis corporis amouerunt, incarcerarunt, imò potentes erant & è corpore penitùs abigere ſponte cedentem præ horrore ſic conſpurcatæ carnis, niſi D E V S eam detinuiſſet; deſidem tamen deinceps, & minimè ſe exerentem ſuâ ſponte, niſi gratiâ D E I excitante, & præueniente extimuletur, vel niſi phantaſiâ animæ ſenſitiuæ totalitèr peſſundetur, vt contingit in furioſis, qui idcircò longè robuſtiores ſeipſis ſanis euadunt, & atrociſſimâ hyeme in pauimento lapideo nudi dormientes, vel in aquas frigidas ſe immergentes, non frigent, quia mens immortalis compatiens ſic deſerto & neglecto à furente animâ vicariâ homini, dimittit ſuum radium in corpus, quo illud ab externis ſaltem tutatur iniurijs. His ità conſtitutis.

18. Dico. A fermento originali latente in arbore ſcientiæ boni & mali, ſibi applicato ſuaſu Diaboli, homo fermentatus eſt totus, ex azymo & virgineo tàm in ſe quàm in poſteris, fermento arboris illius inducente in eum animam ſenſitiuam, rationalem, cum omni ſuâ proprietate, quæ nihil aliud

eſt niſi

est nisi scientia pomi, transplantata in hominem, & ab eo in totam posteritatem, iuxtà verbum CHRISTI Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum* (id est Homo) *fermento, quod accipiens mulier, abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.*

19. Aduoco hùc D. Ambrosium Lib: de Paradyso cap: 7. pro nobis sic discurrentem. *Ni fallor, mortis causa inobedientia fuit, & ideò homo ipse sibi mortis est causa, non habens DEVM suæ mortis authorem; neq; enim si medicus præscripserit ægrotanti à quibus videatur cauendum, atq; ille ab interdictis non putauerit abstinendum, causa ei mortis est medicus, sed vtiq; ipse sibi reus est mortis propriæ: Itaq; DEVS quasi bonus medicus, prohibuit ne Adam nocitura gustaret.* Neq; opponas D. Amb. D. Augustinum 14. de Ciuit: DEI: cap: 12. Vbi arborem scientiæ boni & mali, & escam ex eâ, putat fuisse nec malam, nec noxiam in se, sed ideò malam & noxiam, quia prohibitam. Non opponas inquam; quià certum est, quòd illa arbor non fuit in se mala nec noxia, imò bona, & necessaria, in ordine ad fines à DEO præuisos, ad quos eam creauit, & in quos certissimè deducta fuisset, & fortè deducta est, quamuis Adam ex illâ non gustasset: sicut & de alterâ arbore vitæ omninò tenendum est, licet homo ex eâ non gustauerit; fuit tamen in ordine ad hominem mala & noxia, & ideò non sinè causâ homini prohibita; Vndè & Ecclesia eius fructum appellat in Hymno Dominicæ Passionis, Pomum noxiale, eo scilicet modo fermentans azymam naturam, quo declaratum est. Si igitur Ecclesia & SS. Patres tenent, arborem illam scientiæ, fuisse noxiam homini, & non videtur quomodò, nisi introducendo & transplantando in eum vi sui fermenti originalis, scientiam, rationem, desideria brutalia, quæ nequeunt consistere sinè animâ sensitiuâ brutali, aut saltem per modum brutalis se habente in nobis, & nos brutalizante; sequitur, quòd istius arboris pomum comestum, degenerauit primos homines talitèr, vt dictum est.

20. Roboratur hoc ex illo loco Sap. 1. *DEVS mortem non fecit, nec est medicamentum exterminij, nèc inferorum regnum in terrâ.* Quod respectu solius hominis protulit Salomon: quià alioqui Brutis antè creatum hominem jam mors destinata erat naturalitèr, & quidem ex eadem radice, per quam etiam mors in hominem introiuit, scilicet per collatam eis ex dono creationis animam sensitiuam mortalem, cum suis concupiscentijs & desiderijs. Sathanas etiam mortem non fecit; Quia non est inferorum regnum in terrâ, & multominùs in Paradyso fuit; nec Sathan potest mutare essentias, quæ institutæ sunt à Creatore mortis expertes, eas inuertendo, & mortales efficiendo; Ergò ipse homo sibi fecit mortem, quià causas mortis sibi applicuit, vndè mortalis euasit, morsque illi naturalis facta est, scilicet, cùm comedit fermentum originale in pomo vetito latens, disponens ad animam brutalem mortalem, & scientias, ac phantasias, & proprietates eius.

21. Si dicas. Mors est priuatio, & non ens; Ergò non potest habere causas positiuas. Respondeo, negando assumptum; alias scriptura dicens,

quòd DEVS mortem non fecit, ſcilicet pro homine, vel in homine, committeret nugationem; quia horum verborum iſte eſſet ſenſus: DEVS non fecit non ens, quòd mors dicitur; ſicut enim *ly* fecit, habet pro termino ens poſitivum, ità & *ly* non fecit, habet pro termino idem ens poſitivum, non tamen factum. Eſt igitur de facto mors in brutis ens poſitivum, ſicut & prodromus eius morbus, ſtabulatque ibi, & vitam afficit intrinſecè, quia in brutis cauſæ mortis ſunt in actu, ſcilicet anima ſenſitiua caduca, cum ceteruâ ſuarum imperfectionum: Vbi autem eſt cauſa in actu, ibi eſt & effectus in actu. Aſt in homine non fecit DEVS cauſas mortis, ideò nec in eo fecit mortem, ſed eo ipſo die, quo Adam & Eua comederunt pomum ſcientiæ, deuorauerunt ſimul & cauſas mortis, quas pomum illud introduxit, ſicque homo ſibi imputet, non DEO, quòd mors in eo actu ſtabulet, & euaſerit illi naturalis, atq; vitam eius affectet poſitiuè, donec & perimat.

22. Præterea. Homo à DEO creatus eſt immortalis ſecùndum animam, & potens non mori ſecundùm corpus: cuius cauſa conuenientior dari non poteſt, niſi ex ratione mentis immortalis, informantis corpus humanum: quià enim mens immortalis cuncta munia in corpore humano immediatè præſtabat, ideò dabat ei vitam de ſe immortalem; cùm, quale eſſe habet forma, tale det & ei quod accepit eſſe per eam: quià igitùr anima intellectiua eſt interitus neſcia, nec rerum caducarum importunitatibus ſubiecta, oportuit, ipsâ immediatè œconomiam corporis regente, parem quodammodo immortalitatem corpori communicari, ſaltem quoad præſtantiam poteſtatum rectricium; vndè etiam & modò poſt lapſum, mens impaſſibilis eſt à rebus caducis, eò quòd deeſt illis ſymbolum, per quod mentem immediatè attingant aut penetrent; corpus etenim ſolùm, homo ſortitus erat ex dono creationis potens mori, non autem animam; Ergò non potuit homo immortalis tranſire in mortalem actu, ſinè aliquo medio poſitiuo: Sed hoc non videtur conuenientiùs aſſignari poſſe, quam ponendo in homine eandem animam quæ in brutis, ſubortam ex pomo, quæ mentem à clauo regiminis immediati corporis humani depulit, ſibique illum vſurpauit; Ergò per appulſum iſtius animæ nouæ, & homini exoticæ, totus homo euaſit degeneratus, & mortalis. Quod eſt propoſitum.

23. Præterea. Niſi teneamus, ex fructu arboris vetitæ comeſto, mortem prodijſſe in hominem naturalitèr, ſequetur DEVM feciſſe mortem in homine. Sequella patet; quià qui hominem fecit cum animâ caducâ & mortali, quam quotidie videmus deficere & extingui in brutis, ille cenſetur hominem ex vi creationis feciſſe caducum & mortalem; Ergò ne hoc cogamur dicere, tenendum eſt, animam caducam ex eſo pomo, in nobis ſuſcitatam. Confirmatur. Quià brutorum mors, eiuſdem eſt generis cum morte noſtrâ, quia ex eâdem radice conſurgit, ſcilicet ex anima caducà, quæ in morte brutorum perit, & in nihilum abit, ſicut lumen candelæ dum extinguitur; Ergò ſimilitèr eſt & in morte noſtrâ, atque ita

anima

anima caduca, quæ in morte noſtrâ perit, introducta eſt vi pomi in nos, & cum eâ mors, quod eſt propoſitum.

24. Præterea. CHRISTVS dixit Math. 6. *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Sed modò nos ſumus in tali ſtatu poſt lapſum, quod corpus noſtrum duobus Dominis ſeruit, iuxtà illud Apoſtoli ad Gal 5. *Caro* (id eſt anima carnalis & animalis) *concupiſcit aduerſus ſpiritum & ſpiritus aduerſus carnem, & in hâc luctâ ſemper ſumus dùm viuimus.* Ergò ex dono creationis, à tyrannide animæ animalis omninò liberi fuimus: nam ad quid præpotens Creator, talem Tyrannum qualis eſt nobis anima ſenſitiua, daret homini ex dono creationis, quem ſic dilexit vt delicias ſuas appellauerit? non enim requirebatur ad propagationem naturæ, quæ alitèr propagari debuerat; nec poſſet tali carnali propagationis modò, produci imago DEI; Ergò ipſe homo corpus ſuum & ſe totum iſti Tyranno ſubiecit, ponendo in ſe diſpoſitiones ad hanc animam. Sed

25. Inſtabis hic. SS. Patres docent; mortem introiuiſſe in hominem ob peccatum inobedientiæ, non verò ob materialem pomi eſum; Iuxtà illud Apoſtoli ad Rom: 5. *Per vnum hominem intrauit peccatum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſiit.* Reſpondeo; SS. Patres & Apoſtolum de originali peccato, quod nihil aliud eſt niſi talis vt iam eſt explicata conſpurcatio naturæ per ſcientiam pomi, loqui: quod ſanè peccatum non fuit ſimplex inobedientia, vel legis Diuinæ de non edendo transgreſſio; iſta enim ſolùm fuerunt Adæ peccata perſonalia, & piabilia per actum contritionis, ac pœnitentiæ virtutis. De facto enim primi parentes peccauerunt pluribus peccatis antè pomum deglutitum, quæ tamen toti naturæ imputata non ſunt, quia nec eam vitiare potuerunt: de peccato ergò originali eſt ſermo, quod conſiſtebat in pomi noxialis manducatione, cuius vi fermentali, natura tota conſpurcata & mortalis facta eſt. Si enim mors ex contrauentione legis ſeu prohibitionis eſſet, & non ex pomo generante in nobis ſcientiam, ſequeretur vnum ex duobus: vel quòd totidem eſſent mortes nouæ quotidiè, quot ſunt nouæ præuaricationes legis Diuinæ; vel quòd DEVS non tanti faciat ſua decalogi præcepta, quanti fecerat illud præceptum de non edendo fructu arboris ſcientiæ; non enim æquè ſeriò obſeruandas leges vult ille legislator, qui non æquo ſupplicio vult caſtigare transgreſſores aliarum ſuarum legum: quod abſit de DEO ſentire. Ergò peccatum originale, occaſionalitèr ſolum eſt ex inobedientiâ, effectiuè verò ex pomo applicato per comeſtionem in naturam, & vi ſuâ eam degenerante. Imò ſi mors ex peccato eſſet præcisè, vtique eſſet ex maledicto, atque ità contigiſſet eodem momento quo commiſſum eſt peccatum, quia maledictio non indiget duratione, vt operetur in maledictum hominem; Atqui mors non ſtatim operata eſt deſitionem vitæ in Adam, ſed poſt multa ſæcula, Ergò per cauſas naturales in pomo latentes applicatas per comeſtionem homini, mors ſurrexit in eo.

26. Inſtabis iterum ex D. Auguſtino Lib: de Eccleſiaſticis dogmatibus

tibus cap: 15. ità loquente. *Nec duas animas esse in homine dicimus, vnam animalem, quâ animetur corpus, & immista sit sanguini: alteram spiritualem, quæ rationi ministret. Sed dicimus, vnam & eandem esse animam in homine, quæ corpus suâ societate viuificet, & semetipsam suâ ratione disponat.* Idem docet Lib: de Spiritu & Animâ cap: 9. Et lib: de fide & symbolo, atque alijs in locis. Item D. Damascenus Lib: de fide Orthodoxâ cap: 12. Et expressè determinatum est 8. Synodo generali actione 10. Canon: 11. his verbis. *Apparet quosdam id temporis in tantum impietatis venisse, vt duas in homine animas impudenter dogmatizent, quos omnes & similia sentientes, cùm vetus & nouum Testamentum, & omnes Ecclesiæ Patres, vnam animam rationalem in homine asseuerent, sancta & vniuersalis synodus anathematizat.* Ergò pomum comestum non introduxit in hominem animam aliam, & oppositum asserere, est contra fidem. Respondeo. Quòd isti citati SS. Patres & Concilium, loquuntur contrà eos, qui ponebant duas animas in homine subsistentes, & constituentes speciem, sicut ponebant Manichæi, vt refert D. Augustinus 10. super Gen: ad literam cap: 14. & Philo Judæus: prout mentionem illius ex quodam nomine Dydymo facit idem ibidem cap: 12. Et contrà hos sunt ista quæ dicunt SS. Patres, & 8. Synodus. Ast contra me nihil obtines ex his; quia sic pono animam istam caducam & homini aduentitiam in homine, quòd potiùs ex sententiâ D. Augustini suprà allati, languorem eam esse puto naturæ nostræ, quam animam. Et licet aduenerit in hominem ista anima vi pomi, nullam tamen speciem constituit cum corpore humano. Tum quià iam homini constituto in esse completo hominis, per accidens aduenit; tum quià nequit vllo modo per se esse superstes in homine, nisi mutuet à mente sustentationem sui, quæ mens cùm non inueniat in corpore mortis huius aliquid sibi proportionalius istâ animâ, in eâ se quodammodò demersit, ita vt se suâ sponte non valeat separare ab eâ, & à corpore peccati, nisi cum ista anima perit in vitæ nostræ periodo vltimâ; tum quià, nullam à DEO determinationem accipit, vt potè quæ præter intentum Creatoris in naturâ humanâ surrexit: quod patet in monstris, quandò scilicet prægnans repentino perculsa pauore, mutat fætum humanum in monstrum, vbi mens abit, & sola anima sensitiua remanet, solum ab ideâ prægnantis quousque est in vtero habens esse; à quâ si parturiendo separetur, mox deficit, non ob aliam causam, nisi quia per se nullam habet subsistentiam, & determinationem. Vna ergò est in homine anima Intellectualis dans esse homini, quà homo est ex intentione DEI, hæc verò altera anima, nec dat homini esse specificum animalis alicuius, nec in eo per se subsistit, nec est ex intentione DEI, sed solum sicut languor quidam, superueniens naturæ ex degeneratione secundum corpus. Proindè distinguo consequens. Ergò pomum &c. non introduxit aliam animam per se subsistentem & determinatam ad certam speciem, concedo: non subsistentem nec determinatam, sed solum per modum languoris appulsam ex pomo, nego.

27. Si

27. Si vrgeas quærendo; Aut iſta anima eſt ſubſtantia, aut accidens? Sed non accidens, cùm ſit merè forma eſſentialis, Ergò ſubſtantia: Si ſubſtantia, Ergò vbique, tam in Brutis quàm in homine, habebit ſubſiſtentiam. Reſpondeo: quod iſta diuiſio entium naturalium in ſubſtantiam & accidens, eſt inſufficiens: Dantur enim mediæ res in naturâ, quæ nec ſunt ſubſtantiæ nec accidentia, & tamen ſunt aliquid, & ens actu: & tales ſunt omnes formæ ſubſtantiales, exceptâ ſolâ animâ intellectiuâ. Item ignis, Lux, Vita, &c. quæ plus ſunt quàm accidentia, minus tamen quam ſubſtantiæ, ac proindè ſunt entia neutra, realia tamen, quod de Igne & luce facile eſt ad oculum demonſtrare. Lux enim ſolis, tranſiens per vitrum ſic paratum, vt omnes radios ſolares transmittat in punctum coni collectos, eſt tantum lumen, in cono verò aëris, idemmet lumen eſt iam Ignis, ex ſolâ vnitione ſeu connexione in illo cono radiorum reſultans, ita quod in puncto coni eſt verus ignis, cum omnibus ſuis proprietatibus, parum autem ſupra conum, lumen ſolum eſt, nec amplius comburens ignis: Atqui cùm eadem res nequeat eſſe vno in loco ſubſtantia, in altero verò accidens, & iam habeamus idem lumen ſuprà conum & in cono; ſequitur lucem & ignem eſſe talia entia, quæ nec ſunt ſubſtantia nec accidens. Et quià formæ rerum & maximè viuentium, ſunt lumina deſcendentia à Patre luminum, ideò tale ſit de eis ac de ipſo lumine iudicium, quòd ſcilicet nec ſint ſubſtantiæ, nec accidentia, (excipio tamen ſemper animam intellectualem, quæ eſt ſubſtantia formalis) ſed entia neutra.

28. Et vt iſta entia neutra in naturâ agnoſcas eſſe de facto, conſidera hæc ſequentia, quæ iam ſubnecto de igne, in hoc enim vt potè notiori inter entia neutra, placet illa declarare. Ignis ergò ita vnitur cum carbone ignito, vt appareat eſſe cum eo quaſi eius forma ſubſtantialis, & tamen potiùs eſt deſtructor; Sed omnis forma ſubſtantialis alia ab igne, eſt in materiâ ſuâ vt perficiens eam; Ergò Ignis non eſt ſubſtantialis. Item forma ſubſtantialis ſemel ſeparata à materiâ, non redit amplius in eam, niſi poſt multas intermedias transmutationes; juxta illud Philoſophi; *A priuatione ad habitum non datur regreſſus immediatè.* Aſt ignis extinctus totalitèr millies in Lychno candelæ, millies iterum mox redibit immediatè. Item forma ſuperueniens, ſubſtantialis ſcilicet, expellit aliam formam ſubſtantialem à ſubiecto; Ignis ſuperueniens in ferrum, quod candens ſe ipſos efficit, compatitur adhuc ſecum formam totalem ferri. Item omnis forma ſubſtantialis, habet determinatam materiam, ſi illam debeat informare, aliàs non informabit eam; aſt ignis non petit ſic determinatam materiam, quia in tot ſubiectis poteſt eſſe receptus, quot ſunt res ignibiles. Item formæ ſubſtantiales non ſuſcipiunt gradus intenſionis, ignis ſuſcipit, vt folles demonſtrant; Ignis ergò non eſt ſubſtantia. Non eſt etiam accidens, quia accidens, & præſertim abſolutum, (quale videtur eſſe ignis, ſi eum inter accidentia collocare deceat.) nequit eſſe ordinariè ſinè ſubiecto, ignis autem in aëre; per collectionem radiorum per vitrum in cono

productus, verè est sinè omni subiecto: quia tunc solum est in loco. Quod patet; quia in illo puncto coni, aër exsufflatur, igne tamen in loco manente. Si autem ignis esset receptus in aëre vt in subiecto, deberet vnâ cùm aëre abire ex loco coni. Sed hæc cùm non sint huius loci, ex professo alibi examinabuntur in physicis.

29. Quòd si omninò quis proteruiat, & nolit agnoscere ista entia neutra in naturâ. Respondeo illi ad quæstionem: quòd duplex sit substantia, quædam res realis: quædam non res, sed solum realitas in re aliâ; & sic ista anima sensitiua in homine, surrexit vi pomi vt realitas quædam afficiens naturam, non tamen vt res subsistens, & habens specificum determinatum esse, & ita quasi est ens medium inter substantiam & accidens, quià maius quàm accidens, & minus quam substantia subsistens, quod sufficit ad præsens, ne dicta SS. Patrum & determinatio 8. Synodi, nostræ Resolutioni officiant. Patet ergò dari in homine animam sensitiuam, non ex dono creationis, sed ex pomo scientiæ comesto. Quià autem dixi hanc animam ex pomo suscitatam esse rationalem, cum quâ ratio & discursus hominibus illis primis aduenit, quem ex vi primæuæ creationis à DEO non acceperant, hoc paulò amplius declarandum, & probandum est. Itaque.

30. DICO secundò. Ab eodem fructu arboris vetitæ, & eius fermento sibi applicato, ortum habet in naturâ humanâ scientia per discursum, seu Ratio, quæ tam mentem, quàm corpus hominis in deterius commutauit, ità vt quidquid incommodi patitur mens & corpus, totum hoc in totum hominem deriuatum est à ratione & scientiâ pomi. Hoc sequitur ex dictis. Quià semel introductâ animâ sensitiuâ seminalitèr in hominem, iàm homo cæpit viuere vitâ mediâ inter mentem & corpus, & ità desijt immediatè ac intuitiuè intelligere, solumquè per discursum & scientificè cæpit de rebus ratiocinari, non quod tunc penitus amiserit cognitionem intellectiuam, quam antè pomum comestum habuit, sed quod solùm obscurauerit eam, & in exercitium eius non liceat ei deinceps pro libitu exire; ita vt non nisi per reminiscentiam, & caliginoso ac misero animæ sensitiuæ discursu mediante, iam res cognoscere cogatur.

31. Ostenditur hoc clarius sic. Intellectus nunquam est falsi, sed tantum veri entis, est enim intellectus totius entis, falsum autem non est ens, nullaque eius est essentia, in quam se intellectus adæquando transmutet. Sed discursus seu Ratio plerumquè est falsi; nàm pensemus quæso, vndè tot circa vnicam quæstionem sententiæ Doctorum, quorum quilibet alitèr & alitèr, ex alijs & alijs rationibus & motiuis, procedit ad eam resoluendam. Nonne videtur culpa omnis tantæ diuersitatis in sentiendo, transferenda in scientiam boni & mali, vi comesti pomi suscitatam, vnâ cum animâ sensitiuâ? Ergò hæc scientia impediens homines ab assecutione veri, est vtique Ratio, seù discursus; atque ità manifestum est, rationem non procedere à mente immortali, nec cum eâ nobis esse indi-

tam

tam ex dono creationis, ſed ex eſo pomo irruiſſe in hominem, ceu hoſpitem peregrinam, ab eſſe mentis totalitèr diſtinctam, labilem, & flexibilem pro omni parte, quæque mentem tædio afficit, & totum hominem miſerè iactatum & fatigatum, nudum prorſus, & cognitionis expertem, relinquit.

32. Experiuntur hoc viri ſpirituales contemplationi vacantes, cum ſummo ſuo tædio, quandò hæc ſcientia pomi ſeu Ratio, inuitam mentem, dùm in ſilentio intrà ſeipſam ſibi, Deo, & orationi, vacat, vt vmbra corpus, continuò comitatur, & iniuſſa in mentis concilium aduenit, præſertim ſi mens nondum eſt accuratè exercitata in contemplando, vel non ſat ſe clauſit intrà ſe: qui certè rationis importunus in conclaue mentis inſultus, eſt ipſi oneroſiſſimus, triſtiſſimus, tædioſiſſimus, & ſi mens, eſtò ſic turbata, adhuc tamen in contemplatione perſeueret, eſt ei ad magnum meritum. Quòd ſi contingat mentem illius impoſturis aſſenſum præbere, mox experitur, cùm in ſe redierit, ſe nudam, & in tenebris ac incertitudine ceſpitantem, & vt aſinum ſub ſarcinâ gementem. Ex quo ſanè habetur, rationem eſſe prorſus extra mentem, toti homini ex pomo & eius fermento aduentitiam, ac peregrinam.

33. Præterea. Quilibet noſtrum experitur, ſe circà vnum & idem obiectum, eodem tempore ſimul elicere actum nolitionis, & actum volitionis; vt cum V. G. Adoleſcens aliquis perditè deperit puellam, & tamen ob reſpectum aliquem optat ſolui ab illo amore, iſte ſimul & ſemel vult contradictoria circà idem, iuxtà illud Salomonis, Prou: 13. *Piger vult & non vult.* Sed hæc in eodem ſubiecto ſimul & ſemel nequeunt hoſpitari ſecundum idem, ad idem, & eodem tempore; Ergò ſunt à diuerſis animabus, nimirùm quod placet, ab animali & carnali, quod verò honeſtatem inducit, eſt à mente.

34. Huc faciunt verba Apoſtoli ad Gal: 5. Vbi enumerat opera carnis, quæ primâ facie videntur eſſe ſpiritualia, vt contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, inuidiæ &c. Et tamen Apoſtolus illa eſſe dicit opera carnalia, ideò videlicèt, quià ſunt operationes animæ ſenſitiuæ, & rationis eius, ac voluntatis carnis & ſanguinis, quæ ſeminalitèr in carne noſtrâ ex pomo ſurrexerunt, ſicut & in Brutis ex eâdem animâ ſunt de facto iſta opera. Ergò iſta arguunt ſcientiam hanc æmulandi, rixandi, inuidendi, &c. non ex dono creationis, ſed ex pomi diſpoſitionibus in nos veniſſe, eſſeque nobiſum brutis communem: hoc ſolum paruo intercedente diſcrimine, quòd in nobis irradiatur aliqualitèr ſecundum magis & minus à mente, vt fiat clarior & diſtinctior; in Brutis verò non item, quæ proindè in diſcurrendo intra ſe magis errant, & citius decipiuntur quàm homines. Quàmuis & hominem non rarò inuenias Bruto ſtolidiorem. Imò etiam viri exercitati in diſcurrendo, frequentèr experiuntur, ſe vi rationum diuerſarum nunc hùc nunc illùc iactari fluctuando, ſic eos dementante ratione miſerâ, vt interdum abducantur in inconueniens, nec ſcientes nec ad-

uertentes. Ratio igitùr est illa scientia pomi, quæ nos à vero lucidoque intellectu abstraxit, mentem obscurando, ne possit cernere verum.

35. Præterea. Anima seù mens, intelligit in pace & quiete, & nequaquam inducendo sibi ambiguo extortæ rationis ductu, cœcas veri imagines, intricatas fallacias, ac veri persuasiones, plerinquè infaustas & erroneas, non etiam in cognoscendo res excurrit ad similia, vel proportionalia, siuè contraria illi rei, vt verum sit illud Aristotelis: *Anima sedendo & quiescendo, fit prudens.* Quod apparet in viris spiritualibus illiteratis, qui sapiunt suprà Theologos, eò quòd in pace & quiete creaturas in Creatore, & Creatorem in creaturis, non per discursum, sed purâ intelligentiâ conspiciunt. Ergò Ratio cognoscens cum motu & discursu per imagines, proportiones, similitudines, contrarietates, &c. est distincta à mente, & non est ex dono creationis primæuæ indita homini, sed surrexit aliundè.

36. Præterea. Non percipimus nos aliquid intelligere per rationem & discursum, nisi ex sensuum limitibus obiectorum species seù imagines in nos traducantur. Juxtà illud Philosophi. *Nihil est in intellectu, quod non præfuerit in sensu.* Quod verum esse concedo, de cognitione per rationem. Sed etiam percipimus nos aliquid intelligere per intellectum, quàmuis sensus iudicet oppositum; Ergò hoc est ab intellectu puro, illud verò à ratione; Sed vnius rei homogeneus & vnicus est agengi modus; Ergò ista diuersitas intellectionis seu cognitionis in nobis post lapsum exorta, arguit nos accepisse istum imperfectum cognoscendi modum, quo per discursum procedit ratio. Quod est propositum.

37. Prætereà. Gen: 2. appellauit Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cœli, & omnes bestias terræ; Atqui tunc non procedebat Adam per discursum, inuestigando proprietates animantium, sed simplicitèr & intuitiuè introspiciendo essentias eorum; Ergò solo intellectu id tunc præstitit, non impedito à ratione, quod postmodum nec Salomon præstare potuit, nisi discurrendo, prout scriptum est. 3. Reg: 4. *Disputauit à cedro Libani vsq; ad hyssopum quæ egreditur de pariete.* Ergò tunc Adam rationem non habuit onerantem & impedientem actum intelligendi in eo, sed posteà ex pomo illi aduenit.

38. Imò nec in resurrectione futurâ habebit in nobis locum ista ratio; mens enim post mortem habet omnem suam cognitionem simul, plenam, nudam, non successiuam, non vi præmissarum extortam, non discursu expugnatam, non disputabilem, aut dubiam, nec faciet amplius demonstrationes vt vnum ex altero concludat, trahat, deducat, cogatque, vt sic rem concipiat, iuxtà illud D. Augustini 15. de Trin: cap: 17. verissimum, licet ab ipso dubiè, & ob humilitatem, quâ tantus Doctor semper vsus est in proferendis suis sententijs, cum formidine prolatum proloquium. *Fortassis non erunt ibi volubiles cogitationes nostræ, sed scientiam nostram vnico intuitu habebimus.* Ergò cùm ratio nec in statu innocentiæ antè peccatum in Adamo, nec in statu animæ separatæ à corpore, nec in statu

rege-

regenerationis per resurrectionem, habeat locum; sequitur, animam nostram pro hoc statu viæ, in ipso lapsu Adæ, esse aduentu istius rationis stigmatizatam, in casus sui memoriam, quod scilicet consenserit in esum pomi scientiæ: sequitur etiam, rationem hanc cum morte in naturam aduenisse, & in morte perire.

39. Præterea. Quis poterit enumerare incommoda, quæ mens nostra & consequentèr nos ipsi patimur, ab hâc, quæ est ipsissima scientia pomi, ratione? hæc centum rimas & sectiones in fide, (vt hinc incipiam) suâ peperit, & adhuc in dies parit, flexili impostura, quælibet autem Secta, suam habet sophismatis rationalem inductionem. Hæc tot hominum myriades, specie pietatis, veritatis, & religionis, sub multiplicitate errandi, vafrè fallit callida seductrix. Hæc quoties eam mens in assessorem vel Judicem deligit, nedùm in fallaciam, & sui ipsius suæque sensualitatis obsequium, fingit suadelas, verùm etiam dat se in seruitutem desiderijs hominum, rationes scilicet inueniendo, fingendo, & substernendo, iuxtà placita eorum, quos conjicit sic optare & velle. Hæc suâ importunitate, mentem tædio afficit, ità vt nauseam sœpè super eam concipiat, & ab eâ auertatur, vt constat experientiâ. Angit enim eam multiplicitèr inani complacentiâ in bonis, & ridiculâ disquisitione virtutum, & friuolâ promissione mundanæ gloriæ, intellectum cogit, vt suo discursui præbeat assensum, voluntatem propellit ad consensum, memoriam onerat superfluis quisquilijs obiectorum, adeò vt mens cogatur eam in Viris spiritualibus, sedulò super custodiam suam stantibus, magno conatu proscribere, quæ tamen millies proscripta, millies rursus redit, tecta fallacitèr, & cum pugnâ & imposturis adoritur mentem, & non raro prosternit. Vndè S. Paulus, & multi alij Sancti, nullum sibi in naturâ subleuamen à tàm molesto & tædioso hospite aduertentes, optauerunt dissolui, ne tandem succumberent, prout multis Sanctissimis viris tandem contigisse, in comperto est. Ergò ista ratio non est pars mentis, sed potiùs aliundè in hominem irruit.

40. Præterea. Salomon vocat Prou. 20. spiritum hominis, id est mentem, *Lucernam DEI*, eò quòd occultæ rerum scientiæ à Patre luminum infunduntur in nos, medio huius lucernæ, Sed ratio non est apta esse talis lucerna DEI, quæ potius à rebus discurrendo circà illas, & earum apparentes proprietates, haurit putationem, quàm scientiam: Ergò Ratio non est spiritus ille hominis, sed aliquid aliud homini & menti exoticum. Neque dicas, quòd Ratio sit lumen istius lucernæ. Quià habet ista lucerna suum lumen, cuius vigore penetrat scibile sibi permissum, non iàm syllogisticè, sed solâ visione intellectuali, longè nobiliori & certiori, quam ipsa rationis apex, Demonstratio. Hinc enim certior est cognitio quam habemus per fidem de rebus creatis, quam si eandem haberemus per demonstrationem, vt omnes SS. Patres & Doctores Ecclesiæ fatentur. Videtur ergò mihi, quòd ratio ista, quam tantoperè æstimamus, nihil est aliud, nisi medium quid inter sensus externos, & intellectum; scilicet Ima-

ginatio, ſeu animalis intellectus, vel intellectus agens Ariſtotelicus, in nos per ſcientiam pomi deriuatus, cuius proprium eſt, condere Syllogismum, & diſcursum quemlibet.

41. Præterea. Ipſimet illi, qui tantoperè æſtimant rationis diſcurſus & illationes, fatentur, ſcientiam præmiſſarum & principiorum eſſe nobiliorem, & notiorem ſcientiâ concluſionis, eò quod ſint tales ſcientiæ Principiorum ex primò veris, & menti ex ſe, antè omnem diſcursum & rationem, notis. Ergò quidquid modò ſcitur per rationem, totum eſt præcognitum ab intellectu, atque ità intellectus ſolus ſufficiebat naturæ humanæ; ad quid ergò & vndè ratio?

42. Ad idem. Vbicunque nullus eſt diſcurſus, & nullæ præmiſſæ, ibi quoque nulla reperitur concluſio, ſeu conſecutio, & conſequentèr nulla ratio; Sed in mente nullus eſt diſcursus, quandò cognoſcit V. G. conuenientiam & diſconuenientiam terminorum, quia hanc notitiam mens habet ex eo, quòd ſcit, & penetrauit rerum his terminis ſignificatarum, eſſentiam. Ergò mens eſt alia à ratione, à quâ ſcilicet mente, veritas Principiorum manat, vt à lucernâ DEI.

43. Imò diſcursus rationis, ſi accipiat hæc principia in ſuum examen, potius extenuat, obumbrat, præpedit, & ſuffocat claritatem intellectionis in eis, quàm promouet; quia inſtar Veſpertilionis, ad lucem veritatis caligat, præ ſuâ exilitate, reſpectiuè ad lumen intellectus. Hinc ſi interrogetur quis de re notiſſimâ, V. G. quarè *lux luceat? vel aqua ſit humida? vel ignis vrat?* & cogatur reſpondere per rationem; cogitur fateri, quòd quantò res eſt clarior, tantò eius ratio eſt ſtupidior; Ergò ratio prorſus manet extrà lumen veritatis, & extra quidditatem mentis.

44. Ad idem. Experientia docet, quod cùm homo optat ſcire per rationis venationem, rem aliquam ſibi hactenus ignotam, vt plurimùm amplectitur media falsa, quæ tamen putat eſſe vera, prout apparet ex tot Doctoribus, ſe inuicem oppugnantibus, & ſibi mutuò falſitatem objicientibus. Et hoc non ob aliam cauſam contingit, niſi quia à ratione decepta mens, aſpicit mendacium, fucum, fraudem, putationem, loco veritatis, per diuturnam aſſuetudinem cum iſtâ ratione, iam pronâ in eius operationes acceptandas effectâ, vt nihil de eius impoſturis ambigat; & quia non poteſt ſimul ſequi duo lumina tàm diuerſa; Ergò ratio potiùs eſt contrà mentem; Et ſic ex conspurcatione noſtrâ per pomum, adorſa eſt noſtram naturam.

45. Præterea. In intellectu eſt immediatè veritas, cùm veritas intellecta, nihil ſit aliud niſi adæquatio intellectus ad res ipsas, quas cognoſcit prout ſunt, ità quòd, ſicut eſſe rerum de ſe eſt ſemper verum, & eſſentia illarum eſt ipſamet veritas, ita & intellectus qui ſuper eas fertur, ſemper directè eſt verus; Sed ratio eſt modus cognoſcendi obliquus, procedens per illationes, non autem per adæquationis transformationem; Ergò in eâ non eſt veritas; vel ſi eſt, tunc nonniſi participatiuè ab intelle-
ctu

ctu irradiante. Hinc audeo dicere; quòd ratio & veritas, ſunt diſparata in ſuis radicibus: veritas enim eſt ens reale verum, ratio autem eſt ens mentale apparens, & vt plurimum falsa pro veris amplectens, & vera pro falſis ridens. Item, bonum, rectum, vnum, verum, ſemper vno & eodem modo ſe habent in intellectu, quia ſtant in puncto adæquationis: è contrà verò, malum, curuum, obliquum, falsum, multiplex, fiunt pluribus modis per rationem, Ergò ratio ab intellectu toto cœlo diſtat, & eſt vera ſcientia pomi.

46. Præterea. Bruta habent rationem & diſcurſum, vt patet in annosâ vulpe, quæ callidior eſt iuniore, & nonniſi ob diſcurſum rationalem, experientiæ reminiſcentiâ confirmatum. Apes etiam numerant ſua aluearia, quota ſint in numero, dùm ex eis egrediuntur. Serpens quoque Gen: 3. dicitur fuiſſe callidior cunctis animantibus &c. Faunus quoque, legitur in vitâ D. Antonij à D. Hieronymo deſcriptâ, Animal rationale loquens, DEVM naturæ & Chriſtianorum cognoſcens, & ſupplicans D. Antonio vt pro ſe atque ſuis, DEVM oraret: & tamen, hic Faunus non fuit homo, tum ob monſtroſam figuram, tùm ob teſtimonium ipſiusmet D. Antonij: Nec etiam Dæmon, quia hic propter ſuperbiam non ſe commendaret precibus D. Antonij. Satyrus etiam olìm viſus eſt viuus, & cùm mortuus eſſet, ſale conditus pro ære per Ægyptum, Phrygiam, & Græciam, oſtentabatur. Item in Scotiâ, & Zelandiâ, alijſque locis maritimis, piſcata ſunt monſtra, humanam figuram maiori ex parte referentia, quæ nedùm ratione vtebantur, ſed etiam artes mechanicas exercuerunt, edocta. Ergò ratio potius eſt belluinus intellectus, nobis iam degenerantibus, ex eſu pomi in naturam belluinam, adueniens. Hæc pro Reſolutione noſtrâ attuli ex incommodis, quæ patitur homo ex parte mentis, à ſcientiâ pomi.

47. Iàm ex ijs quæ patimur ex parte corporis, oſtendere volo, eandem ſcientiam pomi, nobis eſſe contra naturam noſtram, ex dono creationis immortalem. Quia pomum ſcientiæ boni & mali, non potuit ſinè ſuo effectu, ſeù potius fermento, quo natum erat cauſare ſuum effectum, in naturam noſtram traduci; Ergò traductum in nos, produxit in nobis ſemen, & diſpoſitiones reſpectu animæ brutalis, cum ſuis concupiſcentijs; Sed vbi eſt introducta concupiſcentia, ibi eſt introducta & caro peccati, & vbi caro peccati, ibi mortalitas & morbus; Ergò mors, morbus, & quidquid patimur in carne peccati, totum prouenit ex ſcientiâ pomi.

48. Confirmatur. Quià omnes claſſes ægritudinum, radicatæ ſunt in concupiſcentiâ carnis, quæ eſt directè oppoſita vitæ immortali; nihil enim, etiam ſecundùm Ethnicos Philoſophos, ità difflat vitam, ſicut nimius vſus Veneris. Cuius ratio eſt, quià anima noſtra, concupiſcentiâ animæ ſenſitiuæ, ortæ ex pomo, ſtimulata, elicit conſenſum, & ipſo facto producit ideam plauſibilitatis, quæ idea eſt imago ſemen fœcundans, eſtque hæc idea ens verum reale, iàm naturam noſtram conſpurcans, contrà inten-

 tionem

tionem DEI, nolentis ex semine concipi hominem; Ergò cùm Adam istam ideam per se formauerit suo consensu, cum voluptate concupiscibili, quandò scilicet concupiuit (sic eum disponente iam pessundatâ per ideam naturâ) nudam virginem, iustum erat vt eâdem ideâ, Archeus carnis peccati afficeretur, atque sic affectus, deincèps imagines seu ideas entium morbosorum sibi cuderet, ex concupiscibilis voluptatibus, ex procellis irascibilis, & interdum ex semetipso, vt ità homo staret subiectus ei malo, quod ipsemet fabricaret sibi. Dictum est enim suprà, quôd quidquid nascitur aut fit, id totum alicuius seminis necessitate fit, semen autem accipit fœcunditatem ab ideâ, suo spiritui inditâ. Sed morbus de facto fit in nobis; Ergò ex semine fit, & ab ideâ in eius spiritum inditâ, scilicet vel ab ipso homine concipiente aliquid, vel ab ipso Archeo solo, vt fit plerunque in peste. Constat autem per experientiam, oriri in nobis imagines seu ideas veras reales & actuales ex perturbationibus, non secus ac prægnantis cogitata fortia, ens reale quantùmcunque peregrinum atque exoticum, cudunt in prole, vt murem, cerasum, pyrum, morum &c. Ergò istæ ideæ sunt in nobis causæ morbificæ & mortiferæ, penetrando scilicet, & inficiendo spiritum nostrum sydereum, eumque alienando, & ad peregrinos perturbationum scopos impellendo. Sic sic scientia pomi seu ratio, etiam nostro incommodat corpori, dùm viuimus. Quod claritatis gratiâ, volo per inductionem patefacere ampliùs.


49. Impingat aliquis homo per rationem in præsumptionem fidei, ità vt stet in explicatione Sacræ Scripturæ à se inuentâ, iuxtà proprium placitum, sicque se obfirmet: Jàm per scientiam pomi, habet ideam incuriæ vel contemptus religionis, & sic labitur in Atheismum.

Tribuat aliquis multam actiuitatem Dæmonibus in seipsum, & sit credulus, eo ipso habebit ideam, quæ eum ita afficiet, quòd existimabit se esse incantatum; sicque prostratis viribus emaciabitur, pallescetque demens, esto in re ipsâ non sit incantatus. Vrgeat aliquem indiscreta scrupulositas, iam habebit ideam anxiam timore inferni turbidam, vndè mox morbus, scilicet, vita horrida, omnium conuersatio formidolosa, &c. Et vno verbo, fatuitas.

Consideret aliquis in se plùs iusto virtutes, Ingenium, doctrinam, genus, formam, robur, &c. mox sibi cudit ideam vanæ præsumptionis, quæ nihil est aliud nisi vana dementia, sinè quâ ideâ præsumptionis de seipso vix est aliquis; vndè de talibus benè scriptum est. *Stultorum infinitus est numerus.* Et hinc morbus, scilicet ridenda stupiditas. Quis nescit zelotypiæ ideam duram esse sicut Infernum, & in plures ærumnas, hominem qui eam suscitauit in se, præcipitare? quis non videt fornicationis & libidinis ideas, præter dementias, etiam complures ægritudines excitare? Nonne repentinus terror, mœror, & subitum gaudium, suis ideis subitò aliquos extinxere, vel saltem morbum comitialem aut syncopen, in eis produxere? Mœror lentus, per aliquantum solatium sæpè interruptus, ideam cudit

cudit melancholiæ hypocondryacæ, & si hæc idea cum desperatione connectatur, Paralysin patrat. Ira subita, cudit ideam asthmaticam, quæ in hydropem desinit. Violentus terror, ideam Epilepticam, quæ in vitam perennat. Odium & auaritia cum suis ideis, producunt maciem, & atrophiam; Et multa similia, cum suis ideis morbosis, quæ pro nunc prætereo, clarissimè probant, scientiæ pomi cum ijs quas cudit ideis, in vitam nostram conscribendo exercitum ex eis, malignitatem; Ergò &c.

50. Patet igitùr, qualitèr mulier, & quale fermentum accepit, & abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum; id est tota natura humana, quòad animam, acquirendo scientiam, & vi fermentali pomi comesti, alteram animam seminalem, mentem à regimine immediato corporis humani excludentem; quòad spiritum sydereum, eius vim magicam, fortiori phantasiâ pomi comesti soporantem; & quòad corpus, ei semina fermentalia respectu omnium morborum inspergentem. Et quià sic fermentati primi homines, iàm Deo eis permittente animalem copulam, facti sunt nostri parentes, opus est videre, quid illi generant in nobis, quandòquidem Imaginem DEI producere nequeunt? Et pro hoc sit.



RESOLVTIO SEPTIMA.

Adam & Eua facti primi Parentes nostri, generando prolem, non genuerunt Imaginem DEI, sed solum Imaginem sui, & prorsus quidquid est in nobis animale. Et idem sit de cæteris parentibus, in naturâ humanâ iam corruptâ prolificantibus, iudicium.

I.



Q Vandòquidem iam suasu & arte malignâ Sathanæ, humana natura Virgo, ex pomo prohibito comesto, acquisiuit fermentum seminale, cum eius aurâ omnium dispositionum in corpore productrice, in ordine ad animam seminalem, cum eius concupiscentijs & desiderijs brutalibus, naturæ humanæ virgineæ repugnantibus; consequens erat, si DEVS melius iudicauit de homine sic iam deprauato bona facere, quàm eum statim mori permittere, vt sic in Adamo & Euâ corrupta humanitas, in alios deinceps propagaretur, mediante transfusione seminis maledicti ab initio, Sap: 12. cum concupiscentiâ brutali illud sigillante.

2. Orditur ergò S. Scriptura hanc naturæ propagationem cum singulari emphasi Gen: 5. sic. *Hic est liber generationis Adam.* Quià autem hæc generatio Adamica aliquid aliud productura erat, quàm id quod creando hominem produxit omnipotens Creator, statim subdit textus sacer: *In die quâ creauit DEVS hominem, ad similitudinem DEI fecit illum.* Quâ interpositione innuere voluit Spiritus Sanctus, quòd generatio Adamica non peruenit ad similitudinem DEI, ad quam DEVS creauit hominem, in die quo creauit eum, sed ad aliquid aliud. Ad quid ergò? Ecce mox subiunxit, dicens: *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit Filium ad imaginem & similitudinem suam*, id est, corruptum in naturâ, carnalem, & animalem, qualis iàm factus fuerat per peccatum ipsemet Adam; ità vt hîc manifestè insinuet scriptura, nostram Resolutionem, opponendo effectum creationis, cum quo productus fuerat homo per creationem, scilicet similitudinem DEI, effectui generationis Adamicæ, cum quo deinceps producitur homo per generationem belluinam, scilicet similitudinem Adæ. Nam cùm in naturâ omnis Spiritus generantis seminis comprehendatur, quià continet ideam rei generandæ; & homo sit DEI immediata ac vera imago; sequitur quòd Adam generans, nequiuit vllo modo in suum semen trans-

transfundere Diuinam imaginem, quam in se & extrà se planè ignorâbat. Restat igitùr vt solùm generaret sibi simile, imprimendo scilicet in semen suum ideam suiipsius, quasi quoddam Sigillum, siuè vmbram sui.

3. Imò neque mens Adæ id potuit: quià menti quà talis est, deest sua cognitio intuitiua, quà sibi seipsam repræsentet, quamdiù est in corpore, etiam in statu innocentiæ: & hoc ob rationem imaginis DEI, quæ tàm in se quàm respectu typi quem refert, est propemodum viatori intelligendo impossibilis, atque sic mens carens sui propriâ specie imaginis Diuinæ, nequit se ipsam transformare intellectualitèr in seipsam, nisi in lumine eius, cuius est Imago, quod ordinariè non contingit, nisi in patriâ. Si ergò mens nequit habere cognitionem sui, multò minùs potest habere facultatem, depingendi sui signatam similitudinem in semine, in ordine ad propagationem imaginis DEI. Sicque Adam & Eua, nullo modo potuerunt in prole signarè imaginem DEI, sed solùm imaginem sui: vt & suprà Resolutione tertiâ & quartâ declaratum est. A fermentatis ergò Parentibus, etiam fermentata proles prodire debuit. Pro quo intelligendo.

4. Obserua. Alitèr in prole Adamicâ suscitari animalitatem, quam in ipso Adamo & Euâ, suscitata est. Illi enim, scilicet Adam & Eua, comederunt pomum, in quo fuit fermentum originale respectu seminis, & consequentium; ac proindè pasto pomo, mox conceperunt ex naturali pomi proprietate, libidinem luxuriandi, atque indè factum est in eis semen animale, quod in animæ sensitiuæ dispositiones præuias properans, legemque aliarum causarum subiens, se reflexit in vitalem spiritum ipsorum, qui idcircò statim auram seminis, ceu latronem domesticum, suscipiens, potestatem propagandi seminis animalis & caduci, desinentis tamen in vitam, concepit; cuius demum vitæ appulsu, mens immortalis vitæ atque corporei gubernaculi habenas exuens, eas sensitiuæ à DEO infusæ dimisit; & quæ antè horas aliquot, omnia in omnibus membris agebat, eratquè ipsamet vita immortalis in toto, quia sola & tota in toto immortalis, iàm istâ naturæ pulchritudine, in Protoplastis vitiatâ, locomota descendit, vt sui sigillum imprimeret in semen vetitum, etiàm antè natam sensitiuam animam, reddiditque eo ipso semen dispositum ad recipiendam & requirendam à Creatore animam seminalem; cuius appulsu cessit in intima mens immortalis, siuè de mandato Creatoris, siuè proprio motu, scilicet ob impuritatis iàm contractæ in naturam tædium, sic vt sub Judice adhuc lis sit, vbi nam principalem sedem elegerit. Etsi intrà animam sensitiuam, qua nihil sibi proportionalius in corpore mortis huius inuenit, non improbabilitèr sese recepisse, eamque suis aliqualitèr illuminare radijs, possit sustineri. Vndè & in propagatione humanâ, transfusum semen sigillat; sinè quâ sigillatione, semen esset sterile. Ità ergò Adam & Euâ fermentati sunt totalitèr à pomo, quod postquam mansum est, (vt rursus ob claritatis maioris gratiam repetam) disposuit sanguinem ad semen, at-

que indè in animam ſenſitiuam, idque paucis horis completum eſt, iuxtà verbum DEI, eo die ſcilicet, quo comederunt pomum. Nàm qui ipſo creationis puncto, in Virum & fœminam formati fuerunt, & non in pueros, breui quoque ſpatio in maturitatem ſeminum, & cauſarum mortem neceſſitantium, promoti ſunt.

5. Aſt in prole ab eis deſcendente, alitèr eſt. Non enim proles guſtat pomum cum inibi latente originali fermento; nec conſequentèr illud originale fermentum, operatur in eâ concupiſcentiam & ſemen, atque diſpoſitiones ad animam ſeminalem, ſed proles humana prouenit à fermento ſeminali, id eſt ſemine à parentibus libidinosè deciſo, & forti ideâ plauſibilitatis ſigillato, quam mens parentum in auram ſeminis impreſſit. Quâ ideâ ſemen iàm fœcundum, & fomento materni vteri excitatum, properat in diſpoſitiones corporis organicas, donec tandem DEVS infundat animam ſenſitiuam, eamque mente ſuperueniente, à ſpecificâ Bruti determinatione præueniat. Et hoc eſt, quod per copulam brutalem produxerunt Adam & Eua: ſicut & deinceps quicunq; parentes modò producunt. Nihil enim plus ad generationem hominis contribuunt, niſi fermentum ſeminale, ſeù ſemen fœcundum, cuius aura deinceps efficientèr operatur corporis organizationem, & diſpoſitiuè animam ſeminalem ſenſitiuam.

6. Ad quod penitius inſpiciendum, operæ pretium cenſeo, aliquid de conceptione humanæ prolis, quatenùs modò communitèr fit, hic adnectere, vt agnoſcat Catholicus Lector, DEVM eſſe etiam modò generationis humanæ præſidem, vt potè quæ videtur ſuperare naturam, niſi acquiſito propagationis iure, vi illius verbi DEI, etiam poſt lapſum prolati ad Noë: *Creſcite & multiplicamini &c.* Et vigore diſpenſationis, quâ DEVS iam permiſit legitimam copulam, in naturam eſſet recepta.

7. Sciendum ergò. Quòd vteri muliebris diductio, in congreſſibus ſexualibus vt vt libidinoſis, non fit niſi à digito DEI, qui illos diducit loculos, in ipſo conceptionis inſtanti: in quâ diductione cauſatur ſuccus, & attractio ſeminum in vterum, ratione vacui. Sicquè concipit mulier, niſi poſtea irritet iſtam conceptionem aliquod impedimentum. Hoc ſcriptura in multis locis apertè docet. Tùm de Sarâ vxore Abrahæ, cuius DEVS aperuit vterum, Gen: 21. dicente textu ſacro. *Viſitauit autem Dominus Saram, ſicut promiſerat, concepitq́; & peperit filium in ſenectute ſuâ.* Tùm de Annâ vxore Elcanæ, matre Samuelis Prophetæ, Reg: 1. *Dominus concluſerat vuluam eius.* Tum de Elizabeth vxore Zachariæ, matre Joannis Baptiſtæ, Lucæ 1. *Sic fecit mihi Dominus, in diebus quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines &c.* Factâ ergò tali vteri diductione, & ſeminum attractione, iàm in concauo vteri, ſemina commiſcentur, oſtio vteri exactè clauſo, ſimulque per mutuam ſyngamiam ſe vniunt per biduum, manentque interim turbida & opaca. Poſt hoc porrò biduum, transparentis albuminis ſimilitudinem aſſumunt, & ſic diaphana manent, per dies quatuor; Poſt quos, nempè ſex dies à ſeminum commixtione,

apparet

apparet in eis vapor quidam nubilus, qui est aura vitalis seminum: quæ aura, postea decimo tertio die à conceptu, acquirit hominis figuram vmbratilem, cum aliquâ suæ spissitudinis clarificatione, & liquoris alimentarij ad se aggregatione, ità vt tùm iàm decimâ sui parte accreuisse videatur; sexualis tamen nota nondum hoc decimo tertio die apparet, licet aura seminum figuram hominis iàm repræsentet. Circà diem dein decimum septimum, hæc aura figurata, sese demergit intra albumen, ac quasi dormit toto triduo, & horis circitèr duodecem; & interim in semine rursus fit quoddam chaos opacum; quo interuallo sibi secundinam visibilem obducit, eamquè duram membranam, quam in materiâ non reperiebat, per suam vim formatiuam & transmutatiuam efficit; quæ vis est talis naturæ & efficaciæ, quòd dum format & sculpit corpus, iuxta ideam sibi à generantibus impressam, non vtitur separatione, nec opus habet materiæ diuersitate, sed eam sibi parat pro libitu, quousque iuxtà propositum sibi typum, organa corporis perficiat. Vigesimo tandem & primo die, exacto scilicet illo triduo, & horis duodecem, illamet figura humana in aurâ seminis delineata, iàm acquirit sexum, & continuò, sinè labore tamen & tædio, organizationem partium absoluit, & maiorem distinctionem illarum explicat, ac consequentèr totius accretionem facit, ex materno eoque puriori sanguine, humidum radicale, solidarum partium constitutiuum, sibi adsciscendo, simulque à materni sanguinis spiritu vitali, fomentum & incrementum hauriendo, & illud sibi vnione perfectissimâ assimilando, donec tandem iste influxus spiritus vitalis à matre haustus, trigesimo secundo die à conceptu, in embrionem traducatur, tenuis quidem & vmbratilis per immediatè sequentes dies nouem, sed quadragesimo primo die, lucem seu potius splendorem vitalem adipiscitur, & simul staturam exhibet humanam, sed deformem, ob capitis disproportionatam magnitudinem, & conglobatam. Et tunc accedit ei fulgor seu lux, quasi ardentis aquæ vitæ, quæ lux est anima seminalis, iam à Creatore data, quæ quià in homine non facit speciem, imò nec diu sola potest subsistere, cùm sit naturæ humanæ exotica, ideò mox post aliquot momenta, aduenit à DEO creata anima intellectiua, quâ lux illa animæ sensitiuæ illuminatur perfectè, & fit seipsa lucidior. Talis est ergò processus generationis Adamicæ, in quâ aura seminum format corpus, anima sensitiua informat auram, vnà cum corpore iam organizato ab ea, & ipsa tandem mox informatur à mente, seu ab animâ intellectiuâ desuper adueniente. Atquè ità id quod verè generat Adam cum Euâ per copulam, nihil est aliud, nisi ens seminale, per libidinem brutalem occasionatum, quod nunquàm in homine fuisset, si Adam generationem nostram non peruertisset, sicque omnes quotquot ex congressu maris & fœminæ nascimur, concipimur veri Filij Adæ, secundum esse seminale, seu animale; iuxtà Apostolum 1. ad Cor: 15. *Seminatur corpus animale.*

8. Quod animale, etiam ipsam mentem immortalem, incommo-

ditatibus & paſſionibus afficit. Quià enim eodem thoro & vnico vnitatis vinculo, mens cum iſtâ ſeminali animâ eſt combinata in homine, fit vt anima iſta mortalis participet vitam animæ immortalis, cuius vitæ participatæ ergò, quidquid patitur ſenſitiua, hoc redundat & in mentem; non quod caduca iſta quæ offendunt ſenſum, vim habeant ſupra animam immortalem ſibi ſupereminentem, ſed quià vita mentis eſt recepta in animâ ſenſitiuâ, & conſequentèr per modum recipientis euaſit paſſibilis in connexo, fitque tandem, vt dum lumen connexi, id eſt animæ ſeminalis, ita difflatur vt extinguatur, etiam mens immortalis vna cum ſuo lumine recedat, vt potè priuata iam ſuo connexo; Et ſic ingruit mors. Quamdiu autem manet anima ſenſitiua in homine, tam diù manet & nexus mentis cum eâ, & ità manet & vita mortalis.

9. Fruſtrâ igitur quæritur; vbi anima immortalis reſidet in homine? Quia cum ſit lux æuiterna, & ſubſtantialis, etiam in lucido iſto, & quali quali, vitali tamen diuerſorio animæ ſenſitiuæ, ſiuè ſeipsam demerſit, non inueniens in corpore mortis huius aliquid aliud ſibi proportionalius, ſiuè diuinitùs alligata eſt, in pœnam originalis peccati.

10. Et hinc eſt, quod iſta anima mortalis, quæ vi ſeminis Adamici diſpoſitiuè in nobis ſuſcitatur, mentem obtenebrat, & obuoluit, ac quaſi ſoporatam, atque deſidem detinet, vt nedum feriari cogatur à regimine corporis, ſed in amentijs, delirijs, erroribus, &c. videtur eſſe totalitèr abſens potius quam præſens, cùm nihil prorſus agere queat, quatenùs ſic carcerata, ſeminali animâ in ſe tranſumente, per indebitam aſſuetudinem, omnem mentis energiam, adeò vt ſi mens velit interdum ſpirare radium ſuæ intelligentiæ, tamen ità debilitèr id præſtare cogitur, vt videatur ſolùm pro libitu animæ iſtius caducæ facere, cui inſeruit facultatibus ſuis; iamque ordinariè iſti nexui aſſueta, aſſenſum præbet omnibus, quæcunque anima iſta amplitudine ſuæ libertatis, & conſuetudinis licentiâ, patrat. In delirijs autem, rabie, cardialgiâ, Apoplexiâ, Epilepſiâ, mainâ lienariâ &c. non valet prorſus vti ſuo intellectu, eò quòd anima ſenſitiua id tunc non poſcit ab eâ; Vt veriſſimè dixerit Apoſtolus 2. ad Cor: 3. *Non poſſumus aliquid boni cogitare ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra, ex DEO eſt.*

11. Hinc etiam eſt, quòd licet naſcamur illius parentis Filij, qui plenus ſapientiâ creatus, habuit cognitionem intuitiuam omnium rerum ſibi ſubiectarum, tamen nos mediante ſemine geniti, naſcimur tabula raſa: Quia omnis cognitio, tàm ſcilicet intellectiua, quæ fuit antè peccatum, quam ſenſitiua, ſcilicet ſcientia pomi ſeu Ratio, obliterantur in ſemine, ac proindè homo indè natus, eſt vt dixi, tabula raſa, & inanis. Ecce quid genuit Adam cum Euæ ſtupro, præſumens propagare imaginem DEI; nempè induxit in naturam humanam, animalitatem æternæ vitæ incapacem, mentis obicem, & carcerem.

12. Imò audactèr dico. Quòd neque hoc generare potuiſſet, cùm ſic

ſic generando, niteretur contrà intentionem Dei, qui non direxit ab initio hominem in ſeminis & carnis propagationem; atquè ita, homo ſic genitus, nequiret vllo modo ſubſiſtere, ſed ſuſcitatâ in eo animâ iſtâ ſeminali, præter intentionem primam Creatoris, & deſtinationem naturæ humanæ, mox perire deberet, mente ſe à gubernio corporis ſic defœdati retrahente, & animam iſtam ſeminalem ſigillare renuente, niſi Devs Matrimonium conſummandum iam permittens, mentem infunderet citò in prolem ſic genitam, eamque ibi detineret. Quod Eua primam prolem enixa ipſamet liberè confeſſa eſt, dùm eam vocauit Cain, dicens. *Poſſedi hominem per DEVM.* Gen: 4. Verè enim niſi Devs detinuiſſet mentem à ſe infuſam, in impuram illam & ſeminali animâ contaminatam carnem Caini, prolem hanc Eua non poſſediſſet. Quod certè benè nota, vt ſcias, etiam modò generationem noſtram paſſiuam, totalitèr Deo tribuendam eſſe, qui ſicut poſt lapſum primorum parentum, promiſerat ſe multiplicaturum conceptus Euæ, dicens Gen: 3. *Multiplicabo conceptus tuos*, ità ſolus ex infinitâ bonitate id præſtat, largiendo conceptibus iſtis ſeminalibus ſubſiſtentiam, alioquìn illis impoſſibilem, ſi ſibi dimitterentur. Sic enim placuit pientiſſimo Creatori eludere Sathanam, qui eo fine induxerat Euam ad eſum pomi, vt genus humanum per mortem à Deo comminatam deleret. Vndè pro coronide iſtius Reſolutionis infero.

13. Corollarium. Quòd ſicut Diabolus fuit author primus tantæ conſpurcationis noſtræ naturæ virgineæ, ita deinceps non deſtitit ſuis artibus naturam iam corruptam magis magiſque conſpurcare, vt tandem deleretur. Dùm enim cerneret, præter ſpem ſuam non obſtante ſtupro virginis Euæ, hominem nedum de medio non tolli, iuxta illam Dei comminationem; *Quacunque die comederis, morte morieris;* ſed etiam approbatâ à Deo matrimonij conſummatione, multiplicari, coniecit ſagax impoſtor, aliquid inſoliti boni Devm circa hominem facturum. Omnem itaque mouit lapidem, vt poſſet ſtirpem è matrimonio ſurgentem, ita contaminare carnalitate, quatenùs omnis Dei circa hominem intentio, redderetur irrita. Hinc primum hominem ex matrimonio genitum, ſtimulauit odio in fratrem innocentem, adeò vt tandem fratricida euaſerit. Fortè etiam eius inſtinctu, Adam centum integris annis ab vxore abſtinuit, vt dicunt Hæbræi, vt ita genus humanum in ſuo capite deficeret. Sed cùm Deo vſum matrimonij præcipienti rurſus obediuit, & Sethum genuit, ſathanas ſe eluſum videns, feriò meditatus eſt, quo pacto mentem immortalem è ſtirpe poſterâ expugnaret. Suſcitauit ergò concubitus nefarios, ex quibus feralia monſtra prodierunt. Nec enim fruſtra authores priſci meminerunt Centaurorum, Minotauri &c. Quæ ſpectra non alitèr ſuſcitata ſunt, niſi per congreſſum hominum reproborum cum belluis. Induxit quoquè in mundum Sodomiam, omnibus beſtiis exoſam, & eam ſuis Atheis plauſibilem fecit, eo fine ne ſequatur aliqua proles. Tentauit etiam aliquantiſper, fætum ſemen virile commiſcere cum ſemine ſuarum ſagarum,

in vtero ipſarum, cum adiunctis talibus diſpoſitionibus, quæ prorſus mentem immortalem excluderent à conceptu ſic producto; vndè prodijt generatio Faunorum, Satyrorum, Nympharum, Dryadum, Nereidum, aliorumque ſimilium, iuxta variam diſpoſitionem, quam ſemen virile ſubibat. Quæ deindè generarunt inter ſe ſuas proles, harumque poſteri, iterum inter ſe ſuos concubitus contraxerunt. Ac tandem ipſo inſtigante, Nymphæ quæ cæteris pulchritudine & venuſtate faciei præſtabant, cum viris connubia inſtituerunt, ex quibus proles ſecuta eſt, carens animâ immortali, & ſolâ viuens ſeminali, quæ etiam Diabolo ſic diſponente ſemina, in portentoſam Giganteam molem excreuerant, vel è contra, in pigmeicam exilitatem reſtricta ſunt.

14. Cumque iam indiſtinctìm & paſsìm Filij Dei, id eſt, homines veri, Filias hominum, id eſt Nymphas prædictas, duxiſſent in vxores, & illæ generantes, talibus monſtris terram repleuiſſent; Devs tactus dolore cordis intrinſecùs, coactus fuit delere per aquas diluuij, totam hanc malignam & monſtroſam progeniem. Exceptis illis ſolis, qui ſe à tali nefario matrimonio ſubtrahentes, iuſti erant in generationibus ſuis: Qualis erat Noë, cum filijs ſuis, de quo dicitur Gen: 6. *Noe vir iuſtus atq; perfectus fuit, in generationibus ſuis, cum DEO ambulauit, & genuit tres filios, Sem, Cham, & Iaphet.* De reliquis autem omnibus, ſubditur. *Corrupta eſt autem terra coram DEO, & repleta eſt iniquitate.* Et mox explicatur iſta corruptio, dùm intra parentheſim ſubiungitur. *Omnis quippè caro, corruperat viam ſuam, ſuper terram.* Non videtur autem quomodò aliter corruperat, niſi per concubitus cum iſtis monſtris, nedum monſtroſitatem inducendo in figurâ, ſtaturâ, & ſymetriâ membrorum corporis humani, ſed etiam ponendo, vi alteratorum per varias diſpoſitiones ſeminum, animam ſenſitiuam, quam non comitabatur mens immortalis. Ideoque talis progenies non fuit humana, ſed determinatæ ſpeciei animalium, ratione & diſcurſu vtentium, quam Devs deleuit cathaclyſmate, præcauens in futurum, vt ait ſcriptura, ne per talem & taliter continuatam generationem, incarnationi Filij Dei & reſtaurationi generis humani, per eam, obex poneretur. Hoc totum Tertullianus Lib: de animâ cap: 16. ponderans illud Apoſtoli ad Epheſ. 2. *Eramus naturâ filij iræ, ſicut & cæteri &c.* ita confirmat. *Cùm* (inquit ille) *dicit Apoſtolus, fuimus aliquandò naturâ Filij iræ; Irrationale indignatiuum ſugillat, quod non ſit ex naturâ quæ à DEO eſt, ſed ab illâ, quam Diabolus induxit: Dominus & ipſe dictus ſui Ordinis, Matth: 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire; Pater & ipſe cognominatus, Ioan. 8. Vos ex Patre Diabolo eſtis. Ne timeas & illi proprietatem naturæ alterius adſcribere poſterioris & adulteræ, quem legis Matth:* 13. *Auenarum* (ſeù vt noſtra vulgata legit, Zyzaniorum) *ſuperſeminatorem, & frumentariæ ſegetis nocturnum interpollatorem.* Et ibidem cap: 46. clarius ſe explicans, dicit. *Malum igitur animæ, præter quod ex obuentu Spiritus nequam ſuperſtruitur, & originis vitio antecedit naturale quodam modo: nam vt diximus, naturæ corruptio, alia natura eſt habens ſuum DEVM & Patrem, ipſum ſcilicet corruptionis authorem.* Hæc Tertullianus. Quæ ſatis aptæ noſtræ conſonant Reſolutioni.

RE-

RESOLVTIO OCTAVA.

Iustitia originalis, fuit vita hominis per solam animam intellectiuam, regentem immediatè & irradiantem suâ luce Spiritum & corpus; à semine & animâ seminali, ac concupiscentiis eius, omninò immunis, subiecta DEO per obedientiam, & tàmdiù subigens tenebras, donec totus homo absorbtiuè luce animæ clarificatus, in Beatitudinem transferretur.

I.

Ominem à DEO conditum vt esset spiritus concretus, non verò corpus animatum sensibile, suprà Resolutione quintâ pro modulo nostro declarauimus; vbi etiam patuit; qualis ille fuerit ex vi primæuæ creationis suæ, & quomodò mens sola habuit plenum & immediatum regimen corporis illius, cui & suam immortalitatem impertiebatur, absque vllo vicariatu sensitiuæ seminalis animæ, ideòque sub mentis felici imperio, exulabant ab homine morbi, ætatum declinationes, & mortis necessitas, quià exulabat & seminalis animalisque vita, & anima cum suis concupiscentijs & desiderijs. Hinc iam facilè est conijcere, quæ & qualis fuerit iustitia originalis in primis illis hominibus, antequam degenerarunt naturam, contrà prohibitionem DEI comedendo pomum, incentiuum luxuriæ: quod nempè non alia esse debuit, nisi ista, quam descripsimus in titulo istius Resolutionis.

2. Et sanè fauet isti descriptioni ipsa sacra scriptura, Gen: 2. in fine, dicens. *Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius, & non erubescebant.* Quomodò enim erubescerent, quibus deerat prorsus causa erubescentiæ, in naturâ spirituali viuentibus per solam mentem, plenè possidentem corpus, & illud luce suâ irradiantem? Plus enim distabant tunc primi parentes à semine, & illud consequente animâ seminali, cum suis concupiscentijs, quam Puer recens natus, qui tamen vulgò vocatur innocens, eò quòd sit tunc remotus ab omni actu libidinis, licet in se iam formalitèr habeat fermentum concupiscentiæ cum animâ seminali. Ideò ergò non erubescebant illi primi homines suam nuditatem, quià erant prorsus

ſus immunes à ſemine, & animâ ſeminali, ac conſequentèr à concupiſcentiâ carnis: & hoc ideò, quia creati erant cum ſolâ animâ intellectuali, immediatè regente corpus ipſorum, & illud ſuâ luce ſpiritualizante, & irradiante; in quo ſanè ſita erat ipſorum innocentia, & hæc de quâ loquimur originalis iuſtitia.

3. Confirmat hunc intellectum textus iſtius, CHRISTVS Dominus, qui Matth: 18. dùm ab eo quærerent diſcipuli: *Quis maior eſſet in regno cœlorum?* Aduocans paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit. *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quo loco CHRISTVS, in ſaluandis exigit ſtatum paruulorum, ſub indictione excluſionis à regno DEI. Attendendum eſt ergò ſeriò, quid peculiare ſibi habent paruuli, quod & in adultis neceſſe ſit inueniri, ſi velint intrare in regnum cœlorum: non videtur autem quòd aliquid peculiare habeant, præter ſolam immunitatem à concupiſcentiâ carnis, ob quam dicuntur tunc innocentes; alioquin enim multa vitia reperiuntur in paruulis, V. G. ſubita, indiſcreta, frequens ira, mendacia, inconſtantia, deſpectus aliorum, vindictæ appetentia, oculorum concupiſcentia, & his ſimilia; Ergò & Adæ ac Euæ innocentia, & iſta iuſtitia originalis, conſiſtebat in immunitate à ſemine, & animâ ſeminali, quæ immunitas excludebat tunc ſicut concupiſcentiam carnis, ità & erubeſcentiam de ipſâ. Sicut è contrà, quandò eſitato pomo, iſtorum omnium inductiuo, acquiſiuerunt ſemen, & animam ſeminalem cum concupiſcentiâ, tantus eos inuaſit pudor, qui expreſſus eſt à Spiritu Sancto, illis verbis Gen: 3. *Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt ſe eſſe nudos:* Vt parum abfuerit, quin in dementiam ruerent; quod ex ipſorum geſtis, & ad DEVM inconcinnis reſponſis, facilè quiuis poteſt colligere. Et hinc factum eſſe cenſeo, quòd ſe non conuerterunt ad pœnitentiam de transgreſſione mandati, quia irreparabilem iacturam ſe ſubijſſe cernentes, & in tantam turpitudinem ſe deuolutos conſiderantes, præ pudoris confuſione, & naturæ tàm enormi conſpurcatione, ſui compotes eſſe nequiuerunt. Si igitùr & CHRISTVS Dominus exigit in ſaluandis innocentiam paruulorum, ſitam in immunitate concupiſcentiæ; & ſcriptura erubeſcentiam primorum parentum, in eandem conijcit concupiſcentiæ pruriginem, ſicut non erubeſcentiam, in eiuſdem carentiam: ſequitur quòd iuſtitia originalis nihil aliud fuit, niſi immunitas naturæ humanæ, tùm à concupiſcentiâ carnis, tùm à ſemine & animâ animali, à quâ iſta proſilit, & emanat, vt à cauſâ adæquatâ & præciſâ.

4. Porrò Theologi Scholaſtici docent, iſtam iuſtitiam originalem fuiſſe quoddam donum, ſuperadditum naturæ humanæ diuinitùs, vt eo tanquam fræno moderaretur ſenſitiua. Quod videntur hauſiſſe à D. Anſelmo, qui lib: de conceptu Virginali cap: 27. explicans hanc iuſtitiam, vtitur exemplo fræni & Equi: quaſi iuſtitia originalis fuiſſet aliquid ſupernaturale, per modum fræni, refrænans appetitum ſenſitiuum, nè rebellaret

aduer-

aduersus superiorem partem animæ, seu mentem. Ast mihi sub humili correctione aliorum, videtur hæc iustitiæ originalis explicatio minus idonea. Tùm quia non sunt multiplicanda entia sinè necessitate, præsertim in eâ naturâ, quæ facta est à DEO de se agilis, subtilis, penetrans absque aliquo superaddito; vt Resolutione quintâ deduximus ex Doct: Subtili; & præsertim tenendo, tunc hominem cum solâ animâ intellectiuâ creatum. Tùm quia admisâ gratis animâ sensitiuâ in primo homine antè peccatum, quæro: aut frænum hoc moderabatur sensitiuam consentientem? & ita videtur fuisse superfluum; aut reluctantem? & itá cum tædio sensitiuæ? quod in statu illo felici non habuit locum. Tùm denique, quia secundum S. Bonauenturam, in 2. dist: 30. & ipsam veritatem. *DEVS non creauit hominem miserum, neq; humanam naturam corruptam*; quod nedùm intelligi debet de actu secundo, sed etiam de primo; Atqui si homini ex vi primæuæ eius creationis, concreasset animam sensitiuam, & ei istud frænum superaddidisset, quo refrænarentur passiones eius, creasset iam humanam naturam miseram, & corruptam quoad actum primum, licet ista miseria & corruptella ob frænum impositum, nunquam exisset in actum secundum; Ergò iustitia originalis non benè explicatur per frænum, seu donum superadditum naturæ humanæ, & deindè per demeritum Adæ, ab eo & à totâ eius posteritate ablatum.

5. Quià tamen deferendum est aliquid authoritati tantorum & tot Theologorum, concedo & ego, quòd iustitia originalis in primis hominibus fuerit donum per constructionem transitiuam; vt sit sensus: data est primis parentibus natura virginea, spiritualis, ex merâ gratiâ seu munificentiâ Creatoris; non tamen fuit donum per constructionem intransitiuam, quasi quid extra naturam virgineam illorum, desuper ipsis adiectum; quia hoc nego.

6. Vel alitèr ex doctrinâ Doctoris Subtilis in secundo, dist: 6. q. 2. A. 1. vbi explicans D. Anselmum, Lib: de casu Diaboli cap: 13. & 14. docentem, quòd Angelus in primo instanti suæ creationis non accepit iustitiam, habet hæc verba. *Dico igitùr, quòd iustitia ista, ratione cuius debitor est homo, vel Angelus, non est nisi potentia naturalis voluntatis, moderandi inclinationem naturalem, quæ est contrà iustitiam infundendam, & illud est libertas, quæ non est aliquid superadditum voluntati, imò est de per se ratione eius.* Hæc ipse. Ità & ego de Justitiâ istâ originali dico; quòd fuit homini naturalis, & de per se ratione eius, quatenùs homo primus in naturâ virgineâ, cum solâ mente regente corpus, creatus est; & ità donum naturale eius, non verò supernaturale, diuinitùs naturæ humanæ superadditum, vt frænum.

7. Vt igitùr exactiùs & clariùs explicem vitam primorum parentum in statu innocentiæ, per solam mentem viuificantem & irradiantem suâ luce corpus eorum, in quali vitâ sitam fuisse hanc, de quâ loquimur Justitiam originalem iam asserui. Obseruandum est primo, de mente D.

 Augu-

Augustini, & aliorum SS. Patrum. Formas rerum & maximè animatarum, esse lumina descendentia à Patre luminum; qui solus omnibus dat vitam, & maximè hominibus; iuxtà illud Joannis primo. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Non enim sinè mysterio, vt sapientèr considerat Magister sententiarum. Lib: 2. dist: 13. *Prima distinctionis rerum operatio fuit, lucis formatio.* Sicut ostendit Sacer textus Gen: 1. vbi commemoratâ rerum informitate, earum dispositionem & perfectionem à luce inchoatam asserit, dicens. *Dixit DEVS, fiat lux, & facta est lux.* Quia vt ait venerabilis Beda, in Exameron, citatus à Glossâ ordinariâ in 1. caput Genesis. *Creata omnia, priusquàm in lucem venirent, non erat, vndè formam haberent.* Quod & D. August: de Gen: ad literam Lib: 1. cap: 17. super illa verba Gen: 1. *Et diuisit lucem à tenebris;* clarè docuit, inquiens. *Discretio lucis à tenebris, distinctio est inter perfectum cuiusq; rei statum, & quem habet ex se defectum; diem quippe in specie rei conditæ intelligimus, noctem verò in eius rei priuatione vel defectu, qui rebus temporalitèr conditis ex se inest, etiamsi desit effectus, scilicet corruptionis.* Vbi vides formas & species rerum, dici luces, lumina, & dies.

8. Vndè inferre licet ad propositum. Vnamquamque creaturam, præsertim sublunarem, constare luce & tenebris, quæ ambo in vnâquaq; re sunt diuisa, & disparata. Nam vt inquit D. Basilius Hom: 2. in Gen. *Naturam istorum talem Deus efficit, vt misceri non possint.* Vndè & modò, in vnâquaque re manent ista duo impermixta, ordinata tamen: quia vt ait D. Augustinus Lib: de Gen: ad literam imperfecto; *DEVS species & naturas rerum facit & ordinat; priuationes autem specierum defectusq; naturarum, non facit, sed ordinat tantùm; ideò non dixit, fiant tenebræ.* Ex quo sequitur, quòd etiam in Adamo ordinauerat DEVS tenebras, vt essent infra lucem, & ab eâ penetrarentur, & subigerentur. Non enim est dubitandum, quòd si Pater luminum DEVS, qui lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, iuxtà D. Joannem, formauit cunctas res creatas per lucem, dando illis ex se tenebrosis, formam, quæ lumen est, hominem neglexerit: Imò fatendum est, quòd homini dederit nobilissimum lumen, scilicet mentem, quæ respectu aliorum creatorum esset Sol, in quo posuit DEVS tabernaculum suum, iuxta Psal: 18. vtque spiritum, & carnem eius, quæ tenebrosa erant, perluceret, tenebrasque eius subigeret, in tantum, quod tandem absorberentur à lumine. Et vt exactiùs intelligatur, quòd formæ rerum & præsertim viuentium sint lumina.

9. Obseruandum est secundò, ex iam supra dictis. Nihil generari sub sole nisi ex semine. Vndè in vnoquoquè semine latet aura seu Archeus dispositor, & efficiens internum, in quem generantis forma & vita seu anima parum splenduit, & vmbratile sui fulgoris sigillum, sufficientèr impressit, ob quod aura illa seminis, facta auida amplioris splendoris, semel & vmbratilitèr in se impressi, intendit omni viâ sibi possibili se disponere per organizationem, ad receptionem maioris luminis: quorsùm

desiderando anhelans, se ipsam magis magisquè accendit & quasi petit, quærit, & pulsat ad DEVM, vt sibi det formam, & vitam, quam anhelat, loquendo præsertim de generatione animatorum: quam tandem petendo accipit, quærendo inuenit, & pulsando obtinet, non aliundè, sed à Patre luminum; idque tùm cùm non potest iam illa aura seminis vltra progredi viribus suis, vt potè quia iam est functa suis munijs, sibi in naturâ possibilibus. *Omne igitur datum optimum, & omne donum perfectum, de sursùm est, descendens à Patre luminum.* Jacobi, 1. Etiam ipso Aristotele id vel inuito concedente, dùm docuit; omnem materiam secundam, fluere ex quadam vniuersali materiâ primâ; Ergò à fortiori, si ille agnouisset vitam omninò primam, & actum omninò primum & purissimum, prout nos Christiani agnoscimus esse DEVM, certè omnem ille formam & vitam, & rei cuiusquè perfectionem essentialem, ab hàc vitâ primâ & superessentiali deriuari, & immediatè procedere, concessisset. Patet ergò, quòd omnis forma creata est à DEO in propriâ specie, estquè lumen quoddam, in corporibus illustrans corpora. Ideòque non incongruè asserere possumus, tot esse luminum species in naturâ, quòt rerum: quià lumina descendentia à Patre luminum, nedum inter se differunt gradu luminis, sed & totâ specie; cùm à DEO procedant, in suis rationibus formalibus distincta, & hoc ipso sunt distinctiua rerum, in essentijs specificis. Non enim natura potest à se ipsâ habere distinctionem suiipsius, sed per aliquid prius se, saltem prioritate naturæ, actum formalem distinctionis eius specificæ continens, scilicet, per lumen formale desuper aduenieńs, distinguitur in varias species. Proindè vlterius.

10. Obseruandum est tertiò. Quòd omnipotens Creator, solem singularem & vnicum creauerit, vt significaret, in singulis viuentium & præsertim sensitiuorum speciebus, se produxisse vnicum & singularem solem, qui vsque in finem mundi sufficiat, & sese per indiuidua propaget, itâ vt in minutulis luminum specificorum minutis, formale & specificum lumen sit vnicum, restrictum virtute & ordinatione Diuinâ, ad proprium & essentiale lumen, isti & non alteri speciei debitum; itâ vt istud lumen, maneat quidem generale ex parte solis, indiuiduetur tamen ex ordinatione DEI, in indiuiduis illiusmet speciei. Proindè sol iste specierum, non secus atque ipsæ species, durabit in finem sæculi. Quià tamen non subsistit nisi in indiuiduis, ideò est in dies, imò per singula momenta labilis in illis, nisi continuato fomento alatur, estq; propterea in indiuiduis magis similis igni culinario, in hoc, quòd requirit continuò fomentum spirituum vitalium, per quod lumen istud propagetur in membra; licet vt dixi, in se specificè sumptum lumen istud, sit sol.

11. Et ad hoc certè vt lumen istud specificum in indiuiduo, per omnia membra propagetur, datus est viuentibus sensitiuis pulsus. Quod explico per similitudinem valdè accommodam. Sicut enim si contingat nobis deesse ignem, & velimus illum habere, cupimusque vt inflamma-

bile accendatur, quod eſt ad manum præſens, excutimus ignem de ſilice & chalybe in fomitem, & indè eum accenſum propagamus, per alia inflammabilia. Vel ſicut aquæ thermarum, ſub terrâ accenduntur, & aquas calidas ſursùm dant, ob ſalem & ſulfur, ambo volatilia, ignem de ſe per mutuam actionem excitantia; vt patet in calce viuâ, in aquam proiectâ: Ità etiam in omnibus fermè viuentibus ſenſitiuis, vt propagaret DEVS per indiuidua ſua ſpecifica lumina, contulit eis duos ſpiritus, ſcilicet ſpiritum ſalis ſalſum & volatilem, & ſpiritum ſanguinis arterialis, partim ſalſum, partim pinguem ac ſulfureum, quibus duobus excitatur in nobis pulſus, per concuſſionem iſtorum duorum ſpirituum, ex quâ concuſſione, elicitur ex ſanguine pinguedo, ſeù ſulfur, eo modo, quo butyrum ex lacte fit per concuſſionem, & cùm continuatur iſta concuſſio, iam in ſpiritu volatili ſulfureo ſanguinis, iſtud lumen concipitur, & propagatur in alia membra à corde, tanquam lumen de lumine, donec per totum accendatur lumen ſpecificum formale, in ſpiritu vitali, à lumine ſolari ſpecifico, tunc viuenti intimè inſito, ex dono creationis. Vndè hunc ordinem accipe, in accenſione luminis alicuius ſpecifici, in Equo V. G. qui generatur in vtero matris ſuæ. Primò enim generantes eum, tribuunt ſemen, & illud inter transfundendum in matricem Equæ, idea imaginatæ fortitèr libidinis ſigillant, vt ſit fæcundum in ordine ad producendum ſimile in naturâ ipſis generantibus; ſecundò, ſemen ſic deciſum, cum illâ ideâ impreſsâ à ſplendente ſuper eam vitâ parentum generantium, habet iam in ſe aliquod, licet vmbratile, fulgoris ſigillum, & excitum à fomento matricis Equæ, fit iam auidum vlterioris ſplendoris, & incipit ſe diſponere per organizationem corporis, ad receptionem eius, & nihil non facit ſibi poſſibile, vt illo lumine potiatur: tunc tertiò, abſoluit organizationem, producendo ſcilicet embrionem Equum, nondum viuum; in quo quartò, conſurgit iſte pulſus ab initio valdè exilis, ob illos duos volatiles ſpiritus, quos Archeus concitat, vt ſe mutuò confricent in thecâ cordis, donec tandem quintò deſinat in lumen formale ſpecificum Equi, quod tunc intimè inſerit dator luminum DEVS. Et quod dixi de Equo genito, hoc dico & de nobis hominibus, iàm in ſtatu naturæ lapſæ genitis; quià iam per omnia ſimilitèr propagatur in nobis lumen animale, licet nobis non ſpecificum; eò quod ſemen noſtrum deciditur ſigillatum ideâ ſimilitudinis humanæ, & quià ſenſitiua in nobis eſt præter intentionem Creatoris, ideò ab ipſo licet infundatur, non tamen ſpecificè determinatur; alias conſtituerat hominem ſub aliquâ ſpecie bruti, quod abhorrens pijſſimus noſtræ naturæ parens, determinat eam per lumen æternum, & ſubſiſtens mentis, quam vltimò infundit per creationem. Ità ergò eſt in nobis, aſſimilatis iam per omnia iumentis inſipientibus.

12. Sed in Adamo & Euâ, in die quâ creati ſunt manu DEI, alitèr fuit, prout & in quolibet noſtrum alitèr fuiſſet, ſi ſtatus innocentiæ perſeueraſſet. Nec enim Adam, nec nos, de ſemine proceſſiſſemus, ac proindè,

proindè, ſicut DEVS Adamo de limo terræ formato, mox mentem, id eſt, ſolem iſtum in quo poſuit tabernaculum ſuum, inſpirauit, vt irradiaret ſuper ſpiritum eius ſydereum, & carnem, aliquantiſpèr propterea tenebroſam, ità & nobis in vtero Virginis, de Sanguine eiusdem arteriali conceptis, eandem ſempèr mentem indidiſſet, translucentem ſpiritum & carnem noſtram, fuiſſemusque adhuc in vtero matrum intelligentes, inſtar viri perfecti; & fortè ex vtero nati, ſtatim tantum roboris habuiſſemus, vt motum progreſſiuum, & alias functiones vitæ, per ſe exercere potuiſſemus. Patet ergò, quomodò in illo ſtatu Innocentiæ, vita per ſolam mentem, ſpiritum, & corpus noſtrum, immediatè regentem, & irradiantem illâ ſuâ luce, fuiſſet. Et hæc fuit de facto Juſtitia originalis, quam amiſimus in Adam, & per Adam, qui potius adauxit in naturâ tenebras, quàm promouit lucem. Vt autem iſtud pateat.

13. Obſeruandum eſt quarto. Quòd tenebræ nequeunt eſſe pura priuatio lucis, licet ſic placuerit hactenus Philoſophiæ Ethnicæ, & eius ſequacibus. Scriptum eſt enim. *Tenebræ erant ſuper faciem abiſſi, & diuiſit DEVS lucem à tenebris.* Quæ dicta Moyſis Gen: 1. manifeſtè conuincunt, tenebras eſſe aliquod ens, non autem puram priuationem, & non ens. Vndè ſicut abyſſus ſignificat hîc intermedias creaturas inter cœlum & terram, quæ ſunt Aqua & Aër, etiam ſecundùm D. Baſilium in Exameron, ſimul creata cum cœlo & terrâ; ità & tenebræ ſuper faciem abyſſi, ſignificant aliquod iſti abyſſo concreatum, quod DEVS ipſe Job: 38. vocat nubem, & caliginem, dicens. *Cùm ponerem nubem veſtimentum eius,* (id eſt maris, de quo ibi Job loquitur) *& caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem.* Addo. Quòd non ens, palpari non poteſt. Exodi verò cap: 10. *Dixit Dominus ad Moyſen: Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ ſuper terram Ægypti tam denſæ, vt palpari queant.* Quod & factum eſſe perhibet ſacer textus, ibidem ſubdens. *Et factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſâ terrâ Ægypti, tribus diebus.* Quod & per actionem tenebrarum in lucem, ad oculum probari poteſt. Ponamus enim vas aliquod concluſum, mucoſum, & extremè tenebroſum, in quod ſi iniiciatur accenſa candela, ſinè dubio mox extinguitur, tenebris illis eam ſuffocantibus, quas illa ſuâ luce penetrare nequit; Ergò manifeſtum eſt, quòd tenebræ ſeſe exerant in res alias à ſe, eas caliginoſas efficiendo, & quòd reali actione oppugnent lucem, & viciſsìm ab eâ ſubigantur, & quò ſunt ſtabiliores & denſiores, eò magis lucem ſuffocent. Atque ità iam conſtat, quòd ſicut lux creata extra ſe, illuſtrat res, modò propiùs, modò remotiùs, iuxtà ſuam ſtabilitatem & connexionem, ità quoque tenebræ, extrà ſe radios diffundunt in res varias, iuxtà ſuæ denſitatis & ſtabilitatis varietatem. Vndè ſuprà docuimus; mortem non eſſe meram priuationem, ſed ens reale, quod inhabitat iam in puncto vitæ noſtræ, ſuis cauſis, quas homo ſibi applicauit, in nobis exortum. Proindè cùm ſit facta mors à DEO in brutis, (textùs enim ille Sap: 1. *DEVS mortem non fecit;* præciſè intelligitur pro homine) etiam ad tenebras pertinet, ſicut & morbi.

14. Applicando igitùr hæc ad propoſitum. Eo ipſo quòd DEVS Adæ tale corpus dedit, quod ex ſe fuerat potens mori, iam corpus illud fuit aliquantiſpèr tenebroſum: ex alterâ tamen parte, quia data eſt Adæ lux, incomparabilitèr excedens iſtas tenebras carnis, ſcilicet mens ſeu anima intellectiua immortalis, irradians has tenebras, cum hiſce carnis ſuæ tenebris, omninò pugnare tenebatur mentis luce, donec tandem eas expugnaret, & perfectè transluceret. Et hoc erat Adamo in ſtatu innocentiæ iugitèr agendum, in hocque conſiſtebat meritum eius, ſi de pomo vetito non ediſſet. Cùmque lux mentis Adæ, tenebras iſtas perfectè ſubegiſſet, & viciſſet; euaſiſſet Adam deinceps in hominem quodammodò DEIficatum, hùc redactus neceſſariâ illâ luctâ lucis ſuæ cum tenebris, fuiſſetque corpus eius ità lucidum, ſicut fuit corpus CHRISTI in transfiguratione, vel reſurrectione; adeò, quòd ſicut CHRISTVS fuit de facto Sol Juſtitiæ, ità Adam fieret per illam luctam continuatam, Sol Juſtitiæ: & tunc in ſole humano poſuiſſet DEVS tabernaculum ſuum, glorificando Adamum. Atque ità in hoc conſtitiſſet eius translatio in beatitudinem, quam ſupponunt futuram fuiſſe in illo ſtatu, Theologi. Hæc ergò fuit illa Juſtitia originalis, ex dono primæuæ creationis, naturæ humanæ data tranſitiuè, ſcilicet per ſolam mentem, immediatè regentem & translucentem iſtas tenebras carnis.

15. Sed eheù, adauxit Adam miſer in ſe tenebras, quas ſatis exiguas acceperat, vt eò facilius expugnare poſſet, dum ſcilicet ſibi fructum arboris vetitæ applicuit, in quo fermentum fuit concupiſcentiæ, & conſequentèr mortis, quo fermentauit, ac caligine tenebroſâ conſpurcauit naturam totam; & qui ſolùm factus erat ſecundùm corpus potens mori, potentiâ valdè remotâ, ſeipſum fecit actu mortuum; quià in ſuum vitale lumen introduxit lethales & obſcuras ideas, tantùm à lumine formali diſtantes, quantùm color ater à luce. Solus autem id Adam ſibi fecit; nam quamuis DEVS ſolus creet omnes omnium rerum formas eſſentiales, & vitales, non tamen pro homine fecit entia iſta lethalia, ſcilicet morbos & mortem, quæ directè lumini vitali opponuntur: ſed reliquit in manu Adæ poteſtatem hæc ſibi applicandi, & in ſuâ naturâ producendi. Itaque homo manet mortis ſuæ & ſuorum morborum opifex, ita quod vbi DEVS fecerat lumina vitalia, ille introduxerit ideas lethales. Ex concupiſcentiâ ſiquidem introductâ per pomum in naturam, orta eſt caro peccati, ideòque & mortalis Archeus in illâ, qui in quantùm ipſe mortalis, agit iam in carne peccati omnem actum formalem nocuum, atque lethalem, quem DEVS recuſauit facere in homine, permiſit tamen, & in manu hominis libero arbitrio dotati poſuit, vt poſſet ſibi fabricare mortem, & morbum; quod & fecit. Poſſuntque iam poſt lapſum, iſtæ tenebræ ità in homine excreſcere, vt etiam mentem totalitèr tenebroſam efficiant, non quidem peſſundando eam in ſe, ſed ſaltem vndèquaque penetrando. Sicut patet in finalitèr inpœnitentibus, & damnatis.

16. In

16. In viatoribus autem, vix contingit tanta tenebrarum penetratio, loquendo de fidelibus, & præsertim electis, quià DEVS ex bonitate suâ, aliundè istas tenebras discutit, scilicet, charitatis & gratiæ lumine supernaturali, opportunè subministrato: quâ charitate mens corroborata, reassumit luctam cum tenebris, & obtinet suprà eas victoriam. Complacuit enim Patri nostro DEO, qui de malis scit & vult bona facere, infirmitatem istam nostram, ex potestate in nos tenebrarum ortam, altiùs & in maiorem dignitatem erigere. Cùm minima amoris DEI morula, longè nobilior sit in nobis, quàm tota vita in illo statu innocenti. Dùm enim electi, præuenti & aspirati diuinitùs, conantur aduersus has tenebras, quantùm ex talento gratiæ illis dato, est possibile, & per actus amorosos, se ad abstracta DEItatis per fidem attollunt, iam per assiduitatem spiritualis exercitij, eò cum adiutorio DEI perueniunt, vt mens ipsorum sentiat superfundi sibi lumen istud supernaturale, quo erecta, quàmuis vt supra dixi, cedens istis tenebris carnis, retraxerit se, ne connubio illarum deturpetur, tamen cunctis actibus humanis rursus incipit præsidere, & assidere, totaque toti animæ sensitiuæ inhæret, & iam clariori modo cum eâ incipit operari, quam anteà operabatur. In quo sanè consistit initium vitæ spiritualis; quo posito, scandit anima vlteriùs per charitatem, in nudæ veritatis, fidei spiritu, ad DEVM, eumque in spiritu & veritate adorat, quales Patrem cœlestem adoratores quærere docet CHRISTVS Joan: 4. In hoc autem ascensu, intellectus magis magisque illustratur, etiam nobis nec aduertentibus, nec intendentibus, donec tandem mens in tenebroso hoc carcere conclusa soluatur, seseque intellectualitèr aspiciat, & deinceps sinè difficultate, imò cum summo gaudio, contempletur se, & DEVM ac Deitatis abstractissima, sicque quasi sponsa, ad osculum DEI sui sponsi, etiam in hâc vitâ miserâ, deducatur; quantòque magis se in hoc exercet, tantò maiorem sapientiam in intellectu obtinet, Diuinam claritatem degustando, quousque ad tantum fastigium perueniat, vt illi nihil desit ad beatitudinem, præter redundantiam eius in corpus. Ergò occasione istarum tenebrarum adauctarum in nobis per Adamum, prædestinati, per DEI gratiam & suum conatum, altiùs eriguntur, quam si in illo statu innocentiæ vixissent; quià hoc graduum merito, qui gradus antè lapsum nunquam fuissent, surrexerunt quoque gradus in gloria, & coronæ de magis pretioso lapide, quas DEVS imponit electis, legitimè contra has tenebras decertantibus.


17. Hoc consonat doctrinæ Doctoris Subtilis in 3. Dist: 7. qu: 3. docentis. Quod *merita cadunt sub prædestinatione, sinè quibus non ordinaretur quis de congruo ad tantam gloriam, sicut cum eis.* Ex hoc enim sequitur, quod gloria in certis ac determinatis gradibus, respicit merita (loquendo de congruo) in certis ac determinatis gradibus; at quia merita in illo statu nunquam in tantum gradum surrexissent, ob carentiam difficultatis, sicut nunc surgunt, ideò modò maior illis respondet gradus gloriæ.

18. Idem Doctor ibidem loquens de prædestinatione CHRISTI, docet. Humanitatem CHRISTI fuisse primò prædestinatam ad gloriam, secundò ad vnionem cum personâ Verbi, in ordine ad tantam gloriam, quià non tanta gloria sibi fuisset conferenda, si non esset vnita, sicut modò collata est, dum est vnita. Ergò à pari, licet electi essent ordinati ad gloriam, non tamen ad tantam gloriam, sinè connotatione meritorum difficilium de congruo. Vnusquisque enim electus, prædestinatus ad proportionatum gradum gloriæ est, cum connotatione suæ dignitatis, officij, laboris &c. Nam Apostoli ad gloriam Apostolatus, Martyres ad gloriam Martyrum, Virgines ad gloriam Virginum; &c. Sed ista non sic fuissent in statu innocentiæ; Ergò & tanta gloria istis iam correspondens, non fuisset, de congruo loquendo. Confirmant hanc doctrinam aureolæ Doctorum, Martyrum, Virginum, quæ modò habentur, in statu autem innocentiæ, non fuissent datæ translatis in beatitudinem, quia nec Doctores ibi fuissent, quia eorum nulla esset necessitas, & multò minùs Martyres, virgines autem fuissent omnes electi, sinè vllâ pugnâ cum sensualitate; vndè nec virtus eorum in infirmitate perficeretur, & sic aureolam non mererentur.

19. Sed quæres. Habuêruntnè primi homines in illo statu innocentiæ, gratiam gratum facientem, sibi diuinitùs superadditam? Respondeo affirmatiuè: fuerunt enim in primo instanti creationis sancti, & DEO grati. Quòd clarè insinuauit Concilium Tridentinum Session: 5. Decreto de peccato originali, cùm in Adamo fuisse sanctitatem, & iustitiam determinat, quorum vtrumque dicit, eum peccando amisisse.

20. Dubitabis hìc de homine miraculosè producto, V. G. per transsubstantiationem lapidis in eum, & de illis qui mortui resurrexerunt, vt Lazarus, & S. Christina mirabilis; videtur enim, quòd isti homines deberent formari, vel resurgere à morte sinè animâ sensitiuâ. Sed facilè resoluitur dubium, inprimis de homine miraculosè formato, quòd hæc eius formatio esset ad placitum Diuinæ voluntatis; si enim DEVS vellet illum formare cum animâ intellectiuâ tantùm, omninò esset talis; si verò superadderet ei & animam sensitiuam, sicut ordinariè dat eam nobis, vi fermenti seminalis, eam in naturâ iam corruptâ exigente, etiam esset talis. Neque id illi esset pœna antè omnem culpam, perindè ac est in nobis, quia iuxtà doctrinam Theologorum, etiam si DEVS statim formaret hominem in pœnâ inferni, sicut non esset iniustus, ita nec homo sic constitutus, esset in pœnâ formalitèr, sed solum materialitèr, ita quòd potius id haberet pro conditione naturæ, quam pro pœnâ. De Lazaro verò, & similibus mortuis, qui resurrexerunt, dico: quòd quia adhuc isti qui hactenùs resurrexerunt, in carne corruptâ resurrexerunt, & aliqui vt viatores, capaces meriti & demeriti, vt constat de La-

zaro, ideò ad tale corpus, opus habuerunt animâ sensitiuâ, quam DEVS eos resuscitans, eandem numero, & animam immortalem ita obuoluentem & carcerantem, vt priùs antè mortem, reproduxit in eis, non alitèr ac facit in resuscitatione bruti mortui. Secùs autem erit in illâ resurrectione generali, quandò omnes resurgent, tunc enim, quia electi immutabuntur, etiam corpus eorum surget spirituale, & immediatè per solam animam intellectiuam possidebitur, & irradiabitur, absque interuentu sensitiuæ. De S. vero Christianâ potest dici, quòd resurrexit sinè sensitiuâ animâ, ob miranda quæ egit & passa est.



RE-

RESOLVTIO NONA.

Peccatum originale, est conspurcatio virgineæ propagationis naturæ humanæ, per applicatum illi ab Adamo pomum, incentiuum luxuriæ, contrà prohibitionem & intentionem DEI, commutans totam naturam in deterius, reddensque incapacem regni DEI, nisi renascatur in CHRISTO.

I.



Voniam Resolutione præcedenti diximus, Iustitiam originalem sitam fuisse in vitâ spirituali, per solam mentem immediatè regentem & irradiantem corpus, à semine & animâ seminali eiusque desiderijs, immuni, DEOque per obedientiam subiectâ, ideò à contrario, peccatum originale illud esse hîc dicimus, per quod vita talis in homine pessundata est, & mens ab immediato regimine corporis, tenebris inualescentibus exclusa, quod certè non est aliud, nisi ista, de quâ modò est nobis sermo, & quam iam in præcedentibus fusè explicuimus, conspurcatio virgineæ naturæ humanæ, in eius origine & propagine, per scientiam pomi introductam in naturam, contrà prohibitionem DEI, per quam carnalis propagatio intentioni DEI de homine è diametro opposita, introducta est, per Euæ virginis stuprum, durabitque vsque in mundi finem, ex quâ quidquid nascitur, iam caro est incapax regni DEI, nisi renascatur spiritualitèr in CHRISTO.

2. Et sanè hæc peccati originalis descriptio, clarè reserat, quidquid hactenùs latuit sub nomine priuationis vel carentiæ iustitiæ originalis debitæ inesse. Non enim est priuatio vel carentia iustitiæ originalis acceptæ pro dono supernaturali superaddito Adæ diuinitùs; hoc enim videtur superfluum fuisse naturæ humanæ, quousque illa fuit purè spiritualis & virginea, vt iàm suprà deduxi; sed est conspurcatio illius vitæ spiritualis per solam mentem, in quâ homines primi creati erant, & eius per introductum fermentum luxuriæ, ex vetito pomo ortum, in belluinam & carnalem commutatio, sicque commutatæ & conspurcatæ, carnalis & seminalis propagatio in posteros omnes, eò ipso Filios iræ, & regni DEI incapaces,

paces, quià sic carnalitèr & animalitèr cum animâ carnali & seminali, ex vi talis propagationis in se introductâ, progeniti sunt.

3. Hoc sub nomine peccati intellexit Sanctus Apostolus Paulus in multis locis, sed maximè ad Romanos cap: 5. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et prosequens hanc doctrinam Capite 6. explicat quid intelligat per peccatum, cùm dicit. *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* Et infrà expresè. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius, sed neq; exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Et cap: 7. in seipso exemplificans, declarat de quo peccato loquatur, dùm ait. *Scimus quod lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Et mox. *Nunc autem iam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum: scio enim quòd non habitat in me, hoc est in carne meâ, bonum.* Et rursus. *Si quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.* Quæ certè loca, non procedunt de illo Adæ peccato, quo ille peccauit per inobedientiam; hoc enim nequit dici propriè & rigorosè in mundum intrasse, & mortem induxisse, & corpus peccati fabricasse, & in mortali nostro corpore regnare, & habitare; nec nos possumus dici ab hoc peccato carnales, aut venundati sub illo, quasi serui; Ergò procedunt de aliquo alio peccato, nempè de istâ conspurcatione virgineæ naturæ, per introductam in eam generationem belluinam, vti pomi comesti. Vndè à Doctoribus Scholasticis vocatur peccatum naturæ; seù vt D. Thomas l. 2. q. 82. A. 1. loquitur, *est inordinata dispositio ipsius naturæ* Et in 2. dist: 30. q. 1. A. 2. ad primum, dicit idem. *Per se loquendo, non est peccatum Personæ, nisi per accidens, secundum quòd dispositio naturæ, redundat in Personam.* Et q 4. de malo A. 6 ad 9. clariùs explicat, dicens. *Quia à Personâ primi parentis, omnes qui ab eo seminaliter descendunt, accipiunt naturam humanam, quam ille primò habitam peccando infecit, ideò talis corruptio naturæ deriuatur ad omnes, seminaliter ab Adam descendentes, vt si aqua corrumperetur in fonte, corruptio eius, deriuaretur ad omnes riuos, ex fonte deriuatos.*

4. Hoc & D. Anselmus in Lib: de conceptu virginali docuit, varijs in locis: quòd scilicet originale peccatum sit peccatum naturæ, non ità intelligendo, (vt ibi se explicat) quasi istud peccatum sit de essentiâ naturæ, sed quòd propter eius corruptionem, cum eâ assumatur. Et addit inquiens. *Tota natura humana, in primis parentibus, extra quos non erat, infirmata & corrupta est; corpus quidem, quià post peccatum factum est simile corpori brutorum, corruptioni & carnalibus appetitionibus subiacens: anima verò, quia ex corruptione corporis eiusq; appetitibus, ipsa quoq; carnalibus est infecta affectibus.* Hæc eadem mens est Doctoris Seraphici D. Bonauenturæ in 2. Dist: 30. & omnium fermè scholasticorum, cum Magistro sententiarum in 2. dist: 30. & 31. & 32. &c.

5. Sed quod maximè vrget, hoc idem decreuit concilium Tridentinum Sess: 5. Decreto de peccato originali, ſic decernens. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cùm mandatum DEI in Paradyſo fuiſſet transgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiam in quâ constitutus fuerat, amiſiſſe, incurriſſeq; per offenſam præuaricationis huiuſmodi, iram & indignationem DEI, atq; ideò mortem, quam anteà illi comminatus fuerat DEVS, & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt, Diaboli, totumq; Adam per illam præuaricationis offenſam, ſecundùm corpus & animam, in deterius commutatum fuiſſe, anathema ſit.* Licet enim primo intuitu, videatur Concilium totam rationem peccati originalis, in inobedientiâ ſeù transgreſſione mandati DEI ponere, penitiùs tamen introſpicienti, hoc non apparet; non enim in Spiritu Sancto legitimè ibi congregata Eccleſia, ponit hæc verba in recto, ità dicens; ſi quis non confitetur, primum hominem Adam, cùm mandatum DEI in paradyſo fuiſſet transgreſſus, ſtatim Sanctitatem & iuſtitiam amiſiſſe: ſed loquitur in obliquo, & ſuppoſitiuè de illâ transgreſſione mandati, quæ ad rationem peccati originalis, conſpurcantis totam naturam, habuit ſe vt præuia, & per modum conditionis ſinè quâ non: ità vt Concilium declarans peccati originalis rationem, eam ſic declaret. Primò, præmittit conditionem ſinè quâ non, quæ anteceſſit peccatum originale naturâ, & etiam tempore, ſcilicet transgreſſionem mandati DEI, vt ex vi verborum iſtorum in præterito poſitorum, liquidò conſtat; *Adam, cùm mandatum DEI in Paradyſo fuiſſet transgreſſus.* Deindè ipſam rationem peccati originalis ſubnectit, dicens. *Adam ſtatim ſanctitatem & iuſtitiam in quâ constitutus fuerat amiſit, incurritq; per offenſam præuaricationis huiuſmodi* (ſupplè, perſonalitèr) *iram & indignationem DEI, &c. Totuſque Adam per illam præuaricationis offenſam,* (intellige, vt conditionis ſinè quà non) *ſecundùm corpus & animam, in deterius eſt commutatus.* Vt ſecundùm hanc intelligentiam iſtius decreti, peccatum originale in recto, ſit amiſſio ſanctitatis & iuſtitiæ, in quâ conſtitutus fuerat Adam, & incurſio iræ ac indignationis DEI, atque mortis & captiuitatis Diaboli, totiuſque Adami ſecundùm corpus & animam, in deterius commutatio. Vbi in ly totus Adam, intelligit Concilium totam naturam, quæ tunc extrà Protoplaſtos non fuit, prout ſe mox declarat ſubiungens. *Si quis Adæ præuaricationem, ſibi ſoli & non eius propagini, aſſerit nocuiſſe, & acceptam à DEO ſanctitatem & iuſtitiam quam perdidit, ſibi ſoli & non nobis etiam eum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum, in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum quod mors eſt animæ, anathema ſit.* Ex quibus omnibus non habetur, quòd peccatum originale in recto, ſit mandati transgreſſio: quià hanc poſuit Concilium in obliquo, & vt conditionem, ſinè quâ non fuiſſet originalis conſpurcatio totius naturæ.

6. Confirmatur hæc doctrina per ſequentia, quæ ibidem ſubdidit Concilium, dicens. *Adæ peccatum, origine vnum eſt, & propagatione, non imi-*

tatione

tatione transfusum, omnibus inest, vnicuiq; proprium. Et de paruulis omninò baptizandis loquens, ait. *Paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum veracitèr baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Atqui illa mandati transgressio, nequit transfundi in omnes propagatione, ad hoc vt sit vnicuique propria; quià fuit solius Adæ personale delictum: nec videtur facilè, quomodò ista mandati transgressio quâ talis, generatione à paruulis contrahatur, vt postmodum regeneratione mundetur, nisi in rebus serijs, quale est istud dogma fidei, de contractione à paruulis peccati originalis, ad pacta moralia Adami cum DEO, & ad moralem huius realis corruptionis nostræ naturæ explicationem recurratur; Ergò Concilium non dicit in recto, quòd peccatum originale sit mandati transgressio, seù quod idem est, inobedientia, sed solùm, quòd fuerit aliquid præexigitum ad peccatum originale, vt conditio sinè quâ non.

7. Vndè & ego libentèr concedo, quòd primi parentes in Paradyso peccauerunt per inobedientiam, imò plus audeo & dico, quòd & alijs grauioribus peccatis quam fuit ista inobedientia de non edendo pomo vetito, tunc peccauerunt, scilicet diffidentiâ ad DEVM, dùm suspicati sunt dolum & fallaciam in eo, ideòque potius crediderunt serpenti oppositum suadenti, quam DEO amorosè noxia prohibenti. Contemptu DEI; dùm spreuerunt eius interdictum. Attributione inuidiæ bonitati DEI; dùm eum inuidere sibi illam fælicitatem Deificationis ex pomo, crediderunt. Ingratitudine, atque similibus: quæ tamen delicta ipsorum nequaquam fuerunt originalia, ità quòd DEVS ea toti naturæ imputauerit, quia nec modò imputat similia peccata posteris. Alias plus puniret inobedientiam, diffidentiam, contemptum, ingratitudinem Adæ, ergà se, quàm cæterorum hominum similitèr peccantium; quod videtur repugnare iustitiæ DEI. Fuerunt ergò solum peccata personalia mortalia, per pœnitentiam virtutem expiabilia, ad conspurcationem naturæ totius ex eso pomo præuia, quæ conspurcatio ex eso pomo in naturam prodijt, quià in eo tanquam in causâ verâ & reali latuit, vt suprà iàm abundè declaratum est. Atque ità ex his præmissis fundamentis, quoad quod quid est peccati originalis.

8. Dico. Descriptionem peccati originalis in titulo Resolutionis istius positam, esse Ecclesiæ, scripturæ, sanctis Patribus, & Doctoribus scholasticis, consentaneam. Confitetur enim totum id, quod hactenùs in Ecclesiâ vnanimitèr creditum est, & cum hoc clarè explicat, realem in posteros peccati originalis transfusionem; quod hactenùs non nisi moralitèr explicatum fuerat. Quod obiter declaro per applicationem istius descriptionis ad Decretum Concilij Tridentini, vbi suprà positum. Confitetur inprimis, transgressionem mandati in obliquo, antecessisse peccatum originale: quandò dicit, pomum incentiuum luxuriæ, applicatum fuisse per Adamum toti naturæ, contra prohibitionem & intentionem DEI. Confitetur etiam, statim Adamum sanctitatem seù gratiam, in quâ constitutus

 fuerat,

fuerat, amisisse: dùm supponit, Adamum contrauenientem mandato Creatoris, mortalitèr peccasse, & sic sanctitatem, id est gratiam gratum facientem, in quâ conditus erat, perdidisse, iramque & indignationem DEI incurrisse, per hoc peccatum inobedientiæ personale, originali præuium. Iustitiam verò, per subsequentem conspurcationem naturæ virgineæ totius, ex pomo illi applicato, in quo fuit incentiuum luxuriæ, ortam, ex quo secuta est commutatio virgineæ propagationis in belluinam, corrupisse: id intelligendo de Justitiâ innatâ, id est, de vitâ per solam animam intellectiuam, quam tunc eo ipso Adam amisit, quià naturam totam sic conspurcauit. Quod totum nostra Resolutio fatetur, dum dicit: peccatum originale esse conspurcationem virgineæ propagationis naturæ humanæ, ob applicatum illi ab Adamo pomum incentiuum luxuriæ. Confitetur etiam, mortem ex amissione iustitiæ originalis eum incurrisse, eamque & corporalem & spiritualem, per captiuitatem diaboli à Concilio expressam, dùm dicit de morte spirituali, hanc conspurcationem reddidisse naturam incapacem Regni DEI; de morte autem corporali, per hanc conspurcationem, introductam mortem in naturam, vt anteà satis patuit; Ergò per omnia, Decreto Sacri Concilij Tridentini est conformis ista nostra Resolutio, & ità est consentanea Ecclesiæ.

9. Est etiam consentanea scripturæ dicenti Joa: 3. *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre Regnum DEI.* Et. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI;* Et. *Quod natum est carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est.* His enim verbis apertè docet CHRISTVS, nos genitos carnalitèr, & conspurcatos propagatione concupiscentiali, ac in carnem de carne degeneratos, contra intentionem DEI, volentis nos propagari de Spiritu Sancto & Virgine Matre, non posse videre secundùm animam, antè mortem & resurrectionem, & secundùm corpus, introire in Regnum DEI post resurrectionem, nisi rursùs nascamur de Spiritu Sancto & aquâ, quod fit in Baptismo. Ergò CHRISTVS ipse, peccatum originale in conspurcatione & degeneratione nostræ propagationis virgineæ in belluinam, & carnalem, eiusque tàm actiuæ quam passiuæ, collocat.

10. Quod & Propheta Dauid Psal: 50. antè aduentum CHRISTI docuit, dicens. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Id est in iniquitate ex parte Patris, & iniquitate ex parte matris, generantium me carnalitèr cum libidine, contra intentionem DEI, quod sanè in generantibus est iniquitas, quià contra primæuam intentionem DEI, licet iam post peccatum non imputetur, ideò, quòd corruptâ ab Adamo Euæ virginitate, iam nulla spes est relicta, mulieri descendenti ab Adamo, concipiendi de Spiritu Sancto, sitque permissus deinceps conceptus de viro. *Et in peccatis concepit me Mater mea;* Supple, passiuè, quia conspurcatum carnali animâ, & secundùm mentem ac corpus incapacem Regni DEI, redditum. Vndè mox præuidens in spiritu hanc futuram regenerationem, de quâ

CHRISTVS loquitur Nicodemo, Joan: 3 optat se innouari tàm secundùm corpus, quam secundùm animam per illam, dicens. *Cor mundum crea in me DEVS, & spiritum rectum innoua in visceribus meis; Ne proijcias me à facie tuâ & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me; Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.*

11. Hoc & Apostolus ad Rom: 8. clarè fatetur illis verbis. *Lex spiritus vitæ in CHRISTO IESV liberauit me à lege peccati & mortis: Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, DEVS Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Vbi benè nota, ly infirmabatur per carnem; ly in similitudinem carnis peccati, ly damnauit peccatum in carne: his enim phrasibus Apostolus innuit, peccatum originale nihil aliud esse in nobis, nisi conspurcationem & degenerationem naturæ humanæ virgineæ, in animalem, carnalem, atque belluinam, cuius CHRISTVS externam similitudinem assumpsit, vt eam in se destrueret, & nouam generationem nobis largiretur, secundùm spiritum.

12. Est etiam consentanea SS. Patribus. Quod patet legenti Magistrum sententiarum in 2. Dist: 30. 31. & 32. vbi eos citat. Quòd verò sit conformis Doctoribus Scholasticis, patuit suprà ex D. Thomâ relato, & alijs. Et sic patet, quod quid est peccati originalis. Quod est titulus nostræ Resolutionis. Vndè pro clariori illius explicatione, addo.

13. Corollarium. Quòd etiamsi DEVS non prohibuisset Protoplastis, esum pomi arboris scientiæ boni & mali, adhuc illi edentes de illo, ità conspurcassent naturam humanam virgineam, sicut modò conspurcauerunt, dum stante amorosâ DEI prohibitione, illud esitarunt: quia illud pomum, non quâ prohibitum, fuit nociuum naturæ virgineæ humanæ, sed quâ continens necessariam causam seminis & fermenti luxuriæ, per quam virgo natura pessundata est, & suspensum intentum Creatoris, volentis homines propagari de Spiritu Sancto & Matre Virgine. Vndè & tunc sic fermentata proles, fuisset nata in peccatis, vt pote suscitata præter intentionem DEI, licet inobedientia non præcessisset.

14. Et aduerte. Quòd non explicaui peccatum originale, per concupiscentiam introductam in naturam; scio enim, quòd concupiscentia non est peccatum originale, licet dicatur plerumque in scripturâ nomine peccati, eò quod sit ex peccato, vt explicat Concilium Tridentinum. Sed signantèr dixi, peccatum originale esse conspurcationem virgineæ propagationis naturæ, contrà intentionem & prohibitionem DEI, ex quâ conspurcatione, orta est concupiscentia tanquam effectus eius: conspurcatio enim ista, stat præcisè in introductione seminalis fermenti ex pomo, quod fuit originale fermentum, quod deindè seminale fermentum in nos introductum, causauit necessariò dispositiones ad animam animalem seu seminalem, quam demum vt proprietas eius, concupiscentia consecuta est, vt su-

prà deduxi, non alitèr ac modò, ſaliua rabidi, conſpurcat totum ſpiritum ſydereum & animam ſeminalem hominis, adeò, quod eum verè in canem quaſi commutat, vt ſi tunc generaret prolem, illa eſſet tota canina, cum omni canis proprietate. Sed de his abundè ſuprà.

15. Nunc reſtat, vt quæſtiones quas de peccato originali diſputant Scholaſtici, ſecundùm hanc viam reſoluamus breuitèr. Et quidem primo loco ſe offert videndum, quomodò iſta conſpurcatio, in omnes communitèr propagatos transfertur? Et quia hoc iàm declarauimus ſuprà, Reſolutione ſeptimâ hîc, videatur ibi.

16. Secundò ſe offert reſoluendum. Quomodò mens immortalis, adueniens deſuper per viam creationis, ad hominem ſic belluinâ propagatione conſpurcatum, ſecundùm ſpiritum & carnem, & ipſa conſpurcatur peccato originali? Ad quod reſpondeo Quod hoc ideò contingit, quia mens vltimò loco aduenit ad corpus ſeminatum libidinosè, & organizatum ab Archeo in ordine ad animam ſeminalem, quam & antè aduentum mentis acquiſiuit, licet non ſubſiſtentem in aliquâ certâ bruti ſpecie. Mens igitùr vltimo loco adueniens, tam corpori quam iſti animæ dat eſſe humanum, ſigillando ſcilicet totam maſſam, & determinando ad eſſe hominis: hinc homo tunc conſurgens, eſt DEO abominabilis, quia præter eius intentionem ſic in ſpurcitie ſeminali ſuſcitatus, & æternæ vitæ manet incapax. Et hæc eſt etiam doctrina Scholaſticorum à D. Anſelmo mutuata, vt iuxtà eum reſoluit hoc quæſitum Doct: Subtilis in 2. diſt: 32. ita dicens. *Secundùm iſtam viam*, (id eſt. D. Anſelmi) *anima contrahit peccatum originale mediante carne, non ità quòd caro per qualitatem quandam cauſandam in eâ cauſet iſtud peccatum; ſed ex hoc, quòd caro concupiſcibiliter ſeminatur, & ex ipſâ formatur corpus organicum, cui infunditur anima conſtituens perſonam, quæ eſt Filius Adæ.* Sed ex dictis ſuprà, non eſt Filius Adæ niſi ſecundùm animalitatem antecedentem mentem; Ergò mens pro tantò contrahit peccatum originale, pro quanto hanc animalitatem determinat ad humanitatem, quæ ſit Filia Adæ. Similitèr & clariùs loquitur de hoc D. Th: in 2. diſt: 30. Q. 1. A. 2. ad tertium, dicens. *Naſcimur Filij iræ, per propagationem, non per demeritum Adæ, & traducitur peccatum in nos, non per traductionem ſui ſubiecti, quod eſt anima rationalis, ſed per traductionem ſeminis, quia ex quo anima Patris, per peccatum infecta fuit,* (videlicet quia in Adam deſcenderat ad ſigillandum ſemen, illi & toti naturæ exoticum, ſicut & in quolibet deinceps Adamicè generante deſcendit, vt ſupra Reſolutione ſeptimâ declaratum eſt) *ſequitur inordinatio in corpore, ſubtracto illo ordine, quem natura prius condita acceperat,* (ſcilicet vt immediatè viueret ſolâ mente) *& ità etiam ex ſemine illo generatur corpus, tali ordine deſtitutum,* (puta, quià in illo ſuſcitata eſt anima ſeminalis, media inter corpus & mentem) *vndè & anima, quæ tali corpori infunditur, deordinationem culpæ contrahit ex hoc, quod eiusmodi corporis forma efficitur; cùm oporteat perfectionem perfectibili proportionari.* Vel vt dicit in reſponſione ad quintum. *Quia forma recipitur in materiâ, ſecundum conditio-*

ditionem ipsius materiæ. Vel vt q. 4. de malo A. 1. Ad primum loquitur. *Quia caro causat in animâ adueniente culpam, in quantum in semine motus est, & intentio animæ generantis vt Adam.* Hoc est dictum. Ideò anima adueniens, maculatur à semine illo & corpore, quià sigillando illud, cofirmat & determinat hominem Adamicum, & agit ac si in eâ esset intentio generantis vt Adam. Vel vt ibidem A. 6. ad 10. *Quia incipit anima pertinere ad naturam, ab Adam tractam, ex hoc, quòd corpori genito cum concupiscentiâ, vniatur.* Ita D. Thomas.

17. Sed & ex aliâ ratione, anima inficitur peccato, quandò venit ad corpus, nempè, quià non cum gratiâ venit, sicut semper cum gratiâ venisset, si homo de spiritu Sancto & Matre Virgine propagatus esset. Sicut etiam venerat ad corpus Adæ immaculatum, de terrâ virgine digito DEI formatum. Quià enim moderna generatio hominis est, præter intentionem DEI, & solùm permissa, vt vel sic prædestinati nascantur mox regenerandi, ideò DEVS condens animam in corpore, satis habet in hoc succurrere defectui naturæ, non autem simul prospicere saluti eiusdem, per infusionem gratiæ; vndè anima in puris naturalibus veniens, ipso facto est non grata DEO, quià est sinè gratiâ. Neque id malum est, eam sic in puris naturalibus infundi, quià vt ait D. Th: 1. 2dæ. q. 83. A. 1. ad 5tum. *Melius ei est sic esse, quàm simpliciter non esse, cùm possit per gratiam euadere damnationem.*

18. Tertiò occurrit quæsitum. An Adam ipse habuerit peccatum originale? Ad quod respondeo cum distinctione. Peccatum enim originale, aut præcisè stat in istâ conspurcatione naturæ; aut super eam addit traductionem ab aliquo parente. Primo modo Adam habuit peccatum originale, secundo modo non item: quià vt dicit Doct: Subtilis dist: 32. *Non fuit ad ipsum traductum per aliquem parentem, sed ipse in se accepit illam iustitiam, & actu suo amisit.*

19. Et per idem, resoluendam censeo illam quæstionem. An & quarè aliquis conceptus ex digito, non contraheret peccatum originale? Cui respondeo, quòd si formaretur cum istâ materiali conspurcatione, verè haberet peccatum originale; vndè si deinceps generaret, verè illud in prolem transfunderet. Licet quatenùs hanc conspurcationem non acciperet ex traduce, posset dici non habere peccatum originale. Quòd si formaretur non in mediâ istâ vitâ, per animam seminalem, sed in immediatâ per solam mentem, vt fuit formatus Adam, prorsus esset ab isto peccato immunis.

20. Simili modo resoluendæ sunt & illæ quæstiones, quas in materiâ de peccato originali communitèr mouent Doctores, nempè: Quarè Baptizati transfundunt in prolem vetustatem veteris, & non nouitatem noui Adæ? & Quare plus omnibus alijs potentijs, generatiua inficitur hoc peccato? & Quare semen sit causa peccati originalis, cùm in eo non magis videatur hæc causalitas esse, quàm in sputo? Istæ enim quæstiones, &

si quæ

si quæ sunt aliæ similes, facilè soluuntur, per istam conspurcationem naturæ virgineæ, quæ fit per fermentum seminale, in quo stat tota ratio istius conspurcationis, quod non est in sputo; quià ergò adhuc mediante tali fermento, Baptizati generant, & generatiua mouetur ad generandum carnalitèr, ideò & Baptizati transfundunt in prolem hanc conspurcationem, & generatiua tali fermento plus omnibus potentijs inficitur.

21. Quarto loco occurrit dubium. Quarè solus Adam dicitur naturam humanam corrupisse originalitèr, cum Eua prius sibi fermentum pomi applicuerit? Ad quod dico. Quod ideò, quia solus Adam compleuit istam naturæ conspurcationem. Nullatenus enim destinatus fuit à DEO in propagationem generis humani, & tamen percitus æstro libidinis ex fermento pomi in se exortæ, aggredi præsumpsit belluino modo generationem prolis, cum Euæ stupro. Vndè D. Joannes Cap: 1. sui Euangelij, Filios carnales, per Anthonomasiam appellat, natos ex voluntate viri: quasi voluntas viri, anthonomasticè stet pro peccato originali. Eua autem etiamsi pomum non comedisset, destinata fuit à DEO in generationem prolis humanæ, stante illæsâ virginitate suâ, vt supra Resolutione quartâ deduximus. Vndè illâ solâ nos generante, peccato originali in naturâ, nullus relictus esset locus. Adam igitur rectè censetur peccati originalis solus author; quia comesto pomo, & exortâ in se concupiscentiâ carnis, instar equi & muli nudam cepit concupiscere virginem, & fortè reluctantem adhuc in Paradyso, vt supra ex scriptura collegimus, per vim stuprauit, licet enim Eua seducta à Serpente prior pomum comedisset, tamen pomum illud tardiùs in eam operabatur, transplantando fermentum luxuriæ, ob obicem pudoris natiui, illi ex dono creationis vernaculi, & ob impedimentum deuotionis concreatæ: quo duplici decore Euam adornauerat omnipotens Creator, quas dotes natiuas, etiam modò in naturâ corruptâ, retinuerunt virgines præ viris.

22. Et fortè ideò politâ facie relicta est mulier, eò quòd insolentijs Adæ & voluntati eius diu restiterit, Adam verò vt perfractor virginitatis in naturâ humanâ omninò primus, signatus est circà genas & mentum, excrescentibus pilis, vt ita salacibus quibusdam brutis, etiam in barbâ similis fieret, quorum congressum sexualem imitando, naturam totam corrupit. Sicut enim primum homicidam Cain signauit posteà DEVS, vt dicitur Gen: 4. *Posuitque Dominus in Cain signum.* Vbi Lyranus. *Scilicet tremorem horribilem omnium membrorum, vt communiter dicitur, & quòd in faciem Cain signum impressit, quo cognoscebatur ab omnibus fratrem suum innocentem occidisse, & sic omnibus abominabilis reddebatur;* Ità decuit & primum perfractorem virginitatis in naturâ humanâ, signari in facie, per excrescentes pilos; nec propte-

propterea barba crescit viro, nisi in tempore illo ætatis, quo luxuriæ insultus pati incipit, nec alibi nisi circà os, guttur, & buccas, quibus Adam scilicet primas illecebrarum voces emisit. Adde; quòd viri spirituales, & Theologi mystici, nunquam angelum bonum barbatum apparere testantur; vndè illa regula: si apparuerit barbatus angelus, malus esto. Horrent ergò angeli barbam, vt potè propter carnis concupiscentiam, in naturam humanam introductam, quâ ipsi omninò carent. Deniquè.

23. Quinto loco restat resoluendum. Quomodò, & per quid, in nobis dimittitur peccatum originale? Sed hæc difficultas postulat seorsiuam Resolutionem. Sit igitùr sequens pro hoc declarando.





RESOLVTIO DECIMA.

Ista spurcities originalis, tollitur à nobis verè & realissimè per Baptismum, qui nos efficit nouam creaturam, licet id non appareat.

1.

MAnifestè id docet Apostolus ad Galatas 3. *Quicunq; (inquit) in CHRISTO baptizati estis, CHRISTVM induistis; non est Iudæus neq; Græcus, non seruus neq; liber, non est masculus neq; fœmina, omnes enim vos vnum estis in CHRISTO IESV.* Quæ verba Apostoli Glossa ordinaria, citans Theophilactum, ità docet esse intelligenda, vt de reali & verâ renascentiâ, procedant. *Vniuscuiusq; (inquit) Baptismate ablutorum natiuitas, reiecit formas & proprietates, vnam autem figuram & formam omnes assumpserunt, non Angeli, sed ipsius Domini, in seipsis ostendentes CHRISTVM, perindè omnes sumus in CHRISTO IESV, hoc est, quatenùs vnam CHRISTI formam impositam nobis habemus, vel quatenus etiam vnum corpus sumus, vnum caput, videlicet ipsum habentes.* Virginea enim natura CHRISTI, qui ideò propter nos & propter nostram salutem descendit de Cœlo, vt esset Filius Virginis, per Baptismi Sacramentum communicatur nobis verè & realitèr; ità vt illa athoma natura CHRISTI, actu sit in sene, iuuene, muliere, Græco, Barbaro; Spiritualis tamen, vt potè causata per renascentiam ex aquâ & Spiritu Sancto, carne interim Adamicâ cum suâ animâ seminali remanente, sed certissimæ morti temporali destinatâ. Nàm sicut ex aquoso liquore seminis, & spiritu Archeo, nostra carnalis generatio suscitata est in naturâ; ità placuit CHRISTO, regenerationem nostram in aquâ & Spiritu Sancto constituere, vt sic redigamur in spiritum DEIformem, sicut geniti fuimus in carnem animalem; & licet istud mysterium Baptismi, quo sic verè & realitèr regeneramur, superet omnem intellectum creatum, etiam Angelicum; stante tamen reuelatione nobis per scripturam factâ, illa aliqualitèr elucescit. Vndè vt istud pateat.

2. Aduertendum est primò. In Baptismo duo concurrere, scilicet ablutionem hominis Adamici, & suscitationem hominis DEIformis: quæ duo, quòd sint verè & realiter in Baptizatis, vt ostendamus.

3. Aduertendum est secundò. Quòd Filius DEI, non sinè ingenti mysterio Apoc: 5to. dicitur *Agnus occisus ab origine mundi.* Postquam enim homo naturam suam conspurcauit talitèr, vt explicatum est in præcedentibus,

debebat

debebat eâdem die mori, desistente mente ab immediato regimine corporis sic defædati, nisi ille se vadem oppignorasset coràm Patre, qui *prædestinatus erat vt esset Filius DEI in virtute, secundùm spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum IESV CHRISTI Domini nostri;* vt loquitur Apostolus ad Rom: 1. Quorum verborum satis difficilium, sensus iste est; quòd CHRISTVS iam tunc prædestinatus in caput omnium electorum, angelorum & hominum, vt esset Filius DEI in virtute, id est, vt prout ipse est Filius DEI per naturam, ità & homines (estò iam lapsos) efficeret suâ virtute, Filios DEI, idque non alitèr, sed sicut additur, secundùm spiritum sanctificationis, supple, in Baptismo, non tamen ità, vt appareat hæc naturæ renascentia, quæ postmodum apparebit ex resurrectione mortuorum JESV CRISTI Domini nostri. Ille ergò CHRISTVS iàm tunc obiectus Trinitati SSmæ, vt caput prædestinatorum omnium, causa fuit, ne illius latæ in Adamum & Euam sententiæ, scilicet: *Quacunque die comederis ex eo morte morieris;* executio fieret, dùm in temporum plenitudine, se pro hominibus in carne mortem temporalem oppetiturum, & qui aliàs solùm vt glorificator venisset, etiam se vt redemptorem venturum, ad carnem conspurcatæ isti similem, in se recepisset, vt ita iustitia & pax oscularentur ad inuicem: statim igitùr duos sinè labe Agnos, Patri æterno immolauit Filius DEI coram homine, vnum in holocaustum, suæ futuræ passionis & mortis præfiguratiuum, alterum, partim sacrificandum, partim edendum, dedit protoplastis, in hostiam & signum pacis, ostendens per hoc, se fore illum agnum ab origine mundi occisum, in temporum plenitudine iuge sacrificium, & ferculum in Eucharistiâ restauratiuum integritatis virgineæ, iàm in naturâ humanâ contrà intentionem DEI pessundatæ. Quorum agnorum pellibus induti parentes primi ideò sunt, vt se tandem merito mortis & passionis CHRISTI restaurandos, & in virtute Filij DEI secundùm spiritum sanctificationis, in virgines mediante operatione Spiritus Sancti per aquam, & participatione corporis virginei CHRISTI in Eucharistiâ, verè transformandos scirent. Quod vt in reipsâ compleretur.

4. Aduertendum est tertiò. Quòd in temporum plenitudine, Filius DEI descendens de cœlis, non assumpsit carnem peccati ex voluntate viri genitam, sed solùm assumpsit similitudinem hominis Adamici, & formam serui, dicente Apostolo ad Philip: 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Non quòd non fuerit verus homo, (absit enim hoc à mentibus fidelium) fuit enim verus homo, sicut & Adam nouitèr creatus, sed quià non fuit homo impurus, nec de facto seruus peccati; ast solùm, quià carnem habuit similem carni peccati, repræsentabatq; eam quasi carnalem & animalem, ac si esset vnus ex Adamicis, idq; non permittendo animam intellectiuam, quæ sola in eo fuit absque omni seminali animâ, immediatè irradiare, & cum omni energiâ regere corpus, idque per continuum quoad vsque vixit miraculum, vt & Theologi fatentur. Grande autem in hoc latebat mysterium. Quià enim in se assumptum Hominem

 minem

minem Adamicum, ſecluſo tamen peccato, ſepelire, & nouum hominem ſecundùm illam primæuam intentionem DEI, in ſemetipſo ſuſcitare decreuerat, ideò neceſſe fuit eum permittere ſe occidi, illudi, flagellari, & acerbiſſimâ ac ignominioſiſſimâ morte, (quam tàmen ille propter iſtud regenerationis totius naturæ abſconditum in eâ myſterium, exaltationem ſuam toties appellauit) tolli de medio, vt ità ſublato in ſe quod erat Adamicum, licet absque peccato, redderetur rursùs in ipſo nobis Diuinus, Virgineus, ſpiritualis, & DEIformis homo, qualis erat ab initio. Neque enim nouum quid reſurgit, niſi deſtruatur vetus, ac proindè CHRISTVS in ſe noſtrum vetus, ſinè peccato tamen, aſſumpſit, vt illud deſtrueret, ac ſuum nouum Virgineum de Spiritu Sancto & Virgine Matre conceptum corpus, nobis conferret.

5. Hoc ſonant apertiſſimè dicta ipſiusmet CHRISTI, quibus ſibi neceſſitatem ponit patiendi, & moriendi, imò Petrum à ſe remouentem talia, ſeriò obiurgat, & Sathanam vocat, eò quòd non ſaperet ea, quæ DEI ſunt, ſed quæ hominum. Matthæi enim 6. legitur. *Exindè cæpit IESVS oſtendere diſcipulis ſuis* (nota ly Exindè, id eſt, ex quo in Petro fundauit Eccleſiam, vt idem Caput 16. Mathæi refert) *quià oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & ſcribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertiâ die reſurgere.* Et Marci 8. *Oportet Filium hominis pati.* Lucæ quoq; 24. *Oportet Filium hominis tradi.* Et *Nonne hæc oportuit CHRISTVM pati, &c.* Sed Ioan: 3. diſtinctius *Sicùt Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ità oportet exaltari Filium hominis.* Quam ſimilitudinem ſerpentis ænei, alto planè myſterio adducit Saluator: ſicùt enim ſerpens ille nec viuus fuit, nec cadauer mortui, ſed ſolùm ænea ſerpentis imago; exaltabatur autem in furcâ, ad ſalutem à ſerpentibus demorſorum: ità exaltari oportuit Filium hominis, ſimilitudinem tantùm carnis Adamicæ habentem, viuum, amore plenum; & in cruce mori, vt homo impurus demorſus à ſerpente, id eſt, lapſus in mortem ſuaſu ſerpentis infernalis, non pereat, ſed habeat vitam æternam, innueretque, quod ſicut ibi non eſt exaltatus viuus ſerpens, nec eius mortui cadauer, ſed ſolùm ænea imago vitæ omninò incapax; ita caro peccati, quam ſimilitudinariè repræſentabat Filius hominis, planè vitæ æternæ & Regni DEI incapax, debuit ſuſpendi in cruce, & deſtrui, eo fine, vt nobis noua virginea caro reſtitueretur: niſi enim caro Adamica moriatur in Baptiſmo, reſtituaturque pro eâ nobis per gratiam Spiritus Sancti immaculata caro Virginea CHRISTI, idque verè & realiſſimè, ſucciſa eſt nobis ſpes omnis ſalutis. Et hoc eſt quod canit Eccleſia in præfatione Paſchali de CHRISTO. *Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit.* Hoc aſſerit & Apoſtolus ad Rom: 6. dum inquit. *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati.* Et ad Coloſſen: 2. *Delens quod aduerſum nos erat Chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis,* (nempè carnem Adamicam humanæ naturæ exoticam, Regni DEI incapacem) *& ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, & exſpolians*

polians principatus & potestates, (puta Dæmonum) *traduxit confidentèr, palam triumphans illos in semetipso.* Hæc quoad abolitionem hominis Adamici per CHRISTVM, quæ applicando ad Baptismum.

6. Aduertendum est quartò. Quod vt loquitur D. Bernardus serm: de septem signaculis, in die Paschæ. *Decet vt quomodò præcessit caput, sequantur & membra.* Quia ergò CHRISTVS, qui est caput nostrum, carnem nostram Adamicam in similitudine assumens, eam crucifixit, cruci se spontè offerendo; hinc instituit Baptismum in aquâ & Spiritu Sancto, vt per ablutionem aquæ, vetus homo noster moriatur, & sordes illæ spurcitiesque, per generationem Adamicam belluinam contracta, tollatur, saltem inchoatiuè, complenda postea in resurrectione; & gratia regenerationis, per Spiritum Sanctum, & mortis CHRISTI meritum, conferatur. Hæc est doctrina Apostoli ad Rom: 6. dicentis. *An ignoratis fratres, quià quicunquè baptizati sumus, in CHRISTO IESV in morte ipsius baptizati sumus; consepulti sumus cum illo per Baptismũ in mortem, vt quomodò CHRISTVS resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ità & nos in nouitate vitæ ambulemus: si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Vbi D. Ambrosius Lib: 2. de Sacramentis cap: 7. quærit. *Quid est in morte? vt quomodo CHRISTVS mortuus est, sic & tu mortem degustes?* Et paucis interiectis. *Mors ergò est,* (inquit) *sed non in mortis corporalis veritate, sed in similitudine; cùm enim mergeris, mortis & sepulturæ suscipis similitudinem.* Et glossa ordinaria citans Oecumenium ait. *Metaphorica dictio est, complantati ab arboribus: nam sicut planta aliquo tempore velut mortificationem patitur, deindè protinùs reuiuiscit, ac reuirescit, ità & corpus Dominicum, ad breue tempus in Sepulchro positum, indè repentè effloruit.* Et subdit de nobis. *Nos dùm baptizamur, etiam sepelimur, & quodammodò veluti Plantæ in terrâ, ità & nos in aquâ morientes, repentè viuentes, nostramq; salutem pullulantes, ascendimus; nam tres Baptismi immersiones & emersiones, mortem ac resurrectionem significant.* Et Lyranus. *Sicut CHRISTVS sepultus fuit in terrâ, sic baptizatus mergitur in aquâ.* Ex quibus testimonijs satis claris habemus, quòd ablutio aquæ in Baptismo, significat mori in nobis coram DEO hominem Adamicum, quasi inchoatiuè, vere tamen & realitèr, qui postmodum complete mori debet in fine vitæ præsentis; vel mori statim quidquid est in mente nostrâ Adamicum, licèt corpus Adamicum cum suâ animâ seminali, adhuc superstes maneat, cum omnibus suis sarcinis, & mortis necessitate, ob maius nostrum meritum. Cùm autem homo vetus in mente sic moritur in Baptismo, Spiritus Sanctus in eodem instanti temporis, confert animæ immortali gratiam regenerationis, & reponit totum hominem actu in CHRISTVM, licet id nobis sit sicut imperceptibile, ità & ineffabile, facitque verè & realitèr vnumquemque Baptizatum, nouam creaturam. Quòd in resurrectione, quàm propterea CHRISTVS vocat regenerationem, manifestum erit; Licet & modò non desit signum istius realis in baptizatis regenerationis: nam Baptismus tollit à Baptizatis fœtorem carnis Adamicæ, quem in Iudæis omnibus, Saracenisque, & Arrianis, quotidiè cum nauseâ obseruamus, etiam in mortem vsque eorum durabilem.

rabilem. Sufficit autem pro paruulis iſta renaſcentia ex aquâ & Spiritu Sancto abundè, & etiam pro adultis mox poſt Baptiſmum morientibus.

7. Imò etiam votum Baptiſmi, & deſiderium, ſaluat adultos, ſi realis ablutionis aquæ nequeant eſſe compotes, & moriantur, quià tales fide & deſiderio commoriuntur CHRISTO: Æquum eſt autem bonitati Diuinæ, illos per Spiritum Sanctum in CHRISTVM & eius virgineam naturam transferri, mediante regenerationis gratiâ.

8. Martyrium quoque ob eandem cauſam æquiualet Baptiſmo, ſiuè ſit adultorum ſiuè paruulorum non baptizatorum, etiam in vtero Matrum morientium, dummodò Mater prægnans, vel tales paruuli geniti, mox in odium CHRISTI occidantur; quià cenſentur commori CHRISTO, atque ità in CHRISTVM & eius carnem Virgineam inſeruntur. Aſt pro adultis inſtituit CHRISTVS Euchariſtiam, quæ etiam ſecundùm Theologos confert dignè ſumentibus corpus & ſanguinem CHRISTI, primam gratiam; quià ob fragilitatem, ex animalitate in nobis derelictâ, cum ſuis concupiſcentijs & deſiderijs, frequentiamque obuiam peccandi, quousque hanc vitam miſeram viuimus, opus fuit nos confortari verâ & reali, Sacramentali tamen, participatione Virgineæ carnis CHRISTI, vt ità cibati & fortitudine panis iſtius firmati, carnis Adamicæ illecebras & ſarcinas, alacrius ſuperemus, & ſymbolo iſto cibi, corpus CHRISTI realitèr in ſe continentis, in CHRISTVM tranſeamus: Juxtà illud Joan: 6. ipſius CHRISTI. *Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem, in me manet, & ego in eo.*

9. Sed de ſuſcitatione reali & verâ hominis DEIformis per Baptiſmum, aliquid addendum eſt. Sciendum ergò, quòd ſicut Spiritus Sanctus formare nos debuerat in corde Matris Virginis, ex eius arteriali ſanguine, iuxtà primæuam intentionem DEI, ſi eam Adam non peruertiſſet, ita idem Spiritus Sanctus, qui & naturam humanam CHRISTI, de ſubſtantiâ Virginis Matris formauit, ſuâ operatione, reſarcit nobis in Baptiſmo aquæ, illam primam Creatoris intentionem, conferendo nobis immaculatam carnem Virgineam, & nos quaſi verè in CHRISTVM transferendo. Sicut enim in initio, nos Spiritus Sanctus in Matre Virgine ſuſcitaſſet Virgines, & ſpirituales, ità & modò ſuſcitat in nobis in aquâ immerſis, naturam Virgineam, inſerendo nos ceù palmites in vitem veram CHRISTVM. Sic itaq; regenerati, verè mutamur in ſpiritum, inchoatiuè tamen, quià iam acquirimus jus, vt corrupto in nobis quidquid eſt Adamicum, per mortem temporalem, reſuſcitemur in Virginitatis participatione; & ideò oportet interuenire mortem, vt deleatur prorsùs homo Adamicus, & reſurgat Spiritualis Virgineus. Et hoc eſt, quod dicit Apoſtolus 1. ad Cor: 15. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Soli enim regenerati per Baptiſmum, reſurgent immutati, id eſt, Spirituales effecti; Quià per renaſcentiam facti ſunt ſpiritus, ideò in naturâ ſpirituali prodibunt ad gloriam. E contrà verò, qui reſurget non Baptizatus, conſequentèr reſurget non mutatus, quià non renatus in ſpiritum. Sic igitùr ſumus in CHRISTO per Baptiſmum & Spiritus Sancti operationem, no-

ua

ua creatura, non iam ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex DEO geniti, modo castissimo Spiritus Sancti, per quem antè natam in nobis brutalitatem, & carnis concupiscentiam, omnem hominem electum ex Matre Virgine nasci debere, decretum erat. Et hæc est Baptismi potestas vera, & realis, quam nobis CHRISTVS instituens hoc Samentum, dedit, vt Filij DEI fiamus, si eum, Baptismum suscipientes induamus.

10. Confirmatur ista doctrina per sententiam Doctoris Subtilis, & D. Anselmi in 2. Dist: 32. §. Quantum ad quartum, &c. Vbi docent. Quòd formale in peccato, deleri debet in se, per oppositum formalitèr, vel virtualitèr, in remissione peccati. Ex quo volunt habere, etiam peccatum originale debere deleri, vel per positiuum proprium oppositum, vel per aliud virtualitèr continens illud oppositum, quale est Gratia. Et hoc illi pro tantò docuerunt, pro quantò Justitiam originalem donum fuisse naturæ superadditum putauerunt, ampliùs irrestituibile homini post lapsum. Sed nos ponimus Justitiam originalem sitam fuisse in vitâ spirituali, per solam mentem, quæ modò est versa, ob peccatum & pomum applicatum illi, in carnalem; Ergò consequentèr tenere debemus, eam à Spiritu Sancto in Baptismo formalitèr restitui nobis, & ita nos recuperare, & pristinam spiritualitatem, & gratiam; sicq; in nobis tolli peccatum originale. Nec in hoc apparet aliqua inconuenientia, tam ex parte naturæ, quam ex parte operationis Spiritus Sancti. Ex parte autem CHRISTI, qui nobis datus, omninò id asserendum videtur, quòd nos sibi tali modo complantet, & vniat secum, per istam renascentiam baptismalem inchoatiuè, & Eucharisticam, perfectiuè. Hæc de primâ parte istius Opusculi pertractasse, pro fundamento sequentium de Immaculatâ Conceptione VIRGINIS Matris Resolutionum, sufficiat.





DECAS II.



Oſito nouo fundamento, reſtat vt ædificemus ſuper illud noua Propugnacula, quàtenus Immaculatè conceptam VIRGINEM pro modulo noſtro tueamur. Licet enim illa in supernâ iàm ciuitate Hieruſalem cuius muri ex auro puriſſimo, triumphet ſecura: In militante tamen Eccleſiâ adhùc militat, ſuoſq; qui pro illius immaculatâ conceptione ſtrenuè decertant, notat & diſcernit milites, vt eis pro meritis iuſta decernat & conferat præmia.

Porrò vt ædificium fundamento reſpondeat, ſicùt illud in decennario Reſolutionum numero poſitum eſt,ità & hanc ſtructuram decem Reſolutionibus erigere, eſt animus, vt decem validiſſima conceptionis immaculatæ propugnacula, firmitèr perſiſtant. Sit igitùr.

RE-



RESOLVTIO PRIMA.

Ex ratione præuiſionis & prædeſtinationis ſimultaneæ, VIRGINIS MATRIS cum CHRISTO, eadem omninò debuit eſſe in ſuâ conceptione, immaculata.

I.

CHRISTVM prædefinitum eſſe ab æterno, tanquam primogenitum omnis creaturæ, vt ſit caput Eccleſiæ, quæ ex Angelis & Hominibus conſtat, nedùm Scotiſtæ cum ſuo Doctore Subtili, ſed etiam Thomiſtæ cum Doctore Angelico 3. p. Q. 8. aſſerunt, ità vt nihil difficilius videatur in doctrinâ Thomiſticâ, quàm concordare hæc duo, quæ expreſsè docet D. Thomas; ſcilicet: CHRISTVM poſt præuiſam culpam Protoparentum, prædeſtinatum eſſe, alias nunquam futurum, ſi Protoparentes non peccaſſent; quod ille expreſſiſſimè definit 3. p. q. 1. A. 3 & 4. Et, CHRISTO gratiæ plenitudinem conſtitutam, tanquàm Principio Vniuerſali habentium gratiam; quod docet 3. p. q. 7. A. 9. Eſſeq; CHRISTVM caput Eccleſiæ, quæ ex Angelis & hominibus conſtat; quod clarè affirmat 3. p. q. 8. A. 4; Et plenitudinem gratiæ quæ in CHRISTO eſt, eſſe cauſam omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus creaturis intellectualibus: quod aſſerit ibidem, adducens illud Ioan: 1. *Et de plenitudine eius, nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ.* Sed concordent ſui ſequaces Doctorem Angelicum, & ſeriem decretorum Diuinorum pro ſuo libitu adinueniant; nobis interim Scotiſtis certum eſt, CHRISTVM & prædefinitum eſſe ab æterno in caput omnis creaturæ, & venturum omninò fuiſſe per vnionem hypoſtaticam naturæ humanæ virgineæ ad Verbum, quamuis protoparentes non peccaſſent. Quod, vt potè à noſtris efficaciſſimè probatum, & ſtabilitum, hic ſuppono: cùm etiàm aliqualitèr id iàm declarauimus Parte I. Reſolutione I.

2. Nunc autem deducendum eſt pro modulo noſtro, quòd hæc præuiſio & prædeſtinatio CHRISTI, non fuit abſque ſimultaneâ præuiſione & prædeſtinatione Virginis Matris eius. Indè enim habebimus; Matrem Virginem omninò immunem eſſe debuiſſe à peccato originali, in ſuâ Conceptione puriſſimâ. Hoc igitùr oſtendo ſic. CHRISTVS, ſiuè conſideretur vt Glorificator tantùm, ſiuè vt Redemptor & Glorificator ſimùl, ſempèr inuoluit naturam humanam vnitam Verbo, eamque Virgineam,

& procedentem ab intactâ VIRGINE Matre; Ergò in præuisione & prædefinitione naturæ virgineæ CHRISTI, vt vniendæ Verbo, prædefiniebatur simul & VIRGO Mater, à quâ ista humanitas, quatenus ista, in esse naturæ virgineæ, nos glorificantis, vel post lapsum etiam restaurantis, sumenda erat. Consequentia probatur. Quià teste Apostolo ad Eph: I. *DEVS elegit nos in ipso*, (id est, in CHRISTO) *ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti*; Sed non in ipso nisi quatenùs Filio Virginis; Ergò si DEVS elegit & prædefiniuit CHRISTVM vt nostrum glorificatorem, vel restauratorem per humanitatem Virgineam vnitam Verbo, iàm præuidit simùl & prædefiniuit isti humanitati CHRISTI, hanc Matrem VIRGINEM, à quâ humanitatem virgineam sumens CHRISTVS in esse naturæ, nos omnes in se, mediante hâc VIRGINE de quâ sumpsit naturam, transplantaret vt palmites in veram vitem, idq; verè & realitèr, seruatis tamen seruandis, scilicet sumptione Eucharistiæ, quæ ideò etiam Adamo non peccante, in illo statu innocentiæ instituta fuisset, vt docet Doctor Subtilis, & cum eo omnes sui discipuli, & stante lapsu, mediante Baptismo nos regenerante, qui solus paruulis sufficit; & communione corporis CHRISTI virginei, in adultis requisitâ. Ità quòd (vt hanc consequentiam clariùs explicem) ab executione, quam seruauit caput nostrum CHRISTVS in nostrâ glorificatione & redemptione, liceat venari DEI primam intentionem circa nos, & ipsum CHRISTVM caput nostrum, sic. CHRISTVS consideratus vt Redemptor, in eo posuit vim totam nostræ redemptionis, quod nostram naturam corruptam per fermentum concupiscentiæ, & animalizatam, seu carnalem & belluinam effectam, fecit renasci, & in seipsum transplantari, tùm mediante regeneratione per Baptismum, tùm mediante suæ carnis virgineæ in nos, & nostræ in suam carnem transitione, per Eucharistiæ, realitèr carnem virgineam CHRISTI continentis, participationem, quod & in glorificatione nostrâ fecisset, instituendo Eucharistiam, vt dixi; Ergò CHRISTVS consideratus vt caput nostrum, & in quo, vt loquitur Apostolus, electi sumus vt essemus Sancti, omninò debuit destinari ad carnem virgineam: non debuit autem eius caro ità fuisse producta, sicut caro Adæ de limo terræ; quià tunc nostra natura in CHRISTVM non insereretur tanquam palmes in vitem, vel oleaster in oliuam, loquendo verè & realitèr; Ergò debuit carnem sumere de Virgine, vt eâ subministrante materiam carnis, in eâ & per eam, verè & realitèr humana natura transiret in glorificatorem, & stante lapsu, restauratorem suum CHRISTVM; atque ità si in eo sita erat totius naturæ nostræ glorificatio & reparatio, sequitur quod in illâ æternâ prædefinitione CHRISTI in caput nostrum, etiam prædefinita est simul hæc Mater CHRISTI, & etiam nostra. Et per hoc nedùm consequentia illa, sed & antecedens assumptum, ex quo illata erat hæc consequentia, manet declaratum.

3. Confirmatur iste discursus per Magistrum sententiarum in 3. dist: 4. vbi

4. vbi ſic de mente Sanctorum Patrum, loquitur. *Modus iſte, quo natus eſt CHRISTVS de MARIA ſicut Filius, & de Spiritu Sancto non ſicut Filius, inſinuat nobis gratiam DEI, quâ homo nullis meritis præcedentibus, in ipſo exordio naturæ ſuæ, quo eſſe cæpit, Verbo DEI copularetur, in tantam Perſonæ vnitatem, vt idem eſſet Filius DEI, qui Filius hominis, & Filius hominis, qui Filius DEI.* Vbi (vt vides) Magiſter vult, ideò CHRISTVM Filium Virginis factum eſſe, vt noſtram naturam adhuc in exordio ſuo, quo eſſe cœpit, id eſt propagatione de Virgine, quæ erat ex primæuâ intentione Creatoris, ſi Adam peccando eam non peruertiſſet, ſuæ naturæ de Virgine ſumptæ, inſereret. Atque ità in intentione DEI, quâ CHRISTVS prædefiniebatur vt caput noſtrum, etiam VIRGO Mater eius, vt eâ carnem illi miniſtrante, ipſe fieret caput noſtrum, nos glorificatiuum & reſtauratiuum, præuideri & prædefiniri debuit.

4. Audeo ergò dicere; quòd ſi CHRISTVS eſt Saluator omnium, & maximè fidelium, (ſiuè de eo loquamur vt Glorificatore præcisè, ſiuè etiam vt Redemptore & glorificatore, ſtante noſtro lapſu,) & ſaluari alitèr non expediuit naturæ noſtræ, ſiuè innocenti ſiuè lapſæ, niſi in CHRISTVM veram vitem inſereretur; & ſi inſeri non potuit niſi ſumendo carnem de Matre Virgine; iam à primo ad vltimum, non potuit præuideri CHRISTVS ſinè hâc Matre VIRGINE, quæ eſt MARIA.

5. Iam verò quomodo ex hoc ſequatur VIRGINEM MATREM CHRISTI, immunem eſſe debuiſſe à peccato originali, eo ipſo, quòd eſt cum CHRISTO ſimul prædefinita vt mater eius, quâ mediante omnes alij prædeſtinati, ſiuè lapſi ſiuè innocentes, in CHRISTVM inſererentur, doceant nos authoritates S. Scripturæ, Apoſtolorum, Summorum Pontificum, & Conciliorum; tum quoque, Reuelationes, Miracula, & Rationes. Inſuper ſententiæ Sanctorum Patrum, & Doctorum Scholaſticorum. Et quidem quantum ad authoritates S. Scripturæ. Inter has primum teneat locum illa ſupremi Tonantis vox ad callidum ſerpentem Gen: 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Hanc planè vnanimi conſenſu omnes Patres & Doctores à Lyrano citati hic, exponunt in ſenſu myſtico de Virgine glorioſâ, innixi illi Regulæ S. Bernardi Ser: in 12. Apocalypſeos, dicentis. *Beata Virgo, myſticis eſt præfigurata miraculis, & oraculis prænunciata Prophetitis, quam Sacerdotalis virga, dum ſinè radice floruit; quam Gedeonis vellus, dum in medio ſiccæ areæ maduit; quam Orientalis porta, quæ nulli vnquam patuit, præſignabat.* Conformitèr igitùr ad mentem D. Bernardi, intelligendum eſt, inimicitias maximas factas fuiſſe inter capitalem naturæ humanæ hoſtem & Virginem Beatam, DEO ſic diſponente, quæ tamen venenoſum caput eius conterere debuerat, ne ſub poteſtatem eius aliquandò caderet. Iuxta illud. *Ipſa conteret caput tuum.* Sed non benè hoc quadraret Virgini, ſi vnquam peccato originali obnoxia fuiſſet, neſcio enim qualitèr caput ſerpentis contriuiſſe diceretur, ſi ſub po-

testatem eius, æquè ac aliæ mulieres caderet, & ab eo prius vel per vnicum instans, prostrata fuisset, quem tamen ex oraculo Diuino omninò debuerat prostrasse, Ergò &c. Succedat illud Psal: 36. *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Quæ verba applicando Virgini Mariæ S. Bonauentura in 3tio, Dist: 3. Quæst: 2. ait. *Alij post casum erecti sunt, Virgo quasi in ipso casu sustentata est, ne caderet.* Tum illud Psal: 45. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Quod sanctificium exponens S. Vincentius Ferreriensis Ordinis Prædicatorum ser: 1. de Natiu: Virrg: ait. *Quandò corpus Beatæ Virginis fuit perfectè organizatum, & anima illi coniuncta per creationem, tum altissimus sanctificauit tabernaculum suum.* Et idem exponens illud Gen: 1. *Fiat lux;* Ser: 2. de eadem Natiu: Virg: dicit. *Non credatis quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata.* Similitèr Psal: 66. dicitur. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas DEI; homo natus est in eâ, & ipse fundauit eam altissimus.* Quam fundationem explicans D. Anselmus Lib: de concep: Virg: Cap: 6. ait. *Si fundamentum illius, scilicet primordium conceptionis Beatæ Mariæ, corruptum fuit, ipsi certè structuræ non congruebat.* Similitèr Prouerb: 17. dicitur. *Gloria filiorum, Parentes eorum &c.* Quæ verba ipse Doctor Angelicus applicans Beatæ Virgini 3. p. Q. 21. A. 4. dicit. *Beata Virgo, non esset idonea Mater DEI, si peccasset aliquando, quia ignominia Matris, ad filium redundasset.* Duplicitèr autem peccamus. Imò, in personâ propriâ. Iuxta illud 2di Paralip: 6to. *Non est homo, qui non peccat.* Secundò, in Adam. Iuxta illud ad Rom: 5. *In quo omnes peccauerunt.* Tunc ego. Sed Beata Virgo ab omni peccato actuali, etiam veniali, immunis fuit, iuxta communem omnium Doctorum & Ecclesiæ sensum, & hoc ideò, quia non esset idonea Mater DEI, si peccasset aliquandò actualitèr; Et tamen non euasisset ignominiam, si peccato originali contaminata fuisset, quæ ignominia non minus vergeret ad filium, ac ignominia ex peccato actuali contracta, Ergò ne in hoc simus contrarij sententiæ Doctoris Angelici, procul repellimus à Virgine omne peccatum, tàm scilicet actuale quam originale. Similitèr Baruch 5to dicitur. *Circumdabit te DEVS diploide iustitiæ, & imponet mytram capiti tuo honoris æterni; DEVS enim ostendet splendorem suum in te, qui sub cælo est, nominabitur enim nomen tuum à DEO in sempiternum, pax iustitiæ & honor pietatis.* Quem textum exponens noster Lyranus, ait, quòd esset hyperbolicus, si intelligeretur de Synagoga, sed planus & sanus, si intelligatur de CHRISTO & Ecclesiâ, cum omnibus membris suis. Tunc ego. Sed Virgo Maria, sicut in regulis prædestinationis æternæ simultanea erat CHRISTO filio suo, ita primatum tenet inter omnia membra capitis huius, nimirum CHRISTI; Nam splendor DEI, est CHRISTVS, vt habetur ad Hebr: 1. Splendor verò CHRISTI, est Maria, à quo in eam deriuata est omnis innocentia, adeò vt nominetur immaculata, pura, & beata, in sempiternum; Iuxtà illud quod ipsa de se protulit Lucæ 1. *Beatam me dicent, omnes*

genera-

generationes. Ergò benè de eâ textus adductus intelligitur, vti hoc clarius explicat Franciscus de Vellasco cum suis collegis Complutensibus, totum hunc textum exponens luculenti stylo de carentiâ peccati originalis & abundantiâ gratiæ æquiualentis Justitiæ originali, in Virgine immaculatâ. Pari modo accommodatur puritati & excellentiæ huius Virginis Thronus Salomonis; de quo 3tij Reg: 10. Item Arca testamenti fabricata ex lignis Setim, quæ erant imputribilia, alba, & sinè spinis. Vt docet Lyranus super Deutoron: 10. Et alia huiusmodi, quæ enumerando, longus essem.

6. Succedant his testimonia Apostolorum pro immunitate Virginis. Hæc B. Amadæus Ordinis nostri, in suâ nouâ Apocalypsi Raptu 4to & 8uo, refert se à Gabriele Archangelo didicisse. Quod etiam confirmat noster Cerdanus Oratione de Immaculatâ Virginis conceptione, habitâ Vallissoleti in præsentiâ amplissimi auditoris, Anno 1616 die 15 Decembris. Et subscribit Abdias Babylonicus Lib: 4. suæ historiæ. Sunt igitùr hæc Primum Sancti Andreæ, dicentis. *Iustum & rationabile fuit, vt Mater DEI, tantâ puritate splenderet, & tantâ pulchritudine fulgeret, vt sub DEI nostri pulchritudine, nulla in terris aut in cælis maior cogitari possit; Tota enim pulchra es, & nulla macula in te est. Nihil in te horridum, nihil tetrum, omnia splendent, omnia rutilant.* Alterum testimonium eiusdem, relatum à Presbyteris Achaiæ, in Libro Passionis S. Andreæ: quod etiam solet legi infra Octauam Immaculatæ conceptionis in Officio nostri Ordinis, tale est. *Quomodo de immaculatâ terrâ factus fuerat homo primus, necessarium erat, vt de immaculatâ Virgine natus CHRISTVS, vitam æternam, quam omnes perdiderant, repararet.* Tertium eiusdem testimonium citatur, in tenore tali. *Quandò totum genus humanum damnatum fuerat, totum perierat, totum priuatum erat hæreditate, Tu sola à communi omnium damnatione, præseruata fuisti.* Quartum est S. Mathæi. *Tu ô Maria, nosti & æterna & temporalia, mortalia & immortalia, corporea & incorporea; nihil te latet, nihil abscondit DEVS, qui seipsum tibi aperte ostendit. Niuei candoris es ô Maria immaculata, scirpus es nodo carens. Pænas corporales, ob peccatum primi parentis, in posteritatem deriuatas, pro parte & tu, tanquam carne corruptibili obtentâ, sustulisti; pænas animæ, quæ obsunt & non prosunt, non habuisti.* Quintum est S. Thomæ, sic de Virgine discurrentis. *Et Adæ peccato præuiso, non fuisti cum alijs omnibus condemnata.* Sextum est S. Mathiæ. *Virgo quibus meritis præcedentibus, quibus operibus præuenientibus, à peccato omni præseruata fuit, nullis inquam; antequam esset non solum ipsa, sed cælum & terra, & ipsa natura Angelica, iam electa erat, iam si alij caderent in vno Patre, promissum fuit remedium, alios releuandi, ipsa omninò dono DEI, & remedio passionis filij sui, ordinata fuit, vt dono DEI, & diuinâ acceptatione, passio plus sibi præuisa proficeret, quam alijs exhibita; quibus meritis præuijs, in peccato non fuit concepta, omni gratiâ & omni scientiâ fuit impleta, nullum donum creaturæ conueniens, fuit sibi denegatum.* Septimum est S. Marci Euangelistæ, hæc in laudem Virginis pronuntiantis. *Laudatissimam Virginem, omnes amplè laudastis, omnesq; procul dubiò à laude defecistis. Si enim omnes Angelorum*

exercitus in linguas conuerterentur, & mille annis loquerentur, quanta & qualis sit hæc Virgo quam laudamus, nunquam exprimere possent. Et idem iterum. *Si omnia grana arenæ, si omnia arborum & herbarum folia, si omnes guttæ maris; si omnes Stellæ cœli, si omnia Lilia, Rosæ, & alij flores, si omnia animalia, si omnes Angelorum exercitus, & quæcunq; alia excogitari possunt, conuerterentur in linguas, & mille annis loquerentur, quanta & qualis sis, nunquam exprimere potuissent.* Octauum est S. Lucæ Euangelistæ, hæc verba proferentis. *Hoc non te decebat Matrem DEI, Angelorum Reginam, & à peccato originali liberam; quià ergò illo peccato, gratiâ DEI, caruisti, æquum erat, vt in viri potestatem non transmittereris.* Tandem omnes Apostoli voce vnanimi, hæc ad Virginem gloriosam inducuntur locuti. *Surgat arca sanctificationis tuæ, mortem non merebatur, ab omni peccato immunis, iustum saltim est, vt caro illa quæ tua est, in aliam naturam non vertatur.* Testantur etiam alij permulti eximij scriptores, festum immaculati conceptus Virginei, ab ipsis Apostolis, in Ecclesijs Patriarchalibus, institutum fuisse. Et quidem S. Jacobum minorem, Ecclesiæ Ierosolymitanæ Præsulem, hoc ibi fecisse patet, tum ex Sacrâ Liturgiâ illius, tum ex antiquo Breuiario, vbi habetur, *Festum Conceptionis, iuxta vetustam & approbatam Ierosolymitanæ Ecclesiæ consuetudinem.* Hanc eandem festiuitatem institutam à Sancto Marco Euangelistâ, per omnes Syriæ & Alexandriæ Ecclesias, confirmat Calendarium Alexandrinum. Denique Virginem gloriosam absque peccato originali fuisse conceptam, & ita ab Apostolis prædicatam, patet ex illo peruetustissimo Hymno Marci Maximi Episcopi Cæsaraugustani, sub annum 601. viuentis, in quo hæc posuit verba. *Conceptionis hinc diem, Iacobus Hispanos docet, Et prædicat seu cæteri, Quacunq; labe liberam.* Quod etiam confirmat Lucius Dexter in fragmentis annorum CHRISTI, ad annum 300 dicens. *A Iacobi prædicatione, celebratur in Hispaniâ festum immaculatæ & illibatæ Conceptionis DEI genitricis Mariæ.* Sed vt pro hac materia concors omnium & synodalis sententia, præcipuè verò D. Petri Capitis Apostolorum, habeatur, recurramus ad testimonia Summorum Pontificum.

7. Itaque inter hos principem teneat locum, primus post CHRISTVM Pontifex S. Petrus Apostolus. Hic conuocato Concilio Apostolorum Ierosolimis, Anno salutis 44. sic de Virgine ex mente omnium, fatur *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta, in instanti suæ conceptionis, fuit ab originali peccato præseruata.* Ita refert Lezagna in Apol: pro Immaculatâ Concept. & Vellasco in defens: Tom: 1. Dist: 2. Cap: 2. Succedat huic D. Gregorius Magnus, qui in 1. Reg: Cap: 1. ait. *Mons sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem, supra omnes Angelorum choros, vsq; ad solium DEItatis, erexit.* Similitèr S. Leo Papa Epist: ad Pulcheriam Augustam, hæc de Virgine scribit. *Sacramentum reconciliationis nostræ, antè tempora æterna dispositum, nullæ implebant figuræ, quià nondum superuenerat Spiritus Sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbrarat illi, vt intra intemerata viscera, ædificante sibi Sapientiâ domum, Verbum caro fieret.* Similitèr Sixtus 4tus in suâ

Bullâ

Bullâ editâ Anno 1482. quæ incipit, *Graue nimis &c.* decernit, asserta illorum qui dicebant, Ecclesiam Romanam, de spirituali duntaxat conceptione & sanctificatione Virginis gloriosæ, Festum celebrare, esse falsa, erronea, & à veritate aliena; ibique vult festum huiusmodi, non tam de Conceptione spirituali quam de naturali, cum Octauâ celebrari. Idem in Bullâ alterâ, Anno 1483. editâ, quæ incipit, *Præexcelsa &c.* hortatur fideles ad gratias DEO reddendas, pro tam mirâ Virginis Conceptione. Deindè colentibus hoc mysterium, elargitur indulgentias. Hic etiam fecit erigi Capellam Romæ ad Basilicam SS. Apostolorum, in honorem Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ. Pari fauore prosecutus est sententiam nostram Jnnocentius Octauus, sub quo Ordo Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, initia sumpsit, in anno 1489. Huic deindè succedens Alexander sextus, Bullæ illi Sixti 4ti, *Graue nimis &c.* Constitutionem suam apposuit, & robur fecit. Idem plures Confraternitates in honorem immaculati conceptus virginei, instituit, subdens in suâ Bullâ, Animam Virginis in conceptione, illibatam fuisse. Tandem Iulius secundus confirmauit Regulam Monialium immaculatæ Conceptionis, in cuius Cap: 1. dicitur. *Genitricis DEI, immaculatam conceptionem venerantes &c.* Et ibidem habetur. *Pallium sit hyacintini coloris, propter mysticam significationem, quod scilicet gloriosæ Virginis anima, à creatione suâ, tota sancta fuit.* Et in Cap: 3. subditur. *Animam Beatæ Virginis, in primo conceptionis momento, insignitam fuisse gratiæ decoramento.* Et denique Cap: 4 committit idem Pontifex, easdem Moniales, regimini Fratrum Minorum, hanc ponens rationem; *Quià* (inquit) *prædicti Fratres, indefesso studio & vigilantiâ, perpetui extiterunt huius Virginei priuilegij, defensores.* Huic Pontifici successit Leo decimus, qui plura Templa sub titulo immaculatæ conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, extruxit. Idem Ordini S. Benedicti facultatem concessit, Festum immaculatæ conceptionis cum Octauâ solennitèr celebrari, etiam tempore interdicti, non aliter ac festum sacratissimi Corporis CHRISTI. Quod postea extendit ad omnes Ecclesias Hispaniæ, addendo indulgentias deferentibus Jcones Immaculatè conceptæ Virginis. Subsecutus est hunc Adrianus sextus, qui Bullâ editâ anno 1522. quæ incipit, *Romanus Pontifex &c.* Regiam Confraternitatem Toletanam, in honorem immaculatæ huius conceptionis institutam, approbauit. Cuius quidem Confraternitatis, primus Confrater extitit, Carolus quintus Imperator. Idem postea instituens Festum Sanctæ Annæ, in suâ Constitutione, hæc ponit verba. *Iubemus celebrari Festum Sanctæ Annæ, vt memoria habeatur purissimæ conceptionis eius filiæ; in cuius ventre fuit anima Mariæ creata, in maiori gratiâ quam Adami vel Euæ, quam Angeli etiam aut Archangeli, Cherubim aut Seraphim, qui cum naturâ gratiam acceperunt; hæc enim ad maius præ illis ministerium, eligebatur & creabatur.* Successit huic Clemens septimus, qui officium Immaculatæ Conceptionis, à Francisco Quinnonio Cardinali compositum, approbauit, & Priuilegia Sanctimonialium huius tituli, confirmauit. Postea suc-

cessit Paulus tertius, qui eadem Priuilegia roborauit, & Concilium Tridentinum indixit, sub Iulio tertio & Pio quarto celebratum. Is quali fauore & declaratione, auxit piam nostram sententiam, mox patebit. Similitèr fauit sententiæ huic Paulus quintus, qui vetuit opinionem nostræ contrariam, publicè doceri aut prædicari. Quam deindè prohibitionem Gregorius 15. ad priuata etiam colloquia extendit; Mandans vltra hæc, vt in Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac Diuino Officio, siuè publicè siuè priuatim celebrandis, non alio quam Conceptionis nomine, vti quicunque debeat. Non minori zelo totum hoc promouit & innouauit, piæ memoriæ prædecessor moderni Clementis noni Pontificis, nunc felicitèr & vtinam ad multos annos Ecclesiam gubernantis, Alexander septimus, qui in suâ Bullâ anno 1661. die 8. Septembris, editâ, quæ incipit, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum &c.* hæc genuina ponit verba. *Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia, de intemeratæ semperq́ Virginis Mariæ Conceptione, festum solemniter celebrat, & speciale ac proprium super hoc officium olim ordinauit, iuxtà piam, deuotam, & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. prædecessore nostro tunc emanauit; volentesq́ laudabili huic pietati, & deuotioni, & festo, ac cultui secundùm illam exhibito in Ecclesiâ Romanâ, post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo, fauere, nec non tueri pietatem, & deuotionem hanc, colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, præueniente scilicet Spiritus Sancti gratiâ, à peccato originali præseruatam, cupientesq́ in Christi Grege vnitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & iurgijs, amotisque scandalis, conseruare, ad præfatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, eiusque Regnorum, oblatam Nobis instantiam ac preces, Constitutiones, & Decreta, à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita, in fauorem sententiæ asserentis, animam Beatæ Mariæ Virginis, in sui creatione, & in corpus infusione, Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præseruatam fuisse, nec non, & in fauorem festi & cultus, Conceptioni eiusdem Virginis Deiparæ, secundum piam istam sententiam, vt præfertur, exhibiti, innouamus, & sub censuris, & pænis in eisdem Constitutionibus contentis, obseruari mandamus. Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seù Decreta, ità pergent interpretari, vt fauorem per illas dictæ sententiæ, & festo, seù cultui, secundùm illam exhibito, frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seù cultum, in disputationem reuocare, aut contra ea, quoquo modo, directè, vel indirectè, aut sub quouis prætextu, etiam definibilitatis eius examinandæ, siue Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, siuè Doctores, glossandi, vel interpretandi, deniq́ alio quouis prætextu, seù occasione, scripto, seù voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quouis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pænas, & censuras, in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, & per præsentes subijcimus, etiam concionandi, publicè legendi, seù docendi, et interpretandi facultate, ac voce actiuâ, et passiuâ, in quibuscunq́ electionibus, eo ipso, absq́ aliâ declaratione, priuatos esse volumus, nec non*
ad

ad concionandum, publicè legendum, docendum, et interpretandum, perpetuæ inhabilitatis pœnas, ipso facto incurrere, absq; alia declaratione, à quibus pœnis nonnisi à Nobis ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus, absolui, aut super ijs dispensari poßint: necnon eosdem alijs pænis nostro et eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis, pariter subiacere volumus, prout subijcimus, per præsentes, innouantes Pauli V. Gregorij XV. superius memoratas Constitutiones, seù Decreta. Ac libros in quibus præfata sententia, festum, seù cultus, secundùm illam in dubium reuocatur, aut contra ea quomodocunq;, vt suprà, aliquid scribitur, aut legitur, seù locutiones, conciones, tractatus, et disputationes, contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus, sub pænis, et censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, et ipso facto absq; aliâ declaratione, pro expreßè prohibitis haberi volumus, et mandamus. Ex quibus omnibus patet grauitas piæ nostræ sententiæ. Sed iam procedamus ad Concilia.

8. Horum primum, nimirùm Ierosolymitanum sub S. Petro Apostolo celebratum, quid senserit de Immaculatâ Virginis Conceptione, patuit modo numero 7. Innixum deindè menti illius Concilium Basileæ, sic puritatem virginei conceptus Seß: 36. encomiat. *Doctrinam illam, disserentem, Virginem DEI genitricem Mariam, præueniente & operante Diuini numinis gratiâ singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpâ, Sanctamq; & immaculatam, tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam, definimus & declaramus.* Similitèr Concilium primum Lateranensè Consult: 5. Can: 3: ait. *Si quis, secundum Sanctos Patres, non confitetur, proprie & secundum veritatem, DEI genitricem Sanctam semperq; Virginem & immaculatam Mariam, quæ ipsum Verbum DEVM specialiter & veraciter, qui à DEO Patre, antè omnia sæcula natus est, in vltimis sæculorum, absq; semine concepisse ex Spiritu Sancto, & incorruptibilitèr eum genuisse, indissolubili permanente & post partum eiusdem virginitate. Condemnatus sit.* Vbi Concilium apertè virginem dicit esse *Immaculatam*. Et nouissimè Concilium Tridentinum Seß: 5. in fine Decretorum de peccato Originali, hæc apponit verba. *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato Originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam, DEI genitricem, sed obseruandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ quarti, sub pænis in eis Constitutionibus contentis, quas secundò innouat.* Quæ quidem declaratio Concilij, ita fauet nostro proposito, vt illi soli innixi, illud intrepidè euulgemus. Cùm enim in corpore ipso Decreti, seriò definiuerit illa Synodus, peccatum originale, per viam propagationis, in omnes Adæ posteros transfusum esse, eumque acceptam sanctitatem & iustitiam, nedum sibi soli sed etiam omnibus nobis perdidisse, iàm excipiens ab hoc Virginem, sentit eam ab Adamo nequaquam dependisse, ita quod Adam eam nec respiciat vt filiam, nec ipsa Adamum

vt Patrem. Quarè siuè ille peccauerit siuè non, non erat necesse Virginem ab eò omninò dependere, tam in esse naturæ, quam in esse gratiæ vel culpæ; & hoc maximè verum esse debet in nostrâ sententiâ, quâ tenuimus, Adamum nunquam futurum fuisse Patrem humani generis, ex intentione primæuâ DEI, si non peccasset. Hanc ego Concilij mentem, haurio ex Cornelio Musso Episcopo Bitontino Ordinis Nostri Concionatore egregio, in Concilio tunc præsente: cuius ibi tantum valuit authoritas, vt teste Posseuino in Apparatu Sacro, commissa illi fuerit à totâ Synodo, Decretorum Concilij compilatio. Hic igitùr tantæ authoritatis vir, in Caput 5. Epistolæ ad Romanos, volens immunitatem Virginis, nedum à peccato Originali, sed etiam à debito illius, asserere, audactèr affirmat, quod quantum ad istam de quâ ibi loquitur Concilium, transfusionem culpæ, non fuerit Virgo Adæ filia. Hæc pro Virgine immaculatâ, agunt Concilia.

9. Confirmat cœlum terrena consilia, dum per reuelationes reddit indubios assertores conceptus immaculati, suæ & incolarum suorum Reginæ. Nam B. Birgitta Lib: 1. suarum Reuelationum, & Lib: 6. Cap: 9. refert, Purissimam Virginem, ità se allocutam fuisse. *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato originali.* Et Lib: 6. Cap: 45. & 55. hæc ex ore eiusdem Virginis secretè accepisse, testatur. *Scito quod conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit DEVS, quod sicut antè Legem scriptam præcessit Lex naturalis, & electio voluntaria boni & mali, & postea veniret Lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus; sic placuit DEO, quod amici sui, piè dubitarent de conceptione meâ, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarescceret, tempore ordinato.* Quantæ autem authoritatis sint istæ Reuelationes, vel ex indè colligendum est, quod à Gregorio nono, præmisso examine trium Cardinalium & quatuor Doctorum, approbatæ sunt. Et iterum ab Vrbano sexto, præmisso examine Sex Cardinalium & Septem Doctorum Theologorum. Et denique à Bonifacio nono, confirmatæ, ab vniuersali Ecclesia acceptantur. Similitèr testatur Beata Melchtildis, se reuelatione, hæc à Virgine gloriosâ accepisse. *Reuoca mihi in memoriam, gaudium illud quod ego experior, siquidem me DEVS dignissimè super omnes Angelos omnemq; aliam creaturam, honorauit, dum ab illâ horâ, quâ Animam meam corpori infudit, me Spiritu Sancto repleuit, qui me à peccato originali præseruando, ità totam mundam reddidit, vt singulari sanctificatione me in suum sacrarium elegerit, effeceritq; vt sicut Rosa absq; spinâ, et sicut lucidissima Stella, mundo illuxerim.* Similitèr Sancta Elisabeth ait, se per reuelationem didicisse, Immaculatam fuisse Conceptionem Beatæ Virginis Mariæ. Pari pietate testatur miræ sanctitatis vir Elsinus Abbas Rhemensis, se hoc idem diuinitus resciuisse. Dum enim in præsentissimo naufragij periculo existeret, & pro se ac nautis, Sancti Nicolai opem inuocaret, ait se aduertisse Sanctum Nicolaum, mirâ claritate præfulgentem, & referentem, sibi à Beatâ Virgine commissum esse, vt periclitantibus portum, naufragantibus opem, inuocantibus subsidium, desupèr asportaret, hac solum-

modô oblatâ conditione, vt in posterum, Festum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, singulis annis, die Octauâ Decembris, celebrarent. Adsunt plura huiusmodi testimonia, quæ breuitatis causâ omitto.

10. Nec defuere miracula, quibus DEVS tantum mysterium firmare voluit, prout & nunc sæpissimè, etiam damno alieno, contingunt. Nam vltra illud hactenùs perseuerans, quod anno 1300. Lutetiæ Parisiorum, Statua Marmorea Beatæ Virginis, caput inclinauerat venerabili seruo DEI Ioanni Duns Scoto Doctori Subtili, tunc ad certamen pro Immaculatâ Conceptione eius descensuro; accidit in Hispaniâ res magnâ admiratione digna. Mandauerat Concilium Toletanum, Sexaginta sex Episcoporum, Missale antiquum à S. Jsidoro reformari. Operi ille accinctus, reformauit, inserens Officium Immaculatæ Conceptionis, sub titulo, Officium proprium Mundæ Conceptionis Mariæ. Mox tentatum à quibusdam, vt amoto illo Missali S. Isidori, aliud Gregorij Septimi, substitueretur. Sed prædominante affectu Cleri populique erga insertum Officium Immaculatæ Conceptionis, tumultus excitari cæpit, ad quem sopiendum, consultum erat, vt vtrumque Missale conijceretur in ignem, quatenus DEVS, illud conseruando quod obseruari placeret, aliud flammæ committeret. Factum est. Et ecce cunctis spectantibus, Missale Sancti Jsidori, illæsum penitus & intactum, supra omnes flammas incendij prosilijt, illud verò aliud, in fauillam subitò redactum est. Ita refert Baronius ad annum 663. Similitèr accidit nostro Alexandro Alensi Doctori Irrefregabili, alioquin vitæ sanctimoniâ & doctrinæ excellentiâ, omnibus suis coætaneis adeò præcellenti, vt Fons vitæ & Doctor Doctorum sit vocitatus. Is dùm in Festo Immaculatæ Conceptionis, cæleste hoc Virginis priuilegium impugnare tentaret, mox tantis doloribus inuaditur, vt semimortuus fuerit de Cathedrâ extractus, sed paulò post sui compos factus, voto emisso scribendi Librum pro immunitate Mariæ, ac Palinodiam cantandi contra ea quæ 3. Sent: Libro in oppositum dictauerat, protinus conualuit. Præterea alia sexcenta, quæ tum ex probatis authoribus, tum ex viuâ experientiâ, præsto adsunt. Non solum etenim inter politiores status, sed inter rudem quoque plebeculam, permulti palam recognoscunt, se vel in semetipsis sensisse, vel in vicinis aduertisse, quemlibet ab inuocatâ Virginis Immaculatè Conceptæ ope, Oculos, Pedes, Manus, ac nonnunquam integri corporis sanitatem, miraculosè obtinuisse. E contrà verò, ipsi oppositæ sententiæ fautores, fidem dare sincerè deberent, se occasione actualis contrarietatis, non solùm bonorum corporis, sed etiam fortunæ, grauem toties subijsse iacturam; cum non longè absint, qui huiusmodi assertam materiam, tacitè ventilantes, & sub sigillis huc illucque vagari facientes, vt secretè quidpiam oppositi intra zelosissimos pro parte piâ animos, inuehere possent, ex modicâ vani conatus scintillâ, ingentem flammam intra proprios parietes, facilius tamen extinguibilem, forte in præcautionem maioris & difficilioris, si faciliores & acriores in agendo fuerint, sub illud ipsum tempus, quo talia

tentare præsumebant, senserunt. Sed sinamus miracula, quæ iam tot assiduitatibus vilescere videntur. Eamus ad rationes.

II. DEVS gloriosus, cùm sit agens Omnipotens & optimum, Virginem gloriosam à peccato originali præseruare, & potuit & voluit, & talis præseruatio Virginem decuit, Ergò rationabilitèr sustineri potest, talem præseruationem eius de facto contigisse. Antecedens, & maximè quoad posse Diuinum, patet. Nulla enim videtur implicantia, ob quam DEVS non potuerit ita præuidisse Mariam, vt nullo modo fuisset filia naturalis Adæ, nimirùm creando illam, vel sinè Patre & Matre, immediatè ex terrâ virgine, sicut creauerat Adamum, vel excipiendo illam in suâ Diuinâ intentione à Lege generali mortis & peccati, sicut excepit Noë à diluuio vniuersali; vel infundendo ei Gratiam Sanctificantem, in instanti animationis, ità vt simul fuerit grata DEO ac filia naturalis Adæ, vt communis docet sententia, vel deniqúe faciendo eam concipi ex solâ Matre cooperante Spiritu Sancto, sinè commixtione Patris, sicut fecit incarnari CHRISTVM, vt ego intendo probare; Ergò cùm hoc totum potuerit facere DEVS, non video quarè non fecerit aliquod circà Conceptionem Virginis. Quantùm etiam ad velle Diuinum, patet Antecedens. Nam DEVS, ex eò quòd est optimum viuens & sempiternum, illud sempèr intendit & vult, tam in naturalibus quam in moralibus, quod melius, sanctius, & perfectius est. Et hoc fatetur præ alijs Doctor Angelicus I. par: Quæst: 41. vbi comparando quodammodo Naturam cùm DEO, dicit. *Natura fecit, quòd melius est, multò magis DEVS.* Et D. August: Lib: de Liber: arb: Cap: 5. ait. *Quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, hoc scias fecisse DEVM, tanquam bonorum omnium conditorem.* Et idem Lib: contra aduers: Legis Cap: 14. *Vsque adeò desipiendum est, vt homo videat, melius fieri debuisse, et DEVM credat facere noluisse.* Et S. Cyril: Alexan: Lib: I. Thesaur: Cap: I. ait. *Omnia Pater potest, et meliora semper vult* Sed multò melius, sanctius, & perfectius est, Virginem gloriosam concipi & nasci vt filiam gratiæ, gloriæ, & Diuinæ prærogatiuæ quam vt filiam iræ, vindictæ, pænæ, & gehennæ; melius enim est, concipi vt filiam DEI, ex semine gratiæ, quam vt filiam Diaboli, ex semine peccati, Ergò sicut hoc facere DEVS vt Omnipotens, potuit, ità vt optimus, voluit. Quantum deniqúe ad decentiam facti, probatur. Tenent Legistæ, quod decet vt Mater gaudeat priuilegio filij, & per oppositum, dedecet filium purissimum concipi & habitare in corpore aliquandò subdito peccatis; Sed DEVS Pater, vnicum filium suum, quem æqualem sibi ab æterno genuit, & tanquam seipsum dilexit, ità Beatæ Virgini dare disponebat, vt naturalitèr esset vnus idemqúe communis DEI Patris & Virginis Matris filius, Ergò quæcunqúe priuilegia puritatis habuit DEI filius, ijsdem decuit gaudere Matrem eius. Tum quia Virgo Maria debuit supra omnes excellere, ex priuilegio Moternitatis DEI. Juxtà illud Lucæ I. *Benedicta tu inter mulieres;* seu vt explicat S. Hieronymus; *Plus benedicta quam omnes mulieres.*

Sed

Sed Euæ fuit concreata Iustitia Originalis, Ergò multò magis decuit eam, vel saltim gratiam æquiualentem, concreari Beatæ Virgini, alias non fuisset idonea Mater DEI, ratione cuius prærogatiuæ, debebat omnes alias pr æcellere, quià debebat concipere speciosum formâ præ filijs hominum; vt dicitur Psal: 44. & innocentem, impollutum, ac segregatum à peccatoribus; vt dicitur ad Hebr: 7. Partus autem, ex Viro robur, ex Fæminâ verò, formam venustatemque accipit; vt volunt Aristotelici; Ergò qualis venustas competebat CHRISTO, talem poscebat Maria Mater eius, Sed datâ labe peccati qualiscunque in Virgine, iam CHRISTVS secundum carnem, non habuisset venustatem à Matre, imò dehonestaretur ab eâ, consequentèr caro eius non fuisset similis carni maternæ, cùm peccatum originale, sit habitus dissimilitudinis ad DEVM, homini ingenitus; Iuxta D. Dyonisium Cap: 2. de Eccl: Hierarch: Ergò &c. Tum quia Virgo gloriosa debuit esse idonea habitatio DEI: Non enim hominibus præparabatur, sed DEO; idque loquendo non de habitatione manu factâ, sed de spirituali, cuismodi est quæuis anima sancta. Juxtà illud ad Hebr: 3. *CHRISTVS tanquam filius in domo suâ, quæ domus sumus nos.* Sed datâ quacunq; notâ peccati in Virgine, iam non fuisset idonea habitatio DEI in eâ; Et tamen certum est, quod habitauit in illâ duplici specialiori modo præ cæteris sanctis, nam in cæteris habitauit per vnionem gratiæ partitæ ad certam mensuram tantum; vt dicitur ad Ephes: 4. idque spiritualitèr solummodo, in Virgine autem habitauit per vnionem gratiæ plenæ, ad vincendum omni ex parte peccatum, & per Incarnationem, Ergò debuit sibi idoneum facere tabernaculum suum, per specialiorem sanctitatem; alias magis appretiaret, tabernaculum manu factum, quod prohibuit pollutis manibus, quamuis iàm per pœnitentiam ablutis, ædificari; vt habetur primi Paralip: Cap: 28. Tum quia D. Anselmus Lib: Cùr DEVS homo Cap: 6. ait. *An inscia aut impotens fuit DEI sapientia & virtus, vt non sib potuerit mundum præparare habitaculum?* Sed hæc ignorantia aut impotentia, non est tenenda de DEO, vt iàm deduximus suprà, & constat ex secundæ ad Corinth: 9. vbi dicitur; *Potens est autem DEVS, omnem gratiam abundare facere in vobis.* Ergò &c. Tum quia Beata Virgo de facto excellit maioritate gloriæ, omnes Angelorum choros. Juxtà illud Ecclesiæ Vniuersalis in Festo assumptionis eius, decantantis. *Exaltata est Sancta DEI genitrix, super choros Angelorum &c.* Excellit etiam omnes sanctos. Vt constat ex eius Litanijs Lauretanis à Clemento Octauo approbatis, vbi dicitur, *Regina Sanctorum omnium.* Sed nullus sanctus excellit alium in gradibus gloriæ in Patriâ, nisi plures meruerit gradus gratiæ in viâ. Vt vult Concilium Trident: Sess: 6. Can: 32. Iàm autem Angeli, plures haberent gradus gratiæ, quam Virgo Beata, ex quo nullo vnquam peccato actuali vel originali inquinati fuere, ipsa autem aliquandò fuisset infecta peccato originali, Ergò &c. Tum quia D. Thomas 3. par: Quæst: 17 A. 4. probat, in Virgine nullum fuisse peccatum actuale veniale vel mortale, ex eò quod

Belial nullam habuit conuentionem cum CHRISTO in Beatâ Virgine. Iuxtà illud 2. ad Corint: 6. *Quæ enim participatio Iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas Luci ad tenebras, aut quæ conuentio CHRISTI ad Belial?* Et etiam ex eo, quod nullæ tenebræ actualis iniquitatis, participarunt in Beatâ Virgine cum Iustitiâ & luce CHRISTI: cùm inter Lucem & tenebras, Vespere & mane, ab initio creationis mundi, semper fuerit diuisio. Sed per eadem media, multò fortius probari potest, in Virgine gloriosâ, nunquam fuisse peccatum originale. Quià inter CHRISTVM & Matrem eius, fuit coniunctio sanguinis in primo gradu; fuit etiam singularis coniunctio DEI cum eius animâ, per vnionem gratiæ; fuit denique specialis coniunctio Diuinitatis cum totâ Virgine, propter Incarnationem Verbi & conceptionem ex Spiritu Sancto, Ergò sicut in CHRISTO ità in Virgine, nullum penitus fuit peccatum. Consequentia probatur. Participatio enim Animæ cum iniquitate, societas eius ad tenebras, conuentio ad Belial, primariò & principalitèr fit, propter peccatum Originale. Vt patet ex illo Gen: 3. *Serpens decepit me.* Et sap: 2. *Inuidiâ Diaboli, Mors intrauit in orbem terrarum.* Ergò si mors intrauit per peccatum originale, peccatum autem tale, per seductionem Diaboli, iàm conuentio cum Belial, participatio cum iniquitate, societas cum tenebris, maximè fit propter peccatum originale, Sed CHRISTVS nunquam habuit conuentionem cum Belial, vt docet S. Paulus, Ergò in nullo habitaculo CHRISTI fuit peccatum originale, consequentèr nec in Virgine. Sed diceret aliquis. Verum est quod asseritur, quia tunc quando Verbum caro factum est, iàm nullum erat in Virgine peccatum, cum longè antè fuerit sanctificata. Ast hoc nihil valet. Si enim ad hoc, vt negemus conuentionem CHRISTI cum Belial, nullum vnquam admittimus in Virgine peccatum actuale, propter quod minor est conuentio, multò fortius nullum vnquam in eâ debemus admittere peccatum originale, propter quod maior est conuentio, alias si hoc non valeret de peccato originali, per idem non valeret de peccato actuali. Tum quia omne simile generat sibi simile, actione vniuocâ. Et sic de Adamo notat Lyranus super Sap: 7. quod si mansisset in iustitiâ originali, tunc generasset filios similes sibi, iustos, potentes non mori &c. Sed caro & Anima CHRISTI, nullam vnquam habuit inquinationem peccati originalis & actualis. Ergò signum est, quod & Mariæ Matris eius caro & anima, nullam habuit vnquam inquinationem peccati originalis & actualis, nisi quis voluerit dicere, illam fuisse Matrem CHRISTI æquiuocam, quod est contra fidem. Tum quia Adam fuit figura CHRISTI venturi. Secundum illud ad Corint: 15. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem.* Et hoc certissimum est. Sicut enim Adam, est principium hominum in esse naturæ, ita CHRISTVS, est principium hominum in esse gratiæ: Sicut Adam, Diuinâ virtute est formatus de terrâ, ita CHRISTVS, Spiritus Sancti virtute est formatus ex Virgine: Sicut de latere Adæ formata est Eua

ſponſa ſua, ita de latere CHRISTI formata eſt Eccleſia ſponſa ipſius: Sicut denique Adam formatus eſt de terrâ mundâ & nunquam anteâ maledictâ propter aliquod peccatum, ità CHRISTVS formatus eſt de puriſſimis ſanguinibus Virginis Immaculatæ, & nunquam maledictæ propter aliquod peccatum, Ergò neceſſum eſt Virginem eximere à peccato originali, ad hoc vt conceptio Chriſti ſit benè figurata in Adam. Tum denique quia Eccleſia, quæ eſt firmamentum & columna veritatis, nunquam celebrat diem conceptionis aut natiuitatis vel mortis, alicuius contaminati peccato originali vel actuali. Juxtà illud D. Aug: Ser. 113. vbi reddens rationem quarè Eccleſia non celebrat diem natalis Sancti Cypriani, ſicut celebrat diem obitus eius, dicit. *Illo enim die, traxit originale peccatum, iſta autem die, vicit omne peccatum.* Et idem ſer: 95. de Sancto Stephano, diſcurrens quarè Eccleſia colit diem natalis & paſſionis Chriſti, Martyrum autem non niſi diem paſſionis? Reſpondet. *Martyres ad mala certamina peruenerunt, finientes omne peccatum.* Et D. Bernardus Epiſt: 173 ad Lugdunenſes, de natali ipſius Virginis ſic ſcribit. *Fuit procul dubio Mater Domini antè ſancta quam nata, nec fallitur omninò Sancta Mater Eccleſia, ſanctum reputans ipſius natiuitatis diem, & omni anno cum exultatione vniuerſæ terræ, votiuâ celeb i.ate ſuſcipiens.* Et hanc rationem ita certam iudicauit Doctor Angelicus, v t 3. parte Q. 27. A 2. hoc eodem medio, id ipſum probauerit. Tunc & ego ſic pro Immaculatâ Virginis Conceptione. Eccleſia vniuerſalis, omni anno, cum exultatione vniuerſæ terræ, colit ſolennitèr diem Conceptionis Mariæ, Sed non coleret ipſum, ſi non teneret ſanctam & Immaculatam Conceptionem Virginis fuiſſe, ideò enim colit diem natiuitatis eius, quia reputat ſanctam fuiſſe, vt iam probauimus, & nobis cum probat adhuc S. Ildephonſus Lib: de virginit: & parturit: dicens. *Virgo niſi in vtero ſanctificata eſſet, minime eius natiuitas colenda eſſet, nunc autem quia ex authoritate totius Eccleſiæ veneratur, conſtat eam ab omni originali peccato, immunem fuiſſe.* Ergò ſicut natiuitas Mariæ, ità Conceptio eius, ſancta, pura, munda, & immaculata, ſinè quouis errore vel deceptione, ab Eccleſiâ, columnâ veritatis, colitur, & à nobis non irrationabilitèr prædicatur. Nec valet dicere; Eccleſiam celebrare ſpiritualem duntaxat Conceptionem Virginis. Non valet inquam. Quia hoc reprobatum eſt à Sixto 4to in Bullâ *Graue nimis &c.* & ab alijs Pontificibus, vt deduximus ſuprà. Sunt & aliæ complures noſtrorum ſcotiſtarum rationes, euidentiſſimè & efficaciſſimè ſuum propoſitum probantes, quas recitare ſuperfluum videtur. Tranſeundum igitùr ad ſententias Patrum & Doctorum Scholaſticorum. Proindè.

12. Primus antè omnes propalet nobis ſuam ſententiam Doctor Angelicus, qui inſons & inuitus in oppoſitum trahitur à nonnullis. Hic itaque 3. p. q. 27. A. 4. ità loquitur reſolutoriè & didaſcalicè, de Virgine Matre, electâ & prædefinitâ vt eſt Mater CHRISTI. *Reſpondeo. Dicendum, quod illos quos DEVS ad aliquid eligit, ita præparat & diſponit, vt ad*

id ad quod eliguntur, inueniantur idonei, secundùm illud 2. ad Cor: 3. Idoneos nos fecit ministros noui testamenti; B. autem VIRGO fuit electa diuinitus, vt esset Mater DEI, & ideò non est dubitandum, quòd DEVS per suam gratiam, eam ad hoc idoneam reddiderit, secundùm quod Angelus ad eam dicit; Inuenisti gratiam apud DEVM; Ecce concipies, &c. Non autem esset idonea mater, si peccasset aliquandò; tùm quià honor parentum redundat in prolem; secundùm illud Prouerb: 17. Gloria filiorum patres eorum. Vndè & per oppositum, ignominia Matris, ad Filium redundasset. Tum etiam, quià singularem affinitatem habuit ad CHRISTVM, qui ab eâ carnem accepit: dicitur autem 2. ad Cor: 6. Quæ conuentio CHRISTI ad Belial? Tùm etiam, quià singulariter DEI Filius, qui est DEI sapientia, in ipsâ habitauit, non solùm in animâ, sed etiam in vtero; dicitur autem Sap: 1. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Quæ sanè resolutoria doctrina, cùm loquatur de Virgine vt electâ ab æterno diuinitus, vt esset mater DEI, à fortiori remouet à virgine peccatum originale, quam actuale veniale; Licet D. Thomas expresè solùm inferat negationem actualis. Vndè ansa præbita est multorum non leuis coniecturæ, hîc textum D. Thomæ esse corruptum: Si enim secundùm D. Thomam hîc, Maria veniali peccato inquinata, iam non idonea esset Mater DEI, Ergò inquinata originali, dedeformiori quàm omnia actualia venialia, minùs idonea esset.

13. Sed alij præsertim doctissimi Theologi Societatis IESV, hunc textum D. Thomæ in rem nostram exposuerunt. Ideò ego supersedeo, contentus ipso fonte Angelicæ doctrinæ, quæ passim est pro Virgine, non contra. Vndè in 1. dist: 44 Q. 1. A. 3. ad tertium; & ibidem A. 1. cùm hanc quæstionem proposuisset. *An DEVS possit aliquid melius facere, quam fecit?* Quod etiam proponit primâ parte Quæst: 25. A. 6. Occasione dictorum ibi, quærit in particulari de humanitate CHRISTI, propositâ Quæstione tertiâ sub titulo tali; *An DEVS potuerit facere humanitatem CHRISTI meliorem quàm sit de facto?* & ex vicinitate materiæ, in tertio argumento, sic de Virgine Matre discurrit. *Videtur quòd & Beatissimâ Virgine, nihil melius possit facere DEVS, quià hæc secundùm D. Anselmum, debuit eâ puritate nitere, quâ sub DEO maior non potest intelligi.* Quod quidem roborans in responsione ad idem Argumentum, resolutoriè ait. *Dicendum, quod puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid inueniri creatum, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nullâ contagione peccati inquinatum sit; & talis fuit puritas Beatissimæ VIRGINIS, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.*

14. Et in eodem Imo Lib: dist: 17. q. 2. A. 4. cùm sibi proposuisset difficultatem, *An augmentum charitatis habeat aliquem terminum?* & negasset; vltimò hoc obijcit argumentum. *Beata Virgo eâ puritate nituit, quâ sub DEO maior nequit intelligi; Ergò neq; charitas eius augeri potuit.* Respondet, & concesso Antecedente, negat Consequentiam. *Quia* (inquit) *in BeatâVirgine, fuit depuratio ab omni peccato, ideò peruenit ad summum puritatis sub DEO, in quo non est aliqua potentiâ deficiendi &c.* Idem planè habet in secundo scripto Lib: 1.

Dist:

Dist: 44. Q. vnicâ A. 2. vbi itá argumentatur. *Quo aliquid est purius, eo melius, Sed iuxtà Sanctum Anselmum, decuit vt Beata Virgo summâ sub DEO puritate niteret; Ergò DEVS non potest facere eâ aliquid melius.* Respondet. *Ad secundum dicitur. Quod purius dicitur aliquid, per recessum à termino, melius per accessum ad terminum. Illud ergò quod omninò recedit ab impuritate culpæ, est ità purum, quod nihil eo potest esse purius; non tamen sequitur, quod eo nihil possit esse melius &c.* Idem in Psal: 14. ait. *In CHRISTO & Mariâ, nulla omninò macula fuit.* Id ipsum multis alijs in locis Sanctus Doctor sensit, vt clarè deducit ex mente ipsius, zelosissimus pro puritate Marianâ R. P. Nicolaus Cichonius Societatis JESV Theologus, in suo Libello primùm Posnaniæ, deindè Viennæ Austriæ, euulgato; Vbi etiam subdit, nullibi Sanctum Doctorem disertè docuisse, quod Beata Virgo non fuerit præseruata à labe originali, per gratiam æquiualentem Justitiæ Originali, in primo instanti animationis ipsi infusam. Et prouocat ibi ad monstranda huiusmodi loca, in omnibus scriptis Doctoris Angelici, si haberi possent, quæ tamen hactenùs non sunt monstrata. Sed iam loquatur pro se ipse Angelicus Magister. Hic pientissimo Faustino Episcopo Paduensi, euoluenti tertiam partem suæ Summæ, visibilitèr apparens, his eum allocutus est verbis. *Scias Domine Episcope, quod quandò talem opinionem posui, solum habui respectum ad Diuinum statutum, quo Beata Virgo, peccatum originale contrahere debuerat, nisi per filium suum fuisset præseruata; Sed DEI filius, Matrem suam ab originali maculâ, reseruauit.* Ità testantur accidisse Cardinalis Baronius, Cardinalis Turrecremata, Joannes à Fonte, Pelbartus, & alij. Hoc etiam cum suo Magistro sensit Eminentissimus Caietanus, dum tertiâ p. Q. 21. A. 2. hæc genuina profert verba. *Si tenetur, Beatam Virginem non ex vi conceptionis, sed ex gratiâ singularißimâ, in ipso instanti infusionis animæ, præseruatam ab originali peccato, quod tunc incurrisset, nisi illa gratia adfuisset, nihil contra fidem tenetur, sed specialis modus redimendi ac saluandi à peccato originali, CHRISTO attribuitur, respectu suæ Matris.* Subscribunt tam piæ sententiæ multi alij Doctores Scholastici; vti D. Bonauentura Doctor Seraphicus, qui Opusculo contempl: antè finem Tomi sexti, dicit. *Mariæ fuisse mirabilem conceptionem absq; inquinatione.* Et Ser: 2. de Assumpt: ait. *Solus filius Virginis fuit ab originali culpâ immunis, & ipsa Mater eius Virgo.* Alexander etiam Alensis Lib: 5. de Jmmacul: Concept: Cap: 4. dicit. *Maria Domina mea, tota pulchra es & formosa, & macula originalis aut actualis peccati, in te nunquam fuit.* Et alij sexcenti.

14. Quod autem videantur isti Doctores in contrariam propendere sententiam, hoc ex duplici ratione processit. Primò, quia longè in alio sensu hæc materia ab eis trutinabatur, nimirùm vel per respectum concubitus matrimonialis, inquirendo scilicet, An ex vi ipsius concubitus Parentum Virginis, debebat formari corpus eius naturalitèr expers peccati & maculæ, omninò debitæ pro illo statu pœnali, singulis per viam propagationis descendentibus ab Adam? Vel per respectum Filij, ne videlicet vndequaq;

ei assimiletur: vel per alios respectus. Vti hoc clarissimè videre est in multis locis ipsius D. Thomæ. Et præcipuè in secundo scripto, Lib: 2. Dist: 31. Quæst: Vnicâ Art: 4. vbi dicit. *Non potest contingere, quod aliquis actu naturæ ex alio propagetur, sine originali peccato, nisi ponatur natura in generante totaliter esse purgata. Et hoc erit in resurrectione; & ideò ante resurrectionem communem, nullus qui per actum naturæ generatur, potest concipi sine peccato originali.* Et in secundo Dist: 32. Q. 1. A. 2. ait. *Si baptisatus concupiscentiam fomitis non haberet, non generaret filios in peccato originali.* Id ipsum præfert multis alijs in locis. Ex quibus patet, longè in alio sensu illum de peccato originali locutum fuisse, ab eo in quo nos de peccato originali Virginis Immaculatæ disputamus. Pari modo de alijs Doctoribus illius æui, sentiendum est.

15. Secundò videntur propendere aliqui Doctores, imò & SS. Patres, in contrariam immunitati Marianæ sententiam, ex motiuo erroris tollentis penitus peccatum originale, non ex se. Quarè ad intelligenda loca illorum, seruanda est Regula à D. Bonauenturà in secundo Dist: 32. Art: 3. Quæst: 1. & à D. Thomâ, Qu: 5. de malo Art: 2: ad quædam loca S. Augustini. & à Doctore Subtili in secundò Dist: 33. Quæst: vnicâ, proposita. *Quod quandò Sancti Patres inuehuntur in suis Scriptis contra certam hæresim, vel determinatum aliquem hostem, tunc plus dicunt, & minus volunt intelligi.* Et hoc fatetur ipse D. Augustinus Lib: 1. Retract: Cap: 9. dum ait. *Ipse multa in his dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat.* Quià verò pro illo æuo, quo SS. Parres & Doctores aliqui Scholastici, videntur asserere Virginem Beatam obnoxiam fuisse peccato originali, maxima controuersia erat in Ecclesiâ DEI cum Pelagianis, absolute negantibus peccatum originale in paruulis antè baptismum, ideò ipsi volentes conuincere talem hæresim, neminem à peccato originali excipiebant, nam hoc disputationis illius causa poscebat. Qualitèr autem de immunitate virgineâ ex mente propriâ omnes planè sentiebant, videamus. Et primò.

16. S. Augustinus Lib: de naturâ & Gratiâ, quem contra dictos Pelagianos conscripserat, Cap: 36. ait. *Exceptâ Virgine Mariâ, de quâ, cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini, nullam prorsus habere volo Quæstionem; indè enim scimus quod plus gratiæ ei collatum est, ad vincendum omni ex parte peccatum, quià eum concipere & parere meruit, quem constat, nullum habuisse peccatum.* Similitèr S. Maximus Ser: de virg: dicit. *Tabernaculum gloriæ, quo speciosus prodijt sponsus, lux gentium, condecentèr & congruè, nullâ maculâ Originali contaminatum est.* Et S. Fulgentius ser: de laud: Virg: fatur. *Cùm dixit Aue, salutationem cælestem exhibuit; cùm dixit Plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Pari modo S. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus Lib: contra eos qui disputant de Virginit: & parturit: Mariæ, dicit. *Virtus Altißimi, ab omni æstu peccati eam obumbrauit in conceptu & in partu, sicut ab omni æstu libera fuit, ita & ab omni pressurâ maledictionis, non ex sese, sed ex virtute Altißimi,*

immunis & aliena fuit. Id ipsum D. Damascenus Orat: 1. de Natiu: Virg: M. ait. *O sanctissima, quæ principatus & potestates fefellisti, atq; ignea maligni tela extinxisti, quæ in spiritus talamo versata, immaculata conseruata, in DEI sponsam electa es.* Et Sanctus Idiota Lib: 1. de Contempl: Virg: Cap: 2. dicit. *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte sed in toto, & maculæ peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis, non est in te, nec vnquam fuit.* Fulbertus etiam Lib: 1. de Maria Cap: 7. ait. *Immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem omnis sanctitatis.* Similitèr S. Anselmus in Cap: 5. secundæ ad Corint: hæc habet verba. *Omnes itàq; mortui sunt in peccatis, nemine prorsùs excepto, demptâ Matre DEI, siuè originalibus siuè voluntate additis.* Similitèr S. Petrus Damiani Ser: de assumpt: Virg: *Caro Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.* Similitèr S Bernardus Ser: 13. de cænâ Domini, ait. *Non est in filijs hominum magnus vel paruus, qui non in peccatis conceptus fuerit, præter Matrem Immaculati, peccatum non facientis, sed peccata mundi tollentis, de quâ cùm de peccatis agitur, nullam prorsùs habere volo quæstionem.* Idem Ser: 4 super Salue Regina, dicit *Innocens fuisti ab originalibus & actualibus, nemo ita præter te.* Idem Ser: de B. Mariâ fol: 324. *Licet Maria de Patrum naturâ per peccatum vitiatâ duxerit originem, præelecta tamen, per Spiritum Sanctum præseruata est.* Idem Ser: de priuilegio Joan: Bapt: *Neminem intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Ioannem & Ieremiam; Quanquam de singulari Virginis, nulla sit dubietas, quin ipsa maternis circumcepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere mundata sit, vt potè sanctuarium illud, in quo Filius DEI erat carnem suscepturus.* Et denique Hom: 2. de Laudibus B. Virg: ait. *Quomodo eam Angelus, gratiâ plenam pronuntiat, si quidpiam vel parum, quod ex gratiâ non esset, habebat?* insuper Ser: 2. de Assumptione Beatæ Mariæ, dicit. *Virginalem domum, intelligi volens spiritus, siluit non incongruè pœnitentiam; quæ malum vtiq; comitatur. Absit enim, vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquandò habuisse dicatur, vt in eâ proinde scopa Lazari quæreretur.* Et tandem Ser: 4. de eadem assumpt: æternam immunitatis eius prædefinitionem respiciens, dicit. *Digna planè quam respiceret Dominus, cuius decorem concupisceret Rex, cuius odore suauissimo, ab æterno illo Paterni sinus attraheretur accubitu.* Quibus sententijs eius permoti, Henricus de Hassiâ Carthusianus, & Pater Oieda, probant quatuor rationibus fortissimis, falsò ei imponi sententiam oppositam, & Epistolam ad Lugdunenses, in quâ vel maximè prolapsus in eam iudicatur, suppositoriam esse, demonstrant. Accedit S. Laurentius Justinianus, qui Lib: de gradibus perfectionis Cap: 1. sic de virginis conceptione fatur. *Ab originali delicto nullus excipitur, præter illam quæ genuit mundi Saluatorem.* Et Lib: de casto connubio Cap: 7. idem ait. *Hæc est originalis pœna delicti, à quâ nemo liber extitit; quotquot enim ex ipsâ nati sunt propagine, exceptis duntaxat, Mediatore CHRISTO IESV & eius Matre, sub hac peccati lege sunt conditi.* En ergò quot Sanctorum Patrum & grauissimorum in Ecclesiâ DEI Doctorum sententijs fauorabilibus, pia hæc

immunitatis Marianæ puritas, explicata & roborata est. Sed vt firmius sanctitati eius, tam quoad animam à puncto creationis, quam quoad corpus ab instanti animationis ipsius, adhæreas, accipe placita variorum supræmæ authoritatis Doctorum, pro hac materiâ.

17. De sanctitate corporis Virginei, secundùm quod CHRISTO Filio ex purissimis sanguinibus eius concipiendo, vigore præordinationis æternæ, aptabatur, locutus S. Ambrosius Ser: de Natiu: Virg: his verbis discurrit. *Nisi fallimur, iam terra illa benedicebatur, in cuius medio Dominus salutem operaretur, & ex quâ veritas oriretur. Supernæ itaq; benedictioni præparabatur terra in hominem procreata, ex quâ nascitura esset gloriosa VIRGO, quæ cælesti benedictione, singulari replenda erat priuilegio. En Noe à Domino benedicitur, & in filios Sem & Iaphet, paterna eius benedictio dirigitur. Sanctissimum namq; DEI genitricis MARIÆ corpus, ante sæcula ad generandum DEI filium prædestinatum, propè finem mundi nasciturum, iam in his quos prædiximus fratribus, sub quâdam imagine benedicebatur, ex cuius medio, salus mundi orire. tur. Nunquid non tibi benedicebatur humanitatis caro, cùm inde nascereris gloriosa VIRGO? Tibi profectò benedicenda erat caro humana, in tuis progenitoribus, quæ ex castissimis visceribus, illum eras paritura peccatoribus, qui est super omnia benedictus. Constantissima procul dubio Abrahæ fides audire meruit, quòd in semine eius benedicerentur omnes gentes. Diuinæ itaq; dignationis prærogatiuâ, præparabatur quædam stirps Iudaica, ex quâ cælestis luminis porta nasceretur, Virgo MARIA, quam æternâ DEI dispositione, Vnigeniti Filij DEI Matrem futuram, certissime scimus prædestinatam.* Hæc D. Ambrosius. Quæ verba eius mirificè roborant nostram Resolutionem. Si enim Beata Virgo est ab æterno in Matrem DEI futuram prædestinata, & ex vi talis suæ præordinationis, præbenedicebatur in Patriarchis, iàm & CHRISTVS sinè eâ non prædestinabatur, imò cum eâ, vt totam naturam humanam, mediante eâ, per subministrationem maternæ carnis, ad incarnationem requisitæ sibi vniret in athomo, sicque nos glorificaret, & stante lapsu restauraret. Atque ità, si corpus Virginis fuit prædestinatum & præbenedictum antè sæcula & per sæcula, vt ex eo generaretur in fine temporum caro Verbi incarnati, quis sanæ mentis audebit dicere, illud fuisse maculatum & fœdatum originali maculâ, dùm re ipsâ in vtero D. Annæ conciperetur? Absit hoc à mentibus fidelium.

18. Imò D. Bernardinus Senensis Serm: 61. de Religione Christianâ Cap: 2. docet: totum mundum, post culpam Prothoplastorum, amore tantæ Virginis, ab interitu præseruatum esse, quòd sanè arguit, eam à DEO in mundi salutem ab æterno prædestinatam, vt per eam & in eâ, natura nostra, DEO insereretur. Verba sunt D. Bernardini. *MARIA sola per multa millia annorum antequam nasceretur, primò & principaliter Adam & Euam & totam eius posteritatem, præseruauit in esse. Constat nempe, quòd ex propriâ transgressione, Adam & Eua, non solùm mortis, sed & annihilationis exterminium, meruerunt, & Diuina vltio, quæ personarum acceptionem ignorat,*

rat, sicut nec culpam Angelicam, ità nec humanam, dimisisset impunem, sed propter præcipuam reuerentiam, & singularissimam dilectionem, quam habebat DEVS ad Virginem, præseruauit eos, quià eam ab æterno super omnes creaturas quæ creandæ erant, superexcessiuè dilexit. Propterea ergò præseruati sunt Protoplasti, nec vt merebantur, in nihilum sunt redacti. Et idem Tomo 1. Ser: 52. dicit. *Virgo Maria, sinè tyranno concupiscentiæ peccati originalis fuit, quia sinè eo concepta est.* Similitèr Tomo 4. Ser: 49. post Pascha, Parte primâ, ait. *Certum est, quod DEVS creauit Adam sine peccato originali, & similitèr Euam de costâ eius. Non est ergò credendum, quod ipse Filius DEI voluerit nasci ex virgine, quæ esset maculata aliquo peccato originali, imò credendum est, quod eius Mater fuerit plus quam Eua & Adam, qui creati fuerunt sinè peccato originali.*

19. Sed præ alijs non languidè nos moueant ad defendendam piam hanc sententiam, Sanctissimi Patres & Patriarchæ nostri, D. Dominicus & Seraphicus Franciscus. Horum enim primus, Libello suo de Sacramento Corporis CHRISTI edito, reflectit se ab immunitate CHRISTI ad immunitatem Matris eius Mariæ, & innixus sententiæ S. Andreæ Apostoli, hæc ponit verba. *Sicut primus Adam fuit ex terrâ virgine & nunquam maledictâ, formatus, ità decuit in secundo Adam fieri, id est CHRISTO, cuius terra, id est Mater Virgo, nunquam fuit maledicta.* Quod autem iste Libellus fuerit verum opus Sanctissimi Patriarchæ Prædicatorum, testatur Chronista insignis eiusdem Ordinis, S. Antoninus tertiæ partis Titulo 19. Cap: 1. §. 4. his formalibus verbis. *Libellus verò Serui DEI Dominici, non solum ab igne non læditur, verùm ab igne foris prosilijt in longinquum, secundòq; iniectus ac tertiò, æquè prodijt incombustus. Vnde canit Ecclesia. Ter in ignem Libellus traditus, Ter exiuit illæsus penitus.* Id ipsum sensisse de tanto mysterio cæteros eiusdem Patris filios, patet ex quodam Manuali eorum Hispali in Hispaniâ edito, sub anno 1524. Vbi Cap: vltimo, hæc habentur verba. *Iam de hoc non est curandum, cùm sit materia nullius vtilitatis, & valde scandalosa; præsertim cùm tota ferè Ecclesia, cuius vsus & authoritas, secundum D. Thomam, præualet dicto Hieronymi & cuiuscunq; Doctoris, iam asserat, quod fuit præseruata.*

20. Sanctissimus etiam Pater & Patriarcha noster Seraphicus Franciscus, adeò fauit huic nostræ piæ sententiæ, vt in primo Generali Capitulo, Assisy, in præsentiâ Cardinalis Hugolini, tunc Protectoris paupérculæ familiæ Minoriticæ, postea verò Papæ Gregorij Noni, primum Statutum pro toto Ordine fieri & publicari fecerit, *vt per singulos Orbis vniuersi Fratrum suorum Conuentus, qualibet die Sabbathi, Missa votiua de Immaculata Virginis Conceptione, solenniter decantetur.* Vti hoc clarius hic in Proloquio ad Lectorem ex testimonio Chronistæ Ordinis Nostri Lucæ Vadingi, deduximus. Idem in salutatione Beatæ Virginis, dicere solebat. *Aue Regina Sanctissima, in quâ est & fuit semper, omnis plenitudo gratiæ.* Nec mirum, Sanctos Patriarchas tam piè de tantâ virgine sensisse. Absque dubio enim, eo fine ipsi cum suis Ordinibus, vltimâ planè mundi ætate ortum sumpserunt,

runt, vt pro immunitate purissimæ Matris, strenuè decertantes, illibatum tot sæculis honorem ipsius, suâ in integritate æternùm conseruarent. Nam sub anno 1219 cæperat acrius ventilari materia hæc, per quosdam curiositatis magis quam veritatis amatores, ideòque placuit Altissimo, nouos excitare eo ipso tempore excubitores, qui à iacturâ integritatis omnimodæ, electam ab æterno Patris immensi sponsam, per se suosq; filios, defenderent. Innixi ergò tot Sacræ Scripturæ, Apostolorum, Summorum Pontificum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, Reuelationum, Miraculorum, Doctorum Scholasticorum, & Rationum, nostri subtilissimi Magistri sequaces, satis sufficientibus medijs Virginem gloriosam à labe originali eximunt. Quibus & nos, quantum ad omnia & singula huiusmodi media, reuerentèr subscribimus. Sed quia specialem modum promouendæ eiusdem sententiæ assumpsimus, ideò ista omnia missa pro nunc faciendo, non tamen repellendo, ad nostra redeundum duximus. Nihilominus ex his quæ hactenùs pro immunitate Virgineâ allata sunt, iudicet pius lector, sitne Maria post lapsum primorum Parentum prædestinata, an verò antè omnes creaturas, vt in eâ & Filio eius, perficerentur? & an obnoxia ipsa esse potuerit ruinæ, in suâ conceptione, per incursum originalis noxæ, propter cuius amorem, totus mundus præseruatus est à ruinâ? Quod præfert Resolutio nostra. Quam quidem stabiliendo.

21. Recurramus ad literam Doctoris Subtilis. Hic in 3. dist: 7. §. Sed hic sunt duo &c. docet. Quod *non fuit aliqua necessitas, vt illa anima* (scilicet CHRISTI) *à principio gloriosa, cui DEVS præoptauit non tantùm summam gloriam, sed etiam coæuam illi animæ, quòd vnita fuisset corpori passibili; sed nec redemptio fuisset facienda, nisi homo peccasset, sed non propter solam istam causam, videtur DEVS prædestinasse illam animam ad tantam gloriam, cùm ista redemptio siuè gloria animæ redimendæ, non sit tantum bonum, quantum est ista gloria animæ Christi; nec est verisimile, tàm summum bonum in entibus, esse tantùm occasionatum, scilicet propter minus bonum; nec est verisimile, DEVM prius prædestinasse Adam ad tantum bonum, quàm CHRISTVM.* Ex hâc ergò doctrinâ habemus; CHRISTVM futurum fuisse statim à principio gloriosum, per coæuam animæ suæ gloriam, tanquam summum bonum in entibus sub DEO, etiàm si Adam nunquàm fuisset creatus, cuius gloria erat minus bonum in entibus. Tunc sic arguo. CHRISTVS in illo priori consideratus, in quo Adam, ex suppositione, non fuisset decretus ad futuritionem, fuisset (loquendo de ordine executionis) homo hypostaticè vnitus Verbo, quià vt loquitur D. S. infrà §. Secundum dubium &c. *DEVS prius ordine executionis, vniret sibi naturam humanam, quàm conferret sibi summam gratiam vel gloriam:* & hoc ob rationes à Doctore Subtili datas, scilicet coæuæ gloriæ, & summi boni in entibus. Ergò & id fuisset, à quo CHRISTVS secundùm veritatem naturæ humanæ, vt vnitæ Verbo, dependisset in esse naturali, immediatè & proximè; Sed tale etiam tunc nequit poni aliud, nisi Mater Virgo, Spiritu Sancto fœcundanda, vt de eius pu-
rissimis

rissimis sanguinibus Homo DEVS formaretur; Ergò etiam si Adam non peccasset cum totâ suâ posteritate, Virgo Mater CHRISTI adhuc fuisset, proptèr sui immediationem ad CHRISTVM, & esset summum bonum in entibus, sub CHRISTO tamen. Vndè D. Thomas audactèr pronunciat in doctrinâ suâ, quòd *Dignitas Matris huius, sicut & vnio hypostatica, & visio beatifica, est quodammodo infinita.* Tunc subsumo. Sed priori & absolutè futuro, nihil nocet siuè persistat siuè pereat posterius, siuè sanctificetur, siuè deturpetur; Ergò & peccatum Adæ, qui fuit posterior Virgine Matre, non potuit obesse quidquam Virgini, quò minùs sancta & immaculata conciperetur, & manu DEI fabricaretur, sicut fabricata fuisset, quamuis Adam nunquàm creatus extitisset.

22. Confirmatur etiam ista doctrina iuxtà dicta suprà, vbi docuimus Resolutione quartâ; ad Spiritum Sanctum appropriatè pertinuisse formationem humanitatis CHRISTI de Virgine, quod certè DEI opus fuit summum, & primum in rebus per tempus ortis: ità enim hoc intelligo. Quod Pater æternus est, vt ità dicam, diuinitatis apex, quià est à se, ab eo autem generatur Filius, qui est à Patre; ab vtroque tandem procedit Spiritus Sanctus, qui est à Patre & Filio; à tribus autem in quantùm tres supponuntur iam originati, necesse etiam fuit aliquid procedere, non necessitate coactionis, sed saltem necessitate congruentiæ & ineuitabilitatis, quæ compatitur secum voluntarium; & istud non decuit esse aliud, nisi Verbum incarnatum, ad quod tota Trinitas, vt ad opus post DEVM præstantissimum, cooperari debuit: decreuit ergò illud tota Trinitas, & prædestinauit DEVM hominem ab æterno, nedùm similitudinem & Imaginem Trinitatis in se exprimentem, sed quod maius est, in Personâ Filij DEI subsistentem. Quià autem ipsa S. S. Trinitas Virgo est, etiam natura ad Imaginem Trinitatis condenda, virgo esse debuit, quam vt in executione talem Spiritus Sanctus efformaret, decreta est Virgo Mater hæc & non alia determinatè; ex cuius purissimis sanguinibus, Spiritus Sanctus efformaret suâ operatione, humanitatem virgineam, Verbo vniendam. Quod opus DEI vt adumbraretur in figurâ, decretus est Adam de terrâ virgine formandus, CHRISTVM incarnandum symbolizans, quem & proindè in tempore Spiritus Sanctus, de limo formauit virgineæ terræ, & vt tandem ista natura insereretur in CHRISTVM, decreta est Eua, quæ fieret organum Spiritus Sancti ad generandam prolem humanam, vt tandem sic surgeret illa virgo Mater Verbi incarnati, per quam & in quâ, humana natura deificaretur: quia autem hæc intentio DEI, Adamo propagationem nostram vsurpante, per Euæ stuprum præuenta & anteuersa est, hoc primæ illi intentioni DEI de Matre Virgine, & CHRISTO filiò eius, qui per se & primò intendebatur à DEO, Adamus verò non nisi propter istos, nihil derogauit, quò minùs & Virgo Mater, manu Domini pura & immaculata plasmaretur, & CHRISTVS ex eâ, operatione Sancti Spiritus, prodiret. Ex vi ergò simultaneæ prædestinationis Virgi-

nis Matris vnâ cum CHRISTO, sancta & Immaculata esse debuit Beatissimæ istius prolis conceptio, nec illi vt primò à DEO intentæ, potuit obesse id, quod Adam contrà intentionem DEI, in seipsum & in totam à se descendentem posteritatem, commisit; cùm posterioris vitiatio, non transeat in prius, maximè si illud prius adhuc fuisset, quamuis posterius implicasset.

23. Sed de prædestinatione Virginis DEIPARÆ antè Adamum, & eius ex hâc ratione immunitate à culpâ originali, per Adamum in cæteros omnes illius posteros, quatenùs illius sunt, introductâ, luculentèr antè me tractauerunt alij Scotistæ: mihi ergò pro nunc ista sufficere videntur, ad stabiliendam istam sententiam nouam, quâ teneo Virginem istam, non dependisse ab Adamo vt Filiam. Sequitur ergò declarandum, quomodò Mater Virgo considerata vt concaput cum CHRISTO, respectu aliorum prædestinatorum, est eo ipso immunis à peccato originali? Pro quo sit.



RE-



RESOLVTIO SECVNDA.

VIRGO Mater CHRISTI, quià specialitèr pertinet ad CHRISTVM, quatenus caput Angelorum & hominum, cui ipsa est facta in adiutorium simile, & quasi concaput, ideò omninò debuit esse immunis à peccato originali.

I.



Licet iàm in proximâ Resolutione, stabilità sit hæc doctrina, quam hic profitemur, tamen aliqua hic subiungenda sunt, maioris roboris & claritatis gratiâ. Affines enim sunt istæ duæ Resolutiones ad inuicem, ista tamen quià aliquid plùs dicit, nempè Virginem Matrem ab æterno vnâ cum CHRISTO antè omnes Creaturas prædestinatam & prælectam, etiam ordinatam tùnc fuisse in adiutorium simile Glorificatori & Redemptori CHRISTO, ita vt esset cum eo vt capite, quasi concaput, ideò nouis eget comprobationibus. Itaq;

2. Comprobatur id primò ex ratione Filiationis CHRISTI ad Virginem Matrem, quam de facto veram & realem habuit, vt probat Doctor Subtilis in 3. dist: 8. ex D. Damasceno Lib: 35. dicente. *Duas generationes CHRISTI veneramur*: Vbi autem sunt duæ generationes, ibi omninò sunt & duæ Filiationes. Vt autem rectè in arguendo procedamus.

3. Sciendum est ex Doctore Subtili, vbi suprà. Filiationem solùm in naturâ intellectuali reperiri; Ità enim eam §. Ad Quæstionem, &c. definit. *Filiatio est habitudo producti naturaliter, similis producenti in naturâ intellectuali.* Et licet posteà addat, ly, *vel sensitiuâ*, id tamen non nisi propter proteruos apponit inuitus, vt ipse fatetur, dicens ibidem. *Quòd si* (inquit) *omninò contendas, brutum esse Filium bruti, & vitulum esse Filium bouis, tunc Filiatio est habitudo producti naturalitèr, similis producenti in naturâ intellectuali, vel sensitiuâ.* Certum ergò esto de mente eius; Filiationem veram, in solâ naturâ intellectuali inueniri. Porrò sicut duplex est naturâ intellectualis, scilicet, Increata & Creata, ità duplex est Filiatio, Diuina scilicet, & humana: Nam Angelos simùl omnes esse creatos, nec propagatione multiplicabiles, est de fide. In Diuinâ igitur & humanâ naturâ, vera reperitur Filiatio, ità intelligendo; quòd sicut in solo Patre æterno

in Diuinis, eſt vera Paternitas, ità in ſolo Filio æterno in Diuinis, eſt vera Filiatio, reſpectu tanti Patris. Et quià natura humana, ad imaginem & ſimilitudinem DEI eſt condita, etiam in eâ ſolâ debuit eſſe vera Filiatio, ſicut & vera maternitas, loquendo de primæuâ illâ intentione DEI, circà propagationem naturæ humanæ, ſecundùm quam repugnat imagini Diuinæ, habere Patrem in terris, licèt oportebat eam habere Matrem Virginem, ità quòd ſicut in ipſo Prototypo, ſcilicet Deitate, eſt generatio vnius ab vno, æterna; ità in exemplato, ſcilicet homine imagine DEI, eſſet generatio vnius ab vnâ prolis æuiternæ, modo Decade primâ, Reſolutione quartâ, prædeclarato. Vndè.

4. Sciendum ſecundò. Quòd modò in naturâ lapſâ, ſicut inter bruta non eſt Filiatio vera, ità nec inter homines generantes ſuas proles brutalitèr. Quià verò nec bruta, nec homines more illorum modò generantes, attingunt productum actione ſuâ, quæ tota conſiſtit in deciſione ſeminum in matricem, in quibus ſeminibus, ex dono Creatoris, eſt aura vitalis, ſeu internum efficiens organizationis & diſpoſitionis ad formam animalitatis, à DEO impetrandam, vt Decade primâ deduximus, ideò. Animal non generat animal, ſed ſolùm ſemen ad animal, proptèr quod vitulus, nequaquam eſt Filius tauri, quià taurus qui abuſiuè dicitur genuiſſe vitulum, non produxit vitulum, ſed ſolùm transfudit in matricem Vaccæ ſemen, & in eo latentem ex dono creationis cauſam efficientem internam, productiuam diſpoſitionum ad formam vituli, accedente fomento vteri vaccini, quibus diſpoſitionibus productis, ipſe DEVS dat formam, ſeù animam vituli, per quam facit corpus illud organicum ſurgere in animam viuentem bouis; ita vt bos ille productus, acceperit eſſe à DEO, formalitèr & efficientèr; à ſemine, diſpoſitiuè; à tauro ſemen decidente, occaſionalitèr, & ſolùm vt à conditione ſinè quâ non. Sicq; per omnia eſt & in nobis Adamicè & brutalitèr genitis; excepto, quòd anima animalis non habet in nobis determinationem ſpecificam alicuius bruti, ſed eſt quaſi languor; ob rationes Decade primâ datas, & quòd DEVS vltimatè infundat toti iſti maſſæ animam immortalem, & imaginem DEITATIS ſubſiſtentem, per quam nos determinat ad eſſe hominis, licèt corrupti & vitiati. Benè ergò docuit Subtilis Doctor, quòd Filiatio non ſit niſi in naturâ intellectuali, puta Diuinâ & Humanâ. Tunc vlteriùs.

5. Sciendum tertiò. Quòd ſicut in Deitate, ſolus Pater generat verè & realitèr, ac immediatè de ſe ipſo, Filium conſubſtantialem ſibi; ità dedit & ſuæ imagini, quæ natura humana eſt, poteſtatem verè, realiſſimè, & immediatè, de ſeipſâ generandi Filium verum, conſubſtantialemque Matri ſoli, vt in hoc imago reſponderet prototypo. Non eſt ergò in totâ rerum creatarum ſerie vera Filiatio, niſi in naturâ humanâ, & hæc de ſolâ Matre, ſicut Diuina eſt de ſolo Patre, idq; loquendo de primæuâ intentione DEI. Et hæc talis maternitas, ſicut & Filiatio, mox à creatione ſucciſa eſt, per ſtuprum Euæ ab Adamo illi irrogatum, ità

quòd

quòd inductâ in naturam humanam commixtione sexuali, non sit amplius talis maternitas, quam DEVS intenderat, nec consequentèr Filiatio, sed loco eius, successit decisio seminum libidinosa, ex parte coeuntium carnalitèr, & illorum in vtero muliebri receptio; vbi fomentatus seminalis Archeus, dispositiuè agens, impetrat à DEO animam seminalem, cui mox DEVS superaddit mentem; vt Decade primâ deductum est. Ità quòd pro statu isto pœnali, non appareat distinctio inter homines generantes & herbas; quia ita herbæ generant per decisionem seminum, accedente fomento terræ, tanquam vniuersalis rerum generandarum matricis, sicut homines & bruta, decidentes semina in particulares matrices. Proindè sicut herbæ non dicuntur Patres aut Matres; ita nec homo sic generans, rectè dicitur Pater aut Mater. Facessant ergò illæ disputationes, quæ nimium torquent Philosophos huius doctrinæ ignaros; quandò videlicet consurgit relatio Filiationis, & super quid? An scilicet in ipso actu generationis vt præsenti? an vt præterito? Quia reuera nulla est iam in rebus creatis vera Filiatio, postquam eam Adam à naturâ nostrâ abstulit, in quâ solâ eam implantauerat DEVS.

7. Neque dicas. Quarè ergò DEVS iubet honorari Patrem & Matrem à Filijs, si in naturâ humanâ non est vera modò paternitas, nec maternitas, nec filiatio? *Respondeo.* Quia istud præceptum, sicut & cætera secundæ præsertim tabulæ, supponit naturam corruptam, quam corrigit. Quia ergò in naturâ lapsâ, est propagatio belluina permissa, & cum hoc valdè difficillibus circumstantijs honestata, ex quâ sequitur proles, non vt à causâ, sed vt à conditione sinè quâ non, quam prolem isti sic seminantes (& consultò non dico, generantes) tenentur nutrire, educare, & in DEI honorem instruere; ideò æquum est, vt à tali prole sic ab eis inchoatiuè saltem surgente, debitus sic propagantibus honor impendatur: sicut & medicos, & magistros, & Judices, iubemur honorare, ob similem rationem. Ex morali ergò præcepto honorandi parentes, non infertur vera paternitas vel maternitas post lapsum in naturâ humanâ; quia scriptura se vsui communi loquentium de parentibus accommodat. Hæc responsio habet pro se Apostolum ad Hebræos 12. ℣. 9. *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos; num multò magis obtemperabimus patri spirituum &c.* His enim verbis, manifestè Apostolus excludit Patres carnales à verâ paternitate, quam habet respectu nostri pater spirituum, qui est DEVS benedictus.

8. Confirmatur etiam hæc doctrina tota per Lactantium lib: de opificio DEI, cap: 19. qui circà Annum D. 290. sub Diocletiano Imp: floruit. Ità ergò ille. *Illud quoq; venire in quæstionem potest; vtrumnè anima ex patre, an potius ex matre, an verò ex vtroque, generetur? Sed ego id meo iure ab ancipiti vendico. Nihil enim ex his tribus verum est; quia neq; ex vtroq;, neq; ex alterutro, seruntur animæ corporibus. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex vtroq;, de animis anima non potest, quia ex rè*

tenui & incomprehensibili, nihil potest decedere; Itaq; serendarum animarum ratio, vni ac soli DEO subiacet. Deniq; cælesti sumus omnes semine oriundi, omnibus ille idem pater est, vt ait Lucretius. Nam de mortalibus non potest quidquam nisi mortale generari. Nec putari pater debet, qui transfudisse aut inspirasse animam de suo, nullo modo sentit. Nec si sentiat, quandò aut quomodò id fiat, habet animo comprehensum. Ex quo apparet, non à parentibus dari animas, sed ab vno eodemq; omnium DEO Patre, qui legem rationemq; nascendi tenet solus, siquidem solus efficit, nam terreni parentis nihil est, nisi vt humorem corporis in quo est materia nascendi, cum sensu voluptatis emittat, vel recipiat, & circa hoc opus homo insistit, nec quidquam ampliùs facit.

9. Item per Gennadium lib: de Ecclesiast: dogm: cap: 22. & 14. qui habetur inter opera D. Aug: Tom: tertio. *Dicimus* (ait ille) *creationem animæ solum creatorem omnium nosse, & corpus tantum per coniugij copulam seminari, DEI verò iudicio, coagulari in vuluâ & compingi atq; formari, ac formato iam corpore, animam creari, & infundi, vt viuat in vtero homo ex animâ constans & corpore, & egrediatur viuus ex vtero, plenus humanâ substantiâ.* Itaquè.

10. Sciendum quartò. Quòd in statu innocentiæ, vera Filiatio sicut & vera maternitas fuisset, in naturâ humanâ; quià vt Resolut: 4ta Decadis primæ docui, absque semine medio, in Euæ Virginis purissimò arteriali cordis sanguine, Spiritus Sanctus inspirasset imaginem DEI subsistentem, scilicèt mentem intellectualem, idque Euâ consentiente; quæ mens sigillata in illo sanguine, fieret in instanti homo, immediatè & naturalitèr productus, similis producenti in naturâ intellectuali, scilicet Spiritui Sancto secundùm mentem, & Euæ virgini secundùm corpus; sicque fuisset Matris & Filij consubstantialitas prò tantò, pro quantò in sanguine Matris purissimo arteriali, præuio consensu eius, ista mens immortalis sigillaretur, & eo ipso illud figuraret in tàm excellentem membrorum symetriam, ac tandem sic figuratus homo, in vterum deferretur, penetrando dimensiones; vbi cresceret ad iustam maturitatem, donec clauso vtero prodiret, eo fermè per omnia modò, quo humanitas CHRISTI generata est.

11. Sciendum quintò. Quòd secundùm Cyrillum Alexandrinum Lib: 3. de Trinitate, nos obsignamur per Filium ad Filiationem in Spiritu, & debuimus esse Filij per Filium, imagoq; simul DEI, & similitudo; vt Decade primâ Resolutione tertiâ dictum est. Quià autem hæc vera Filiatio, quæ dependebat à Spiritu Sancto & Matre virgine, cessauit in naturâ humanâ, ea restaurari debuit in CHRISTO, in quo etiam antè peccatum fuissemus Filij veri, quià Filij per Filium in Spiritu Sancto, iuxtà Cyrillum; non sic intelligendo, quòd Spiritus Sanctus sit Pater CHRISTI, sed quòd Spiritus Sanctus fecit Virginem Mariam esse veram Matrem CHRISTI, sicut fecisset & Euam virginem veram Matrem Abelis in statu innocentiæ, si Adam non peruertisset hanc intentionem. Ex quo habetur,

quòd

quòd ſicut variata eſt per Adæ peccatum, naturæ propagatio, ità & ipſorum propagatorum habitudo ad parentes; ità quòd iſte qui modò eſt genitus ab his parentibus, poterat eſſe ab alijs, idem numero, eò quod etiam modò ſolus DEVS det eſſe homini, infundendo mentem, quæ eſt imago DEI, ſortè nunc genito ab iſtis parentibus carnaliter, ſicut infudiſſet eandem numero in paradyſo in innocentiâ, vel hîc ab alijs parentibus in peccatis propagato: parum enim intereſt coram DEO, qui parentes ſeminent animale periturum; iuxta illud Apoſtoli 1. ad Cor: 9. *Nunquid DEO cura eſt de bobus?* ſed multùm intereſt ei, & multam curam (ſi dicere liceat) in hoc ſibi ipſi ex ſuâ bonitate ponit, vt det illud idem numero ſpirituale, quod ab æterno elegit, & prædeſtinauit æternùm permanſurum. Quâ itidem bonitate infinitâ ſtimulante, dat etiam animas, quas ab æterno non elegit, & quæ nunquam fuiſſent, ſi Adam non peccaſſet, vt ita de malis bona faciat. Melius eſt enim iuxta D. Thomam 1. 2. q. 83. A. 1. ad quintum, tali animæ ſic eſſe, quam ſimplicitèr non eſſe, quia licet nunquam aſſumetur ad gloriam, vt potè quia non eſt electa, tamen ſi carebit peccato actuali mortali, vt in paruulis, non habebit pro pænâ ſic in æternum manere ſinè gloria, ſed pro conditione naturæ, vt Doctor Subtilis vult in 2. diſt: 33. idque ex ſententiâ aliorum Magiſtrorum, & S. Auguſtini, quos & ipſe ſequitur. Secus in adultis peccantibus actualitèr mortalitèr. His ita poſitis.

12. Pono pro filiatione CHRISTI verâ & reali ad Mariam Virginem Matrem ſuam, argumentum Doctoris Subtilis in 3. diſt: 8. quod eſt tale. Illa relatio eſt realis, quæ conſequitur extrema ex naturâ extremorum, ſinè actu intellectus; poſitâ autem Matre (ſcilicet Virgine Mariâ) generante, & etiam ſuppoſito habente naturam per generationem, (ſcilicet CHRISTO) ex naturâ extremorum, ſinè actu intellectus, ſequitur hic Filiatio, ſicut ibi Maternitas, Ergò CHRISTI ad Virginem Matrem eſt relatio realis. Tunc ego ſubſumo. Sed nullâ aliâ Matre poſitâ, & etiam nullo alio ſuppoſito, habente naturam per generationem dato, ità ex naturâ extremorum conſurgit relatio, ſicut inter CHRISTVM & Matrem Virginem; Ergò ſola iſta Filiatio, & ſola Maternitas, ſunt veriſſimæ & realiſſimæ in ſerie rerum creatarum. Probatur hoc aſſumptum ex modò paulò ſuprà dictis, quia ſola Virgo Mater, immediatè agit cum Spiritu Sancto, attingendo hunc terminum ſuæ generationis, abſque præuio ſemine, & cæteris ſemen conſequentibus; ſolus etiam iſte Filius, verè & immediatè ex hâc Matre accepit totam ſuam ſubſtantiam corpoream, de puriſſimo eius arteriali ſanguine cordis, Ergò iſte Filius, & iſta Mater, ſoli in naturâ humanâ habent ſe ad ſe realiſſimè, veriſſimè, & immediatiſſimè.

13. Tunc ſubiungit Doctor Subtilis dubium dicens. *Sed eſt vnum dubium; vtrum iſta Filiatio realis, ſit eadem fundamento, ſcilicet naturæ humanæ CHRISTI, acceptæ per generationem?* & reſoluit illud negatiuè. Sed pace illius, reſponſio negatiua in hoc puncto, non mihi placet: & ipſe certè di-

tè dignus eſt veniâ; quia hoc pro tantò negauit, pro quanto putauit Virginem Matrem ita genuiſſe CHRISTVM mediante ſemine, vel ſaltem illis motibus intercedentibus ſubitò & momentaneè, qui intercedunt communitèr in matribus per dies quadraginta : dat proindè ſuæ negationis rationes duas. Primam; *Quia* (inquit) *poſſet eadem natura fuiſſe creata immediatè à DEO, qui quidquid mediante causâ ſecundâ poteſt, immediatè per ſe poſſet.* Secundam; *Quià* (inquit) *eadem natura poſſet fuiſſe habita per generationem temporalem alterius Matris, ſecundùm quod dictum eſt 2. lib: diſt: 22. q. 2. Quòd idem qui eſt Filius vnius patris, potuit fuiſſe Filius alterius patris.* Tunc ego his non obſtantibus, ſic inſurgo. Pro tantò Doctor Subtilis negauit identitatem realem Filiationis iſtius cum naturâ humanâ CHRISTI, acceptâ de Virgine Matre per generationem, pro quantò putauit illam naturam potuiſſe eſſe per creationem immediatè à DEO, & quia putauit eam potuiſſe eſſe ab aliâ matre, non verò præcisè ab iſtâ; Sed iſtæ rationes non habent locum in propoſito, Ergò Filiatio CHRISTI ad Virginem Matrem, eſt illi identificata realitèr.

14. Quod vt oſtendam, præmitto ſecundùm D. Auguſtinum & omnes SS. Patres, nullum inter creata eſſe opus præſtantius, & in intentione DEI, quatenùs creaturas ab æterno producendas intendebat prius, Incarnatione Verbi, in quâ & per quam & ad quam, omnia creata DEVS retulit, & maximè humanam naturam, deſponſauit. Hæc autem incarnatio non debuit eſſe niſi in Filio Virginis; alias natura humana non fuiſſet vnquam exhibita Virgo caſta vni viro CHRISTO, iuxta phraſim Apoſtoli, & ita nec glorificata in innocentiâ, nec ſubleuata in lapſu. *Oportuit ergò* (vt verbis D. Bernardini Senenſis ſerm: 6. de Relig: Chriſt: A. 1. cap: 4. vtar) *fœminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam, per quandam quaſi infinitatem perfectionum & gratiarum;* Fœminam ſcilicet tantæ generationi ab æterno immutabilitèr deſtinatam, & determinatam, in quâ & per quam, hoc opus perageretur in temporis plenitudine. Et hæc, non alia eſſe debuit niſi hæc, vltra quam, & præter quam, DEVS aliam perfectiorem producere non poſſet ordinariè, etiamſi vellet, docente id D. Bernardino Senenſi vbi ſup: cap: 1. illis verbis: *Aduerte diligenter anima, quòd hæc benedicta puella, tantam perfectionem attulit vniuerſo, quòd vlterioris perfectionis non eſt capax, nec DEVS poteſt ordinariâ poteſtate ipſum perficere vlteriori perfectione, imò ſi in tempore Pater vel Spiritus Sanctus de fœminâ naſceretur, nihil accreſceret orbi, quia quidquid nobilitatis, quidquid diuitiarum, & quidquid æternitatis eſt, toto in orbe, diffuſum eſt & productum per VIRGINEM, in illo æterno Suppoſito, quod generauit Beatiſſima Virgo.*

15. Hoc ergò ſuppoſito; iam probo, quod non potuit hæc natura humana CHRISTI, quatenùs Glorificatoris vel Redemptoris noſtri, fieri immediatè à DEO per creationem. Quia ſecundùm vulgò receptam regulam D. Anſelmi; Ad omne inconueniens in DEO, ſequitur impoſſibile, & ad omne conueniens, cui maior ratio non repugnat, ſequitur neceſſarium:

cessarium: Sed natura humana CHRISTI vt nostri capitis, determinata est, idque conuenientissimè, vt esset Virginea de Virgine Matre accepta, operatione Spiritus Sancti immediatâ, quantùm est ex parte Spiritus Sancti, Ergò eam, vt fieret alitèr, per Creationem à DEO produci, erat impossibile, & consequentèr produci eam à Spiritu Sancto in Virgine, erat necessarium. Accedit: quòd etiam modò, dum est à Spiritu Sancto & hâc Matre Virgine, est à DEO immediatè, Ergò eam produci eandem à DEO in ratione Virgineæ naturæ, esset frustrà, cùm ita benè modò est à DEO immediatè, sicut tunc esset. Adde: quod in ratione Filij Virginis, quòd tamen requirebatur in CHRISTO, ex DEI primæuâ intentione, non potuit esse CHRISTVS per creationem, quia vt sic non esset iam Filius Virginis, Ergò &c. Quòd etiam multò minùs potuit esse ab aliâ Matre, patet. Quia ista variatio Matrum, de quâ locutus est D. S. in 2. dist: 22. q. 2. consequuta est in Prædestinatis post Adæ peccatum, & non fuit ex intentione DEI in statu innocentiæ. Vel si eam velis admittere, etiam in statu innocentiæ, ob rationes Doctoris ibi in secundo, tamen in Matre CHRISTI & Filio eius, non habet locum, qui sunt primi omninò in seriè prædestinatorum, & in quorum gloriam, alij omnes prædestinati sunt. Vndè sicut Adam non potuit esse, in ratione quâ omninò primus homo, de fæminâ aliâ, sed præcisè de terra, ita & CHRISTVS quà caput prædestinatorum, non potuit esse nisi Filius istius Matris, quæ propterea ipsi in adiutorium simile destinata erat. Rectè ergò hinc infertur consubstantialitas CHRISTI cum hâc & non aliâ Matre Virgine; vt verùm sit illud Anselmi: *In cælo qualis Pater talis Filius, in terrâ qualis Mater talis Filius.* Sed in cælo consubstantialis Parri, Ergò & in terra consubstantialis Matri.

16. Et hoc totum confirmatur à D. Ambrosio serm: 16. de Natiuitate Christi, sic loquente. *Videamus,* (inquit) *hic sol noster nouus quo fonte nascatur? Sic est verum; DEO oritur authore, Diuinitatis est Filius, Diuinitatis inquam integræ, incorruptæ, illibatæ; Intelligo planè mysterium; Ideò enim secunda Natiuitas per Immaculatam Mariam, quia prior per Diuinitatem constiterat illibata, vt cui prior natiuitas gloriosa extitit, ei secunda contumeliosa non fieret, vt quemadmodum eum Virgo Diuinitas ediderat, ita eum & Virgo Maria generaret.* Hæc B. Ambrosius. Cui accinit & Guilelmus Abbas in illud Cant: 6. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, &c. Non potuit* (ait iste) *DEVS in salutem hominum corporalitèr nasci, nisi partu Virgineo, nec decuit eum pasci, nisi lacte Virgineo.* Est igitùr respectus Filiationis ad Mariam, identificatus realitèr naturæ humanæ Virgineæ CHRISTI vt capitis nostri, quia nunquam etiam in æternitate, Christus considerabatur solitarius absque eâ; vt hìc locum habeat D. Thomæ à Villâ nouâ notabile eloquium de Christi coniunctione cum Maria, sic loquentis, Conc: 2. de Annunt: *Dominus tecum: & quomodò tecum? non vtiq, sicut mecum, sed sicut nullibi; Tecum in corpore, tecum in mente, tecum in animo, tecum in consilio, tecum in vtero, tecum in auxilio;*

tecum in ortu, tecum in exitu, tecum in fine, tecum sine fine. Et Abbatis Cellensis lib: de panibus cap: 9. *CHRISTVS plenus veritate & gratiâ, natus est de Matre gratiâ plenâ. O IESV in venâ non in lagenâ, in puteo non in vrceo, in ventre, non in vtre, in animâ non in cisternâ, in fonte non in vase, possides gratiam.* Quis igitur sic intimè coniunctam hanc Matrem homini DEO à se genito, illique consubstantialem secundùm naturam humanam, non concedat esse adiutorium simile, & Concaput respectu prædestinatorum, vnâ cum Christo? Et quis stante hâc eius cum Filio suo consubstantialitate, eam adhuc peccato originali in suo conceptu obnoxiam fuisse, pronunciabit? Absit vt concorporea, & consanguinea Christo, immediatissimè & intimè, quæ solo DEO excepto, cunctis superior existit, & in naturâ humanâ omninò par Filio est, tali maculâ credatur conspurcata. Maximè cùm conspurcatio naturæ, non debuit esse in capite, & in eâ, quæ immediatè pertinet ad caput, Matre nostri capitis, sed præcisè in ijs, quorum se Adam fecit caput, & Patrem carnalem, qui etiam non antè Adamum, sed post eum præuidebantur; CHRISTVS autem, & Virgo Mater eius, antè eum, vt qualitercunq; se ille cum cæteris habuisset, siuè benè, siuè malè, virtute istorum, aut glorificaretur, aut subleuaretur, si peccasset.

17. Sed vlteriùs probandum est, Virginem Matrem pertinuisse ad caput, specialiori iure quam omnes alij electi, qui tantùm membra sunt sub capite CHRISTO. Ostendo ergò hoc sic. A quacunque Personâ, totum genus humanum habet quod est insertum in DEVM, & consors effectum Diuinæ naturæ, illa Persona est concaput respectu generis humani vnâ cum CHRISTO, qui est caput: sed à B. Virgine totum genus humanum habet, quòd insertum est in DEVM, mediante scilicet sanguine purissimo Virginis, in incarnatione subministrato ab eâ CHRISTO, pro materia sacratissimi Corporis; Ergò B. Virgo est concaput nostri vnà cum CHRISTO capite. Hinc est quod ipse CHRISTVS, ob hanc consanguinitatem & concorporeitatem quam habemus ad eum, mediante carne Mariæ, vocat nos Fratres, etiam post resurrectionem, Joan: 20. dicens Mariæ Magdalenæ: *Vade & dic fratribus meis*, &c. Vndè D. Bernardus audactèr gloriatur dicens: *Puto iam me spernere non poterit DEVS, os ex ossibus meis, & caro de carne meâ.* Maximè autem hæc insertio in DEVM fit in communione Eucharisticâ, vbi carnem Virgineam de Virgine hac sumptam degustamus, & in CHRISTVM DEVM hominem, mediante hac carne transimus, quam vtiq; consubstantialem esse CHRISTO, & Mariæ vt Matri Virgineæ, iam tradidimus. Illa ergò quæ totam naturam corruptam sic reformauit in suâ carne datâ Christo, fuit ipsamet corrupta in carne, per fœditatem originariam, quæ priùs inficit carnem? Absit: Absit: Quia nec in carne nec in animâ, decuit istam maculari Virginem, *cuius vterum*, (vt loquitur Rupertus Abbas Lib: de Operibus Spiritus S. Cap. 15. *DEVS non horruit, quin admotis omnibus digitis suis, corporis humani vasculum de illâ substantiâ, studiosus figulus perficeret.* Quod nobis in vitam datū est.

18. Imò

18. Imò vt egregiè probat D. Bernardinus Senensis serm: 61 de Rel: Christianâ cap: 2 A. 1. verè est ob suam carnem datam CHRISTO, Mater Virgo Concaput respectu nostri, & ideò prorsùs immunis ab omni maculâ originariâ, etiam in suâ carne; *Quià* (inquit ille) *de carne Virginis benedictæ, & in parte corporis eius excisâ, consistit, perficitur, & terminatur, totum decus & pondus Sacramentorum Ecclesiæ DEI.* Cuius rationem satis efficacem subdit. *Certum est enim* (inquit) *quòd omnis institutio Sacramentorum, & omnia alia Sacramenta, tanquam in vltimum finem, ad illud Sacramentum omnium Sacramentorum excellentissimum, quòd est Eucharistia, ordinantur, quæ quidem conficitur & consecratur, dum Panis in Corpus Christi conuertitur.* Sed (ego subiungo) istud Corpus CHRISTI non est aliud, nisi illud Virgineum, sumptum de Matre Virgine; Ergò in hâc carne, quâ sumptâ à Virgine, consistit omnium ratio & finis Sacramentorum, & consequentèr nostræ salutis. Concaput ergò cum CHRISTO Maria, Consaluatrix, Conredemptrix; Igitùr par CHRISTO puritate, nedùm animæ, sed etiam carnis semper immaculatæ. Repugnat enim carnem aliquandò infectam in tantùm euehi, vt in ipsius participatione omnium consistat emundatio, & puritas primæua, quam à principio intenderat DEVS in naturâ humanâ.

19. Præterea. Iam puto ex dictis in primâ Decade, nullus mihi negabit hanc Propositionem: quòd CHRISTVS pro tantò est caput naturæ humanæ, pro quantò illa debuit esse Virginea, siuè perseuerando in Virginitate intentâ à Creatore, in illo statu felici innocentiæ, siuè post lapsum redeundo ad Virginitatem per CHRISTVM Saluatorem, & restauratorem suum; siuè enim sic, siuè sic accipiatur Virginitas naturæ, omninò debuit inseri in DEVM hominem; Sed hoc fieri non potuit, nisi Virgo hæc conciperet filium, qui esset caput, in quod tota natura insereretur, Ergò Virgo hæc specialitèr pertinuit ad caput. Minor probatur. Quià ad communicari Virgineum, præsupponitur esse Virgineum; nihil enim alteri datur, nisi sit priùs; Sed non potuit esse alitèr caro Virginea nobis communicanda, nisi per fœcunditatem Virginis, Christus mediante operatione Spiritus Sancti, fuisset constitutus in esse Virginei, Ergò &c.

20. Et hoc sanè est mysterium, quod nullus SS. Patrum appellauit vnquam Christum hoc nomine ly Virgo virginum; quia licet Christus par sit in naturâ virgineâ Matri, vel estò etiam concedamus, quòd Matrem præcellat in virginitate, quòd tamen non videtur, tamen non potest aptè dici Virgo Virginum, quia non descendit à Christo per propagationem immaculatam virginitas in naturam humanam; sed solùm alijs medijs, scilicet per Sacramenta, & maximè per Baptismum, & Eucharistiam. A solâ autem Beatâ Matre Virgine, & in Christum, & in nos omnes, per propagationem veram & realem descendit virginitas, totam virginans Ecclesiam, propter quod sola Mater Virgo, rectè dicitur & est Virgo Virginum. Quo spectat Guillelmi Abbatis in Cap: 7. Canticor: discursus. *Pa-*

riebat (ait ille) *nobis Virgo MATER salutem, atq; eo ipso pariebat nos ad salutem. Sacro lacte suo nutriebat nobis vitam, atque eo ipso nutriebat nos ad vitam. Piis caput nostrum brachiis suspendebat ad vbera sua, & nos ad eadem in illo suspendebat. Nec ille sibi nascebatur, nec pascebatur, sed nobis: Atque ideo nos in illo nascebamur, nos in illo pascebamur.* Est igitur Virgo ex hac ratione concaput cum Christo, & consequentèr fons & origo totius puritatis naturæ humanæ, sicque in se Sancta semper & immaculata, & quoad animam, per infusionem gratiæ in conceptionis instanti, & quoad carnem purissimam Virgineam.

21. Præterea, ex ratione meriti Christi, quatenus est caput nostrum, probo Virginem Matrem fuisse concaput. Dicit enim Doctor Subtilis Dist: 19. tertij sententiarum hæc verba de Christo, disputans cum ijs, qui negauerunt eum nobis meruisse primam gratiam, quos ille sic adoritur. *Quæro* (inquit) *à te. Vtrum CHRISTVS tantùm meruit, quòd habentes gratiam, quomodòcunq; & vndecunquè hoc esset, haberent gloriam ex merito Christi? Et si hoc solùm; igitùr non meruit nobis primam gratiam baptismalem in nouo testamento, nec gratiam datam in sacrificijs, & Circumcisione, in veteri testamento, quod est falsum; Quià, vndè veniret nobis gratia illa prima? Oportet igitùr dicere, quòd meruit nobis gratiam primam, quâ coniuncti essemus sibi, igitùr meruit, vt non coniuncti coniungerentur sibi, & in hoc potissimè consistebat meritum eius. Igitùr non solùm meruit, vt coniuncti sibi, vlteriùs cooperarentur ei, & sic tandem glorificarentur, sed meruit, vt non vniti vnirentur, etiam qui nunquam se disposuerunt. Vndè magis meruit gratiam baptismalem & primam, quàm quodcunq; opus posteà ex gratiâ.* Ex quo sic ad propositum arguo. Isti non coniuncti, seu disiuncti, qui & carentes gratiâ primâ, vtique tunc sunt prorsùs disiuncti à suo Capite Christo, quandò tota natura humana à Virgineâ propagatione recessit, quæ erat ex intentione DEI, per stuprum Euæ ab Adamo patratum, diuidens ipso facto inter Christum, & Virgineam eius à DEO intentam propagationem de Matre Virgine, in quâ consistebat ratio capitis respectu totius naturæ humanæ, ex parte vnâ; & inter Adamum, & totam posteritatem eius carnalitèr propagatam, ex alterâ parte; Ergò tota & principalissima ratio meriti Christi, consistit in hoc, vt illi qui sic recesserunt, reducerentur ad suum caput virgineum; Sed hoc alitèr fieri non potuit, nisi per propagationem ipsius capitis virgineam de Matre Virgine, quam solam aspiciebat DEVS, vt tandem actu complendam, in veterique Testamento, eius intuitu, conferebat primam gratiam in sacrificijs, & in Circumcisione, & iam factam intuetur in nouo testamento, eòque efficaciùs dat istam primam gratiam, maximè in Baptismo, & realem communicationem talis virginitatis exhibet fidelibus in Eucharistiâ, Ergò ad hanc nostram coniunctionem cum suo capite Virgineo, ita facit Virgo Mater Christi, sicut & ipse Christus; Imò credo me non offensurum in hoc Christum, si dixero; Virginem hanc suo conceptu, suo partu Virgineo, naturam totam restaurasse, quà natura est; Christum verò iam naturam sic

in

in Virgine & per Virginem restauratam, solùm Indiuiduis applicuisse per Sacramenta à se instituta. Ecce quale adiutorium, & quam simile Christo Mater Virgo. Hanc ergò tu adhuc ad Adamum secundùm carnem pertinere dices, quæ Adamum cum totâ eius carnalitèr satâ posteritate, mediante suâ virgineâ propagatione Capitis Christi, in caput reduxit, & illi coniunxit? Absit hæc dementia.

22. Confirmatur hæc doctrina à Magistro sententiarum lib: 3. dist: 18. vbi sic de Christo merente nobis, ex mente SS. Patrum, resoluit. *Nec solùm meruit CHRISTVS, quandò Patri obediens, crucem subijt, sed etiam ab ipsâ conceptione, ex quâ homo factus est.* Et adducit pro se D. Gregorium, dicentem. *Non habuit omninò Christus, iuxtà animæ meritum, quo potuisset proficere, in membris autem quæ nos sumus, quotidiè proficit.* Et subdit Magister. *Non ergò plùs meruit sibi per crucis patibulum, quàm à Conceptione meruit per gratiam virtutum. Non ergò profecit secundùm animæ meritum, quantùm ad virtutem meriti, profecit tamen, quantùm ad numerum meritorum. Plura enim habuit merita in passione, quàm in conceptione, sed maioris virtutis non extiterunt in merendo plura, quàm antè fuerunt pauciora.* Tunc ego quæro. Quid ita? Et facilè respondeo. Quia tota ratio & principalis meriti Christi, constitit in eo, quòd Homo purissimus virgineus, qualis erat sempèr in intentione DEI propagandus, de Virgine conciperetur, vt sic homo vetus innouaretur; cætera autem merita, solùm ad applicationem faciendam Indiuiduis talis innouatæ naturæ, spectabant, in quibus DEVS homo quotidiè proficiebat, vt dicit D. Gregorius. Hæc obitèr attulisse sufficiat pro modulo nostro, de Virgine Matre Christi, quomodò fuit Concaput cum CHRISTO, & adiutorium simile ei, per comparationem ad humanam naturam. Quòd autem etiam fuerit Concaput eidem CHRISTO capiti, per comparationem ad Angelicam naturam, iam declarandum est seriò; licet hoc nimis sit difficilè.

23. Præmitto ergò doctrinam Doctoris subtilis in 3. dist. 18. §. In istâ quæstione, &c. de merito. Quid videlicet sit meritum? *Dico* (verba sunt eius) *quòd meritum est aliquid acceptatum in alio, pro quo ab acceptante est aliquid retribuendum illi, in quo est quasi debitum illi pro illo merito, vel alteri pro quo meruit: non enim meritum dicit semper actum, qui sit in potestate eius cui fit retributio, sed hoc solum est quandò aliquis meretur sibiipsi; quandò autem vnus meretur alteri per orationes, vel alias afflictiones acceptas DEO, quamuis illa sint in potestate merentis, non tamen sunt in potestate eius pro quo facit: & tùnc meritum formaliter, dicit ordinem alicuius laudabilis in merente ad acceptantem, quod acceptans acceptat, vt retribuat ei pro quo acceptatur, & ex hoc sequitur, quòd vnus potest mereri pro alio: DEVS igitur, acceptans bonum factum vel bonum velle alicuius, retribuit sibi si indiget; si tamen sit ita perfectus, quòd non indigeat perfectione, sicut CHRISTVS, retribuit alijs pro quibus meretur.* Hæc Doctor Subtilis. Ex quâ doctrinâ habemus primò. Quod tota ratio formalis meriti, quâ meritum est, consistit in acceptatione: si enim intensissimos & maximè energicos actus facies Regi, eo fine, vt tibi

pro eis retribuat honorem vel pecuniam, & Rex non acceptet illos actus, nec judicet deberi tibi retributionem pro talibus, non est tibi meritum respectu Regis, quia deest in Rege acceptatio. Habemus secundò. Quod meritum respectu cui vt termini, bifariam consideratur: aut vt retribuatur sibi, aut vt retribuatur alteri. Habemus tertiò. Quod meritum sibi, semper est in potestate eius cui sit retributio; ast verò meritum alteri, non est in potestate eius cui sit retributio, sed in potestate alterius, qui pro isto elicit actum hunc vel illum. Habemus quartò. Quod meritum potest esse ità acceptum, quòd valeat ad præmium, & sibi qui meretur, & alijs, & si contingat eum qui meretur non indigere præmio, sed illud aliundè præhabere, iam in tali casu, totà retributio cedit aliis, pro quibus ille qui meretur intendit.

24. Ad propositum ista applicandò, reminisci nos oportet dictorum hîc in Decade primâ, Resolutione primâ, quòd cùm Devs ab æterno proposuerit creare res alias à Deo, propter communicandam bonitatem suam ad extrà, primum inter omnes voluit Christvm, ceu primogenitum omnis creaturæ, & caput, vt ità Deitas mediante vnione hypostaticâ Verbi, ad naturam intellectualem creatam, toti creaturæ communicaretur, & in Devm reduceretur vicissim tota creatura. Et quia naturæ intellectuali quà tali, non potuit esse alius modus melior communicandi Deitatem, nisi per visionem beatificam essentiæ diuinæ, & fruitionem eius, decretum est inprimis, vt iste primogenitus omnis creaturæ & caput, habeat gloriam, id est, visionem & fruitionem beatificam essentiæ Diuinæ, sibi coæuam, sinè vllo merito præcedente, sed solùm ex mera Dei dantis liberalitate. Et hoc est, quod docet Doctor subtilis in 3 dist. 7. Christvm scilicèt esse primò antè omnia prædestinatum ad gloriam, non qualitercunque habendam, sed coæuam animæ suæ, qui Christus sic jam prædestinatus ad gloriam, decretus est in secundo signo ad vnionem cum naturâ intellectuali, in Supposito Verbi, & simul decreta est ad hoc natura intellectualis humana, non Angelica, in Christo à Verbo supponitanda. Cuius ratio à priori nulla est, nisi voluntas Dei; ex ratione tamen Christi, quatenùs primogenitus & caput est, potest dari ratio: quia ad Christum vt caput totius creaturæ, pertinebat reducere ad Deum vtramque creaturam intellectualem, tàm scilicet Angelicam, quàm Humanam, illas beatificando; Ergò debuit destinari ad talem naturam, quæ esset compar Angelis secundùm animam, & dispar eisdem secundùm corpus, quæ est natura humana. Vtque appareret manifestè, Devm ex merâ liberalitate, communicare se suæ creaturæ, non verò ex dignitate naturarum; prout aduertit subtile acumen Doctor Subtilis suprà dist. 7. §. Secundum dubium &c. dùm hæc protulit verba. *DEVS primò voluit aliquam naturam non summam, habere summam gloriam; ostendens quòd non oporteret eum conferre gloriam, secundùm ordinem naturarum.* Nec tamen in hoc iniuriauit Angelicam naturam; quia eam noluit subesse puro homini, sed homini in personâ Verbi subsistenti. Jam ergò est primum Ens nobilissimum, prædestinatum à totâ sanctissimâ Trinitate vt caput cæterorum fiendorum,

dorum, DEVS homo. Ad quid autem? cùm DEVS nihil intendat, aut prædefiniat frustrà? Jam tibi dixi; quòd ad gloriam Dei; vt videlicet creatura intellectualis, in eo & per eum, degustaret ineffabilem gloriam vnionis beatificæ ad DEVM. Ad quid adhuc? Dico tibi rursùs, quòd ad hoc, vt iste primogenitus omnis creaturæ, diffundat & dispenset ineffabiles gratias, in omnes creaturas rationales, sicut ipse præ omnibus & pro omnibus suscepit eas summas, sinè vllo merito, ex eo solùm, quod natura humana vnita est personæ Verbi: Quia, vt loquitur Doctor, vbi suprà, §. Respondeo &c. *Tanta gloria non fuisset sibi conferenda, si non esset vnita, sicut modò collata est.* Ad quid insuper? Dico tibi resolutoriè. Quòd ad hoc, vt ipsa natura assumpta, supplendo defectum omnium creaturarum producibilium, & præsertìm intellectualium, quæ DEVM de condigno glorificare non possunt, operationes Diuinas in se excellentèr percipiat, DEO fidelissimè deseruiat, & eum honore condigno glorificet, ita quod etiamsi deficeret & in nihilum abiret vtraque natura intellectualis, tam scilicet Angelica, quàm Humana, adhuc DEVS à naturâ assumptâ à Verbo, simplicitèr honoraretur, & magis quàm ab istis ambabus. Hæc igitùr omnia, in primogenito omnis Creaturæ Deo homine prædefinito, complenda, destinauit & definiuit Deus.

25. Porrò. Quià Christus, in caput creaturarum omnium & præsertìm intellectualium, à Deo destinatus, Homo verus futurus prædefinitus est, ex animâ videlicet rationali, secundùm D. Athanasium in symbolo, & humanâ carne subsistens; & ratio capitis ab eo, vt Christus est, est omninò inseparabilis; quæ in eo consistit, vt in eo & per eum, tota creatura intellectualis inseratur in Deum, mediante conceptu eius virgineo de Matre Virgine, à quâ carnem accipere, & esse Filij hominis acquirere, eum oportuit, quod, si immediatè à Deo produceretur per Creationem absq; Matre, habere non poterat, ideò in eodem omninò signo, quo Christus prædefinitus est esse homo, etiam prædefinitus est esse filius hominis, atque ita prædefinita est statim & hæc Virgo Mater eius ad futuritionem, tanquam ens intrinsecè concernens humanam naturam Christi, primogenitam omnis creaturæ; quod etiam Ens, scilicet Virgo Mater, propterea dicitur in Sacrâ Scripturâ, primogenita antè omnem creaturam, sic intetelligente ipsâmet Ecclesiâ hæc verba de Maria.

26. Et quòd pertinebat ad Christum, quatenùs erat caput totius creaturæ, vt esset Filius hominis, ipse manifestauit Christus, qui actus suos à se vt à capite in Ecclesiam procedentes, sæpiùs contestatus est procedere ab eo, ideò, quia Filius hominis est; Tales autem actus sunt, dare cibum Eucharisticum producentem ad vitam aternam: Judicium facere finale: Pretium pro toto genere humano captiuo soluere: & multi similes. Quos actus se peragere, testatur Christus, non quâ Deum, sed quâ hominis Filium, vt Matth: 25. *Cùm venerit Filius hominis in sede Maiestatis suæ.* Et Matth: 25. *Tunc videbitis Filium hominis venientem in nube.* Et Joan 5. expressiùs:

pressiùs. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* Et Cap: 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Et. *Oportet exaltari Filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, &c.* Ergò si Christus quà mediator & caput creaturæ intellectualis, Filius hominis est, sequitur quod ille homo cuius Filius futurus erat, immediatè & simul cum eo definitus est, antè omnem aliam creaturam, in adiutorium capiti creaturarum; iuxtà illud Gregorij Nysseni Hom: de Natiuitate Christi. *Decebat, vt qui in vitam humanam introibat, vt homines integros incorruptosq́ue seruaret, ab incorruptâ sibi deseruiente integritate, initium duceret.* Ista autem incorrupta integritas deseruiens Christo, est Virgo Maria ipsi identificata, & consubstantialis. Identificata inquam, quia secundùm Petrum Damianum serm: 1. de Natiuitate Mariæ: *Isti Virgini Matri, inest DEVS identitate, quia idem est quod illa, & cum illâ vnius naturæ habet identitatem, quia tali modo DEVS Virginem induit, & in Virgine indutus est, vt meliori non posset.* Consubstantialis verò; quia secundùm Ammonium in Cathenâ Græcâ, ad Cap: 3. Joan: *Si Mariæ, caro animata, fructus quoq́ue eius ipsi ὁμοούσιος consubstantialis, neq́ue phantasma, aut aliud quidquam à Genitricis carne diuersum, carnem Verbi putes.* Habemus ergò, in prædefinitione Dei, iam primogenitum omnis Creaturæ Filium Hominis, cum suo immediato sibi, imò secum in eâdem Dei præuisione simultaneo adiutorio simili, Virgine Matre, itidem primogenitâ antè omnem creaturam.

27. Jam sequitur in tertio præuisionis Diuinæ signo, tantæ Maiestati congrua familia. Decuit enim gloriosum istum Regem Christum, & gloriosam Reginam Matrem eius, habere suæ gloriæ competentem familiam, & decentem comitatum ex creatis naturis intellectualibus; hinc in isto tertio signo prædefiniti sunt Angeli, prædefiniti homines, & in horum gratiam, cælum, terra, aquæ, plantæ, herbæ, animalia, paradysus &c. ita quòd in isto summo angulari lapide Christo, omnis ædificatio construenda in Templum Sanctum Domino, in Spiritu Sancto, vt loquitur D. Paulus, decreta est. Hæc est ergò causa prædefinitionis æternæ omnium creaturarum producibilium; scilicet gloria sanctissimæ Trinitatis, & Gloria Christi; iuxtà illud Apostoli 1. ad Cor: 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem DEI.*

28. Cùm igitùr venit illud tempus beneplaciti Dei, quo Deus hæc quæ ab æterno prædefiniuerat, in re ipsâ fienda voluit, subitò apparuit cælum, terra, aqua, refulsitque lux, ac cælum repletum est Angelis, aqua piscibus, terra animalibus, iuxta quòd dietim describit Moyses Gen: 1. Angelos autem creatos esse primo die, omnium fermè SS. Patrum conuincit authoritas.

29. Enimverò cùm Deus non possit voluntatem creaturæ intellectualis facere impeccabilem per naturam, vt docent vnanimitèr Theologi; & Angeli ex dono creationis acceperint intellectum & voluntatem, quibus

bus possent vti ad meritum vel demeritum suum, oportuit eis dare obiectum, circa quod mereri possent, & consequentèr glorificari, vel etiam peccare, & ità damnari: quod obiectum non aliud eis datum est, nisi Christus, caput & origo salutis, in quo oportet omnes saluos fieri. Itaque ab initio statim creationis Angelorum, reuelauit eis Deus futuram incarnationem Filij sui, illuminando scilicet eorum intellectum per fidem de hoc, quod velit esse Christum vnicum & vniuersalem mediatorem inter se & intellectualem creaturam, quæ nullo modo per se valet deificari, & consors diuinæ naturæ fieri, nisi in isto Christo mediatore. Cuius ratio est. Quià nec Angelica nec humana natura, aliquod pondus æqualitatis iustitiæ habere possunt, ad illud præmium infinitum, quod est Deus, nisi fulciantur merito JESV CHRISTI, quod solum habet in se coram Deo rationem condigni, vt acceptetur pro alijs, Deo sic ordinante, vt sicut Christus secundùm diuinitatem habet in se rationem vniuersalem præmij, ità secundùm humanitatem, habeat in acceptatione diuinâ rationem vniuersalis meriti, ità vt quicunque credat, & speret in eum, eius merito saluus fiat, siuè ille sit Angelus, siuè homo. Ex hâc igitur illuminatione, aliqui Angeli fidelitèr perceperunt, dignum esse subijci Filio DEI, & vero homini Christo; Aliqui verò ex vi suæ naturæ tam perfectæ creatæ, existimarunt se posse consequi beatitudinem; & sic peccauerunt, inordinatè volendo sibi bonum, amore concupiscentiæ; iuxtà Doctorem Subtilem in 2 dist: 6. q. 2. Illi verò qui boni permanserunt, per prædictam illuminationem cognoscentes voluntatem diuinam de Incarnatione Christi, & quòd ista assumptio humanæ naturæ, iustitiæ & misericordiæ plena esset, essentientes Deo & Christo eius, meruerunt participare merita Christi venturi, per quæ assumpti sunt statim ad fruitionem gloriæ, hâc certitudine pleni, quòd naturam, gratiam, & gloriam adepti sunt per Christum, quem statim adorauerunt. Verissimè ergò pronunciauit Doctor noster in 3. dist: 7. q. vnicâ, quòd maior est gloria animæ Christi, quàm omnium animarum redimendarum, gloriæ, imò etiam Angelorum, licet id expresè non dixerit ipse. Quia in gloriâ animæ Christi coæuâ illi, omnes aliarum creaturarum intellectualium gloriæ, sunt inclusæ, & in vi meritorum eius, à DEO ab æterno acceptatorum pro nobis, (ipse enim Christus sibi nihil mereri potuit, respectu gloriæ essentialis) tota creatura intellectualis glorificatur.

30. Si autem quæras. Quomodò prosit CHRISTI meritum, Angelis & hominibus, & quam rationem habeat acceptabilitatis à DEO? Respondeo. Quòd ex ratione intensissimæ charitatis: Sicut enim DEVS, charitas est, teste D. Joanne, ita contulit summam charitatem CHRISTO, seu Animæ eius; ita quòd omnes beati simul iuncti, non possent ex tantâ intensione charitatis, velle salutem animæ, sicut vult CHRISTVS omnium Electorum salutem, nec potest esse tanta dilectio Angelorum & Hominum simul sumptorum ad se inuicem, quanta est dilectio CHRISTI, quâ diligit minimum glorificandum. Quia in CHRISTO est cha-

ritas vt in ipso fonte, in cæteris verò electis, vt in riuulis, de plenitudine istius fontis procedentibus.

31. Si instes. Quomodò meritum Christi, Angelis tunc valebat, quandò nondum erat Christus, nec meruerat? Respondeo, quòd ita, sicut & Patribus in lege veteri antè incarnationem; scilicèt, quatenùs fuit à DEO præuisum. Humanitas enim Christi, secundùm quam omnibus mereri debebat, præuisa est vt vnienda DEO infinito, cui non tantùm omnia loca, sed etiam omnia tempora præsentia sunt; proptereà merita Christi in sic vnitâ naturâ fienda, coëxistebant nunc æternitatis coram DEO, & per hoc ad omnia tempora dilatata sunt.

32. Sed iam redeamus ad Virginem Matrem CHRISTI, per quam vt adiutorium simile, etiam decreuit DEVS distribuere gratias tam Angelis quàm Hominibus, vi meritorum Christi illis debitas. Vndè B. Virgo à SS. Patribus dicta est, Collum in corpore, respectu capitis; Quià vt dicit D. Bernardus: *Nulla gratia venit de cælo ad terram, nisi transeat per manus Mariæ.* Sed accommodatiùs ad rem D. Hieronymus in serm: de Assumpt: B. M. V. *In Christo* (inquit) *fuit plenitudo gratiæ sicut in capite influente, in Mariâ verò sicut in collo transfundente.* Quod explicans S. Bernardinus Senensis, hæc aurea verba protulit, serm: 61. de Relig: Christianâ art: 1. cap: 4. *Sicut per collum, vitales spiritus à capite descendunt in corpus, sic per Virginem, à capite Christo vitales gratiæ in eius corpus mysticum transfunduntur. Vndè iste est ordo influxus Diuinarum gratiarum; vt priùs à DEO defluant in Christi animam benedictam, deindè in Animam Virginis Matris, indè in Seraphim, & in alios sanctos ordines Angelorum, demùm in Ecclesiam militantem; Cùm enim tota natura Diuina, totum esse & posse, scire & velle Diuinum, intrà Virginis vterum extiterit clausum, non timeo dicere, quod omnium gratiarum effluxus, quandam iurisdictionem habuerit hæc Virgo, de cuius vtero, quasi de quodam Diuinitatis Oceano, riui & flumina emanabant omnium gratiarum.* Hæc D. Bernardinus. Tùnc ego. Sed si ità est cum Virgine in executione, non est dubitandum, quòd ità decretum fuerat fore in diuinâ intentione; Ergo à Virgine Matre non est sarcenda ratio adiutorij similis Christo; atque ita, sicut Christus quâ caput totiu creaturæ, à casu in Adamo immunis, ità & hæc Virgo Mater, quæ est adiutorium simile illi, omninò expers istius noxæ, censenda est. Maximè, cùm post hæc omnia, peccatum Adæ præuisum sit in quarto dem um signo, quod vt posterius, sicut Christo filio Virginis, ita nec ipsi Matri Virgini, nocere potuit. Vndè vt hoc clarè elucescat, ostendendum est, Virginem Matrem, nullo modo pertinuisse ad Adamum, in ratione Filiæ eius. Pro quo sit.



RE-

RESOLVTIO TERTIA.

DEIPARA VIRGO non fuit Filia Adæ in Conceptione suâ, nec Adam respectu eius fuit Pater; proindè expers est peccati Adæ.

1.

SIcut duobus modis contingit loqui de Conceptione Virginis DEIPARÆ, vt aduertit Doctor Subtilis in 3. dist: 3. q. 1. sub ipsum finem: Vel vt dicit commixtionem seminum; Vel vt dicit compositionem naturarum, quæ fit in ipsâ animatione; ità & duplex oritur difficultas, de immunitate eiusdem Virginis ab originali peccato, in suâ conceptione. Prima. An B. Virgo ex vi in naturâ suæ propagationis, per commixtionem ordinariam seminum factæ, concepta sit sinè peccato originali? Secunda. An B. Virgo in primâ illâ sui animatione, per gratiam Christi tunc acceptam, sit præseruata à peccato originali, in quod aliàs omninò incidisset ex vi propagationis suæ, si non fuisset præuenta gratiâ Christi?

2. Et quidem hanc secundam iam Doctor noster & eius discipuli, multique alii doctissimi viri, in rem Deiparæ Virginis resoluerunt, nec de hoc videtur esse iam controuersia in Ecclesiâ, cùm omnes fermè vnanimitèr fateantur, præseruatam esse Virginem gloriosam, ne inquinaretur peccato originali, per infusionem gratiæ gratum facientis, æquiualentis iustitiæ originali in animam eius, tunc dum condebatur, & corpori vniebatur: & in hoc etiam D. Thomas Doctor Angelicus absque dubio consensit, vt multi ipsius discipuli ex varijs ijsque apertissimis locis suæ doctrinæ probant, & nos Resolutione primâ huius Decadis deduximus.

3. Ast in priori difficultate, omnes antiqui Doctores, & etiam D. Thomas, imò & ipse Doctor Subtilis, sunt Virgini Matri contrarij, qui etiam nec ipsum Christum volunt à peccato originali excipere, si fuisset conceptus de viro & muliere, seminantibus cum libidine, & multò minùs Virginem, quam supponunt sic seminatam; hinc ortum duxerunt illæ quæstiones, quas ipsi negatiuè resoluebant: An videlicet B. Virgo fuerit sanctificata ante conceptionem carnis, seu in Parentibus? Et hanc proponit Alensis 3. p. q. 9. Memb. 2. a. 1. An B. Virgo sanctificata fuerit in conceptione actiuâ, antequam conceptio actiua carnis eius finiretur, id est, in ipsô concubitu matrimoniali? Et hanc dedit D. Thomas in 3. dist. 3. An cum

B. Virginis fuerit sanctificata, antè animationem? Quam attulit D. Bonaventura in 3tio dist. 3. & affirmatiuè in rem VIRGINIS resoluit. Et multæ similes, quas videre est apud Authores, Alensi & D. Thomæ coæuos, vt apud Argentinatem in 3. dist. 3. q. 1. & alios. Quid autem in nostrâ sententiâ de his quæstionibus sit sentiendum, necesse est aperire; vt simul appareat, VIRGINEM, etsi sit seminata à Parentibus, non fuisse tamen maculatam, etiam secundùm carnem, nedum secundùm animam, ab Adæ peccato, nec fuisse illius Filiam; de quo per sequentia dicta sermo erit. Igitur.

4. Dico primò. In actu conceptionis Virginis Matris, quatenùs dicit commixtionem seminum, vterus D. Annæ sterilis, digito DEI apertus, semen decisum à Ioachim marito, vnâ cum suo semine, ratione vacui attraxit, quæ semina in concauo vteri D. Annæ, exactè sunt commixta. Nec in hoc est disparitas conceptionis VIRGINIS, à conceptione aliorum Adamicorum. Ostenditur hoc: Quia Ecclesia & SS. Patres, vnanimitèr docent, Beatam Virginem ex copulâ maritali Joachim & Annæ conceptam esse. Vndè D. Damascenus Orat: de Nat. B. M. inquit. *O beatum par Ioachim & Anna, vt DEO gratum erat, & dignum eâ, quæ à vobis orta est, vitæ vestræ rationes instituistis, castè enim & sanctè munere vestro functi, Virginitatis thesaurum produxistis.* Sanctus quoque Epiphanius Orat. de laud. Virg. ait. *De radice Iesse, ortus est Rex Dauid, & de tribu Regis Dauid, sancta Virgo, sancta inquam, & SS. Parentum Filia, cuius Parentes fuerunt Ioachim & Anna.* Ecclesia etiam tota, Festa D. Ioachim & D. Annæ Parentum VIRGINIS, solennitèr colit; quod faciens protestatur ipso facto, se istos duos agnoscere pro progenitoribus DEIPARÆ, saltem semina sua ad eius conceptionem passiuam conferentibus. Ergò &c.

5. Imò hoc omninò oportet dicere. Cùm enim CHRISTVS venerit restaurare quod erat in nobis corruptum; restaurare autem non potuit, nisi vetus nostrum in se saltem quoad similitudinem assumendo, & illud per crucem & mortem destruendo, ac nouum per resurrectionem restituendo; oportuit VIRGINEM MATREM, de quâ carnem sumere volebat, de antiquo aliqualitèr participare semine, vt ita nostrum vetus, mediante eâ in CHRISTVM insereretur, & in nouitatem reduceretur. Ita docet Tertullianus lib. de carne Christi cap. 17. dicens. *Nouè nasci debebat, nouæ natiuitatis dedicator; hæc est natiuitas noua, dùm homo nascitur in DEO, in quo homine DEVS natus est, carne antiqui seminis susceptâ, sine semine antiquo, vt illam nouo semine, id est, spiritualitèr reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam.* Hæc Tertullianus. Debuit ergò caro Virginis Matris Christi esse ex semine antiquo, saltem inchoatiuè, idque stante lapsu Adæ, quia vt idem Tertullianus ibidem infert; *Indè prodeundum fuit CHRISTO ad salutem hominum, quò homo iam damnatus intrauerat.* Et meritò sanè. Sicut enim Christus Dominus, qui Adamo non peccante venisset impassibilis in carne spirituali, stante Adæ lapsu, iam venire debuit in carne passibili, & quasi Adamicâ, ita & Virgo Mater eius, quæ aliàs fuisset non de semine antiquo, debuit habere carnem ex semine antiquo, licet sine peccato, & omni maculâ, vt ipsam Christus sumeret passibilem, &

pœnalitatibus obnoxiam, eâ saltem ratione, quòd sit ex semine antiquo inchoatiuè.

6. Prætereà. Apostolus ad Rom. 1. dicit. Christum factum esse ex semine Dauid secundùm carnem; Sed hoc non posset dici, nisi Virgo Mater eius, de quâ sumpsit carnem, fuisset saltem inchoatiuè ex semine Parentum à Dauide, per lineam generationis, nedum inchoatiuè sed & completiuè descendentium. Ergo &c. Porrò ne aliquis indè inferat, VIRGINEM eo ipso esse Filiam Adæ, & obnoxiam peccato ex vi suæ propagationis, quòd scilicet caro eius, ex commixtione seminum surrexerit inchoatiuè, modo omnibus Adamicis communi. Ad excludendum istam illationem.

7. Dico secundò. Actus ille coniugalis Parentum B. Virginis, quo cooperabantur ad conceptionem tantæ prolis, fuit ita & talibus circumstantiis circumstantionatus, vt nullus fœditati alicui relictus fuerit locus. Et ex hoc est summa disparitas conceptionis Virginis, à conceptione aliorum Adamicorum, etiam in vtero sanctificatorum. Hic iam ipsa B: Virgo pro se loquatur: ita enim in reuelationibus S. Birgittæ lib. 1. cap. 9. informat de hoc præfatam S. Birgittam. *Pro certo dico tibi, quòd ex charitate diuinâ, & ex verbo Angeli nunciatis, conuenerunt carne Parentes mei, non ex concupiscentiâ aliquâ voluptatis, sed contrà voluntatem suam, ex Diuinâ dilectione, & sic ex semine eorum, per diuinam dilectionem, caro mea compaginata est.* Hem quantæ circumstantiæ illius actus, quas postea in rem immaculatæ conceptionis expendemus.

8. Modò sanctos Patres pro Virgine loquentes audiamus, quorum primus Nicephorus lib: 1. cap: 7. *Virgo* (inquit) *ex membris senilibus, & longè à naturæ feruore alienis, tanquam quidam diuinitùs datus fructus, producta est.* Secundus D. Damascenus Orat: 1. de Natiu: B. M. *O Beatos Ioachimi lumbos, ex quibus prorsùs immaculatum semen fluxit.* Tertius S. Ildephonsus serm: in Nat: B. V. *Maria Virgo non sic est nata, sicut solent pueri vel puellæ nasci, sed de Annâ sterili, & Patre iam sene; extrà consuetudinem mulierum post refrigescentem iam calorem, & sanguinem iam tepidum, & omnem amoum libidinis discessum, mundo corde & corpore, ab omni pollutione carnali, orta est.* Non loquitur autem D. Ildephonsus de pollutione pro decisione seminum sumptâ, hanc enim fuisse concessimus in illo actu, sed de pollutione pro libidinosâ seminatione acceptâ, quæ ab illo actu prorsùs exulauit. Quartus est Petrus Galatinus lib: 7. cap: 8. *Fateor, Sanctum Ioachimum & Sanctam Annam sese coniugalitèr copulasse, ob ardentem tamen deuotionem, vehementemq́ contemplationem, quâ vnanimiter in generationem B. Virginis intenti ambo tenebantur, fomes in illo actu penitus extinctus fuit.* Et rursùs idem. *Tantâ* (inquit) *deuotione se coniunxerunt, vt absq́ libidine & corporis voluptate, Virginem gloriosam Matrem DEI futuram, genuerint: vehementissima enim deuotio, atq́ animi delectatio, omnem corporis voluptatem, concupiscentiam, atq́ libidinem, extinxit.* Quintus D. Hieronymus, in lib: de Nat: B. M. qui inter eius opera extat, & ab eo D. Mathæo Euangelistæ tribuitur, quasi ipse hanc historiam de ortu Virginis hebraicis literis scripserit. Vbi Angelum sic

loquen-

loquentem ad Parentes Virginis introducit. *Cùm DEVS alicuius vterum claudit, ad hoc facit, vt mirabiliùs denuo aperiat, & non libidinis esse quod nascitur, sed Diuini muneris cognoscatur.* Sextus sit D. Petrus Chrysologus, de Parentibus D. Joannis Baptistæ sic loquens; serm: 91. *Elisabeth sanctæ partus non ablatus est, sed dilatus, donec transiret tempus carnis, passio corporis, coniugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum quod humanam confundit, grauat, onerat, conscientiam.* Et paulò infrà. *Denique vbi tota corporis sedata quærella est, & in totum facti sunt sine quærellâ, mox sterilitas fugit, reuiuiscit senectus, fides concipit, parit castitas, nascitur maior homine, par Angelis, tuba cæli, præco Christi, arcanum Patris, Filij nuncius, signifer supremi Regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio gentium, & vt propriè dicam, legis & gratiæ fibula.* Tunc liceat mihi subinferre. Si hæc omnia circumstantionauerunt conceptionem Præcursoris Christi, cùr non potiùs conceptionem Matris? Si ita nascebatur Joannes ex sterilibus, quid Mater ipsa & Virgo, quæ stante Virginitate, concipere & parere debebat Christum? Quâ putatis puritate, actus ille, quo parentes cooperabantur ad Conceptionem tantæ Virginis, nituit, si tantâ splenduit actus parentum Præcursoris? Si par Angelis sic natus est? quid Regina Angelorum?

9. Hinc rectè addidi in hoc secundo dicto, quòd Conceptio Virginis actiua, seù ex parte Parentum, superauit conceptionem quorumcunque sanctificatorum in vtero, etiam conceptionem D. Joannis Baptistæ, puritate. Quià in conceptione actiuâ D. Joannis, notat D. Ambrosius interuenisse libidinem, dùm ponderat illa verba Luc: 1. de Elisabeth prolata. *Post hos autem dies, concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque. Neque enim* (verba sunt D. Ambrosij) *quæ senilem non erubescebat coitum, erubesceret partum.* Si igitùr erubuit partum, signum est quòd erubescebat ob libidinem in senili coitu. Scriptura etiam palàm testatur, ibi ex parte vtriusque parentis, fuisse incredulitatem de tàm serotino conceptu. Vbi autem fuit incredulitas, ibi non potuit esse coniunctio ex charitate, & ex verbo Angeli, qualis fuit coniunctio Parentum Virginis. Etsi coniunctio actiua D. Præcursoris, non exæquat puritatem conceptionis actiuæ Matris Virginis, certè multò minùs exæquauit conceptio actiua Ieremiæ Prophetæ, qui multò fuit inferior Ioanne. Ergò Conceptio Virginis actiua, scilicet quoad actum coniugalem parentum sumpta, superauit excellentiâ & perfectione, ac circumstantijs fidei, charitatis, deuotionis &c. actum coniugalem Parentum D. Joannis, Jeremiæ, & si qui sunt alij in vtero sanctificati. Hinc rectè Fulbertus Carnotensis, serm: de ortu Virginis ait, de S. Annâ. *Verè beata, & omni veneratione habenda Mater Anna, quæ omnium antecèssit Matres, in concipiendo & generando Mariam.* Et de vtroque Parente Virginis, D. Joannis Damascenus Orat: 1. de Nat: B V. *O beatum par Ioachim & Anna, profectò ex ventris vestri fructu, immaculati agnoscimini, quemadmodum Christus quodam loco dixit: Ex fructibus eorum, agnoscetis eos.*

10. Dico tertiò, Nec decisio seminum, nec eorum in vtero D. Annæ

commix-

commixtio, arguunt Virginem, quâ Persona est in naturâ humanâ subsistens, esse Filiam Adæ, vel obnoxiam maculæ originali, etiam ex parte carnis sic conceptæ. Probatur inprimis ex fundamentis illorum Theologorum, qui vt certum supponunt, in statu innocentiæ futuram fuisse propagationem prolis humanæ, per commixtionem sexualem viri & mulieris, mediante semine, sinè concupiscentiâ tamen. Et inprimis, ceù Scotista, produco Doctorem Subtilem in 2.dist: 32.vbi ait. *Sed hic facit dubium, authoritas Augustini de fide ad Petrum, quam adducit Magister distinctione hâc; Quæ sonat, quòd istam maculam non transfundit propagatio, sed libido; Ergò videtur, quòd non ex hoc solo, quòd iste est filius naturalis Adæ, est sic tali peccato obnoxius, sed ex hoc, quòd est Filius Adæ libidinosè propagatus, iste contrahit peccatum originale. Respondeo. Si fuisset propagatio in statu innocentiæ, non fuisset peccatum originale contractum, & tunc fuisset omninò sinè libidine, quià propagantes habuissent iustitiam originalem. Nunc autem quæcunq; propagatio communis, libidinosa est; & ista igitur, quia maculosa est, maculat prolem, non autem quia propagatio; quià propagatio non est medium inter parentem & filium, per quod filius maculetur secundùm illam absolutam rationem propagationis, quæ fuisset in statu innocentiæ, sed ex carentiâ iustitiæ originalis in propagantibus, quam carentiam consequitur libido.* Hæc Doctor Subtilis. Vbi apertè docet, non ex ratione propagationis, contrahi originalem maculam in carne, vel culpam in animâ, nec ex eâdem ratione propagationis, haberi Filiationem Adæ, in ordine ad contrahendum peccatum originale, quatenùs illud debeat resultare in omni personâ propagatâ, eo ipso, quia est Filia Adæ; sed id haberi, ex ratione propagationis communis, libidinosæ, maculosæ, carentiam iustitiæ originalis in propagantibus præsupponentis. Tunc ad propositum. Sed decisio seminum à parentibus Virginis Deiparæ, & eorum in vtero D. Annæ commixtio, non fuit propagatio communis, sed valdè specialis, nec etiam fuit libidinosa, nec consequentèr maculosa, vt ex Patribus deduxi: imò probabile est, illos SS. Parentes ad generandam prolem hanc ita per omnia concurrisse, ac Adam & Eua in statu innocentiæ, si fuisset ibi propagatio, Ergò ex hâc parte, Virgo Mater non est Adæ filia, in ordine ad hoc, vt ab eo ex vi propagationis Adamicæ contrahat maculam originalem.

11. Confirmatur. Quià Doctor Subtilis citatâ distinctione §. Ad argumenta tertiæ quæst: &c. ibi. Ad aliud de proximo &c. docet: quòd si Adam non peccasset sed Cain, tunc filij Cain contraxissent originale, non ab Adam, sed à Cain, Ergò cùm bonum sit potentius malo, potuerunt Parentes Virginis, quoad actum decisionis seminum pro immaculatâ hâc prole, accepisse iustitiam originalem, & ita sinè peccato & maculâ originali, Virginis carnem produxisse; Sed in hoc casu, non respexisset Virgo Adamum pro Patre, sed solum proximos parentes, Ergò non fuit tunc Filia Adæ, cùm Adamicè cum libidine genita non sit, sed innocentèr & iustè, quomodò nunquam genuit Adam.

12. Confirmatur iterùm per D. Anselmum lib: de concept: Virg: cap: 13. & sequentibus, ita de Christo resoluente. *CHRISTVS* (inquit)

etsi de massâ peccatrice carnem assumpserit, non potuit tamen contrahere peccatum originale, quia de iusto Patre secundùm diuinam, & de iustâ Matre secundùm humanam naturam, natus est. Sed etiam B. Virgo de iusto Patre & de iustâ Matre nata esse supponitur, qui eam sic genuerunt, quomodò generarentur Filij & Filiæ in statu innocentiæ, Ergò absque maculâ originariâ, tàm quoad carnem, quàm quoad animam & personam, hæc Virgo generata est; nec illi obest commixtio aut decisio seminum præfata, vt potè quæ non fuit Adamica communis.

13. Succedat Doctori Subtili Doctor Angelicus, qui in 2. dist: 31. q. 1. A. 2. sic docet. *Si defectus peccati originalis non traduceretur in aliquem, non posset id contingere, nisi per hoc, quòd natura generantis, perfectè redintegrata esset: non enim potest contingere, vt virtute deficientis naturæ, aliquid in naturâ non deficiens, generetur.* Hæc ille. Tunc ego subsumo. Sed natura generantium proximè Virginem Matrem, perfectè redintegrata est quoad actum generationis, cùm ità genuerint Virginem, sicut genita fuisset in statu innocentiæ, vt potè non Adamicè cum libidine, sed castè ex piæ Charitatis affectu, & singulari dilectione DEI. Vt ipse D. Thomas fatetur in 3. Dist: 3. Quæst: 1. A. 1. ad tertium; vbi hæc ponit verba. *Dicendum. Quod concubitus quo Beata Virgo concepta fuit, meritorius creditur, non per gratiam purgantem naturam, sed per gratiam perficientem personas Parentum.* Ergò &c.

14. Confirmatur. Quià secundùm D. Thomam q. 4. de malo A. 7. ad 4tum. *Originale peccatum contrahitur, per virtutem mouentem ad naturam humanam, quæ est in semine maris, secundùm Philosophum.* Sed nullus negabit, potuisse hanc virtutem mouentem ad naturam humanam, inclusam in semine maris, ità à DEO fuisse dispositam ad mouendum, vt per eam non resultaret peccatum originale in naturâ genitâ. Ergò &c.

15. Confirmatur iterùm. Quià idem in 3. dist: 3. q. 1. A. 2. ql. 3. in fine, ità resoluit. *Dicendum, quòd si per impoßibile ponatur, B. Virginem alium Filium ex carnali copulâ concepisse, ille filius peccatum originale habuisset, non ex Parte Matris, sed ex parte Patris: Si verò ponatur, Patrem pari modo sanctificatum fuisse vt B. Virgo, ille Filius, peccatum originale non habuisset.* Tunc ego. Sed hoc in parentibus Virginem generantibus esse potuit, quæ dicitur à SS. Patribus sancta, & sanctorum parentum filia. Ergò &c. Sed clariùs loquitur in 2. dist: 31. q. 1. a. 2. in fine. *Si DEVS* (inquit) *concupiscentiam habitualem vel radicalem ab aliquo parente tolleret, quod facere potest, tum redintegraret penitùs naturam, & ita geniti, sinè originali nascerentur.* Sed in parentibus Virginis, omnes SS. Patres docent, sublatam fuisse concupiscentiam, etiam radicalem, dùm hanc Virginem genuerunt, Ergò per hoc redintegrata fuit in eis natura; & ita Virgo ab eis genita est sinè originali, nec agnoscit Adamum pro Patre, qui sic nunquam prolem genuit.

16. Aduoco & Doctorem Seraphicum in 3. dist: 12. a. 2. q. 2. cuius hæc est doctrina. *Sicut Christus purificauit operatione Spiritus Sancti vterum Virginalem, sic & purificare & sanctificare potuisset, si voluisset, vim generatiuam in viro*

pariter

pariter & muliere, vt ex eis, sanctus & immaculatus nasceretur, absq́, aliquâ fœditate. Sed DEVS respectu genitricis suæ id fecisse præsumendus est, quod sibi voluisset facere, iuxta illud, quod posteà ipse docuit Matthæi 7. *Omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis;* Ergò de facto vim generatiuam in parentibus suæ Matris ita sanctificauit, quòd estò ibi fuerit copula maritalis, seminumque decisio & commixtio, tamen Virgo indè prodijt sancta & immaculata; atque ita non Filia Adæ, nec peccato obnoxia.

17. Verùm quia hæ rationes falsò innituntur fundamento, scilicet propagationi per copulam maritalem, sinè libidine tamen, in statu innocentiæ; quam nos Decade Primâ omninò exclusimus ab illo statu; ideò alitèr & quidem solidiùs probandum est, Virginem Matrem, estò inchoatiuè sit concepta per copulam maris & fœminæ maritalem, decisionemque & commixtionem seminum, tamen non esse Filiam Adæ, nec obnoxiam peccato, etiam in carne sic seminatâ. Pro quo.

18. Supponendum est ex dictis Decade primâ, Resolutione 3. & 4. nec non 7mâ. Et Decade 2dâ. Resol: 2. Parentes per decisionem & commixtionem seminum, non attingere immediatè prolem in ratione termini generationis, sed solùm producere semen prolificum, dispositiuè agens ad id, quod ipsi deindè vocant suam prolem, licèt reuerâ non sit iam vera & rigorosa proles humana, in naturâ, quæ possit in rigore dici nomine Filij, vel Filiæ, vt Resolut: 2. Decade hâc 2dâ, resoluimus. Quidquid enim in naturâ fit, aut nascitur, (& loquor de naturâ iàm corruptâ) fit & nascitur ex necessitate seminum efficientium, semina autem ipsa, nullatenus operantur, ob scopum similitudinis, sed duntaxat quià sic sunt iussa operari à rerum Domino, qui solus scientias & fines Archeis seminalibus dedit, sibi soli cognitos à priori. Aliòqui semina vadunt, & quorsùm nesciunt, sesque dirigunt quidem, tanquam scientiâ pollerent, sed tamen tendunt per media sibi concessa, ad fines sibi penitus ignotos; proindè impropriè sanè tribuuntur naturæ intentiones, & præfiguntur scopi: quia ista quæ videntur in naturâ ex intentione agere ad certum scopum, non sibi ab initio præfixerunt scopum, tanquam si mente & præscientiâ pollerent, sed solùm ex dono Creatoris, nata sunt se spontè dirigere, & naturalitèr defluere ad fines DEO cognitos. Nihil enim DEO reluctari potest, in quo omnia viuunt, mouentur, & agunt, excepto eo solo, quòd voluit liberum facere; rerum autem semina, cum agentibus intrinsecis in ipsis inclusis, non sunt dotata à DEO libertate volendi, Ergò DEO reluctari nequeunt, imò iuxta beneplacitum DEI agunt, in vnitono amoris, bonitatis, & pacis. Hoc supposito.

19. Ad propositum sic arguo. Ibi non consurgit in genito mediante semine, filiatio Adæ, (prout communitèr modò loquimur de Filiatione in naturâ corruptâ) vbi semina non agunt dispositiuè ad id, quod in naturâ humanâ vt seminatâ Adamicè producitur, ex vi talis suæ seminationis Adamicæ; Sed in Conceptione Virginis Matris, semina decisa non egerunt dispositiuè ad id, quod ex Adamicâ seminatione in naturam hu-

manam introducitur, ſcilicet ad animalitatem ſeu ad animam ſeminalem; Ergò ibi, eſtò fuerit ſeminatio, non tamen ſurrexit Adæ Filiatio. Maior patet ex Reſol: 7mâ. Decadis Primæ. Minor probatur. Quia ſemina deciſa à Parentibus Virginis, in ordine ad procreandam hanc benedictam prolem, debuerunt habere modum agendi cum dependentiâ à DEO, ſic videlicet operando, ſicut iuſſa ſunt à DEO operari; Sed DEVS non iuſſit, imò prohibuit illa ſemina operari diſpoſitiuè, ad animalitatem inducendam in hanc prolem, quæ ſolum ex Adamicâ ſeminatione in naturâ humanâ conſurgit, Ergò in Conceptione Virginis, ſemina deciſa, non egerunt diſpoſitiuè ad id, quòd ex Adamicâ ſeminatione conſurgit in naturâ humanâ. Minor iſta probatur authoritatibus SS. Patrum docentium, Virginem Matrem à manu DEI ſolius eſſe formatam, licèt ijdem SS. Patres indubitantèr aſſerant, Virginem hanc eſſe ſeminatam à Parentibus. Diuus enim Auguſtinus, relatus in officio Immaculatæ Conceptionis, quo vtuntur Fratres minores, ait. *Hanc quam tu deſpicis Manichæe, Mater mea eſt, & de manu mea fabricata eſt.* Idem lib: 5. contrà Hæreſes, in perſonâ Chriſti de Virgine ſic loquitur. *Si potuit Matèr mea inquinari cum eam facerem, potui ex eâ inquinari cùm ex eâ naſcerer.* S. etiam Petrus Chryſologus inquit. *Quam,* id eſt, *Mariam, naſci & vocari Dominam, ipſa ſui germinis fecit & imperauit authoritas.* Serm 142. Eccleſia quoque in hymno O glorioſa, &c. canit. *Qui te creauit, paruulum lactente nutris vbere.* Et in reſponſorio. *Genuiſti, qui te fecit.* Et Arator lib: 1. in Acta Apoſt: *A nato* (inquit) *formata ſuo, mala criminis Euæ, Virgo ſecunda fugat.* Et aliæ authoritates ad hoc ſunt ſexcentæ; Ergò vt hoc vtrumque concordetur, ſcilicet ſeminatio Virginis paſſiua, & eiuſdem à manu DEI productio paſſiua, oportet dicere, quòd Deus fabricans & formans corpus Virginis de deciſis ſeminibus, ſinè libidine tamen, eleuauit auram ſeminum, formatricem organorum corporis, vt ſtatim organizationem talem produceret, qualis congruebat præciſè animæ intellectiuæ, & qualis erat primæ Euæ, antè pomum comeſtum.

20. Declaratur iſtud conſequens. Quià cum dicant SS Patres; Manu Omnipotentis Dei conſtructam eſſe Virginem hanc, & tamen de præuio ſemine Parentum, eo ipſo innuunt, quòd manus Omnipotentis Creatoris, ſic diſpoſuit illa ſemina, ſiuè in ipsâ deciſione illorum abſque libidine, ſiuè iam poſt deciſionem in illorum commixtione, dum ſe per mutuam ſyngamiam complecterentur in vtero D. Annæ, ne actiones ſuas more brutalium ſeminum explicarent, in ordine ad animam ſeminalem ſeu animalem, à Deo vltimò completæ organizationis impetrandam inſtanti, caſtrando ſcilicet illorum actionem quoad hoc, & eleuando auram illorum ſeminum, formatricem organorum corporis Virginei, vt ſtatim procederet ad perficiendam organizationem, in ordine ad animationem, per ſolam animam intellectiuam, qualem organizationem corporis humani, ipſa dextera Dei fecerat in paradyſo. Ergò iam Conceptio Virginis, fuit & de ſeminibus, & de manu Dei, illis ſcilicet ſeminibus ſic agentibus,

bus, à DEO iussa sunt agere.

21. Confirmatur hoc, congerendo multa, quæ iubente DEO cursum naturæ anteuerterunt, retrouerterunt, & aliquando perfectiori termino, subitò coronarunt, producendo scilicet terminum actionis suæ perfectiorem, quam produxissent, si sibi præcisè relicta fuissent. Nam Josue 10. DEVS solem, quem ordinauerat vt nunquam quiesceret à motu suo vsq; ad diem iudicij, prout censuit Magister sent: in 4. dist: 48. fecit quiescere per spacium vnius diei. Imò Isa. 37. eum retrocedere fecit decem lineis, vi ipsius quâ se mouebat antrorsùm, conuersâ retrò, vt se moueret retrorsùm. Si enim tutius est sentire cum D. Augustino Enchiridij cap: 42. vel 43. & lib: 2. super Gen: cap: vlt: quem sequitur Doctor Subtilis in 2. dist: 14. q. 1. in fine, qui ponit cælum animatum, quàm cum D. Damasceno & Græcis Philosophis, ponentibus cælos per assistentes spiritus motores extrinsecos, impelli; iam vis cæli motiua antrorsùm, subitò coagente sibi DEO conuersa est, ad mouendum se retrorsùm, DEO ita iubente. Esaiæ etiam 37. DEVS vitales vires Ezechiæ Regis Iuda in tantum iuuit, vt facultates rectrices vitæ ipsius, quæ iam iam deficiebant, adhuc suauitèr possent regere vitam eius, & sanitatem, per continuos quindecim annos. Imò idem censendus est DEVS facere, coagendo per tot sæcula facultatibus ijsdem vitalibus in Eliâ & Enoch, adhuc in vitâ mortali perseuerantibus, & vsque ad tempora Antichristi perseueraturis. 4. etiam Reg: 6. grauitatem ferri suspendit, faciendo illud in flumine fluitare super aquas. Num: 17. fecit virgam Aaron subitò efflorescere, & germinare fructum pulcherrimum, atque maturum. Jos: 3. Cursum aquarum Jordanis retinuit, imò fluuium retrocedere coëgit. Sap: 19 in fundo maris rubri diuisi, germinare terram varios flores voluit; iuxtà illud: *In mari rubro via sinè impedimento, & campus germinans de profundo nimio, per quem omnis natio transiuit, quæ tegebatur tuâ manu.* Et licèt non desint plurima exempla, tamen cæteris omissis, hoc quod est maximè ad propositum, non silebo, id est, ipsiusmet B. Virginis potentiam generatiuam, quam DEVS iuxtà doctrinam Theologorum, & nostri Doctoris in 3. dist: 4. q. 1. ita eleuauit, vt in instanti, vel saltem in tempore vix perceptibili, naturalitèr tamen quoad rem, & solùm supernaturalitèr quoad modum, Filium conciperet perfectè organizatum. Quis igitùr negabit, idem seminibus Joachimi & Annæ, cum aurâ formatrice corporis Virginei in eis latente, datum esse, vt in tempore satis modico, organizationem perfectam soli animæ intellectiuæ proportionatam, in corpore B. Virginis producerent, absque interuentu dispositionum ad animam seminalem sensitiuam? Certè cùm id SS. Patres absolutè doceant, videlicet B. Virginem DEI manu, ex seminibus tamen parentum, fabricatam, & iste modus explicandi hanc fabricationem, nec potentiæ, nec sapientiæ, nec bonitati DEI, repugnet, maximè exigente talem modum Conceptionis, Virgine Matre CHRISTI; non video, cùr ei aliquis Theologorum eat inficias. Atqui prohibito fundamento respectus Filiationis Adæ, scilicet animalitate in

te in

te in Virgine, ne operantibus dispositiuè seminibus consurgeret, iam ipso facto prohibitus est & respectus Filiationis; Ergô Virgo in suâ conceptione non fuit Adæ Filia.

22. Pro hàc explicatione Conceptionis Virginis, est mecum omnis schola medica, quæ cum suo Principe Hyppocrate docet: *Semina abduci quo nolunt.* Et vt experientiâ constat, vt plurimùm abducuntur in deterius, & vix aliquandò in melius. V. G. Licet agricolæ seminent triticum, tamen ob agri sterilitatem, vel aliquam aliam prauam dispositionem, infelix lolium, & steriles dominantur auenæ, vt ait Poëta, quæ illis loco tritici, metenda & colligenda succrescunt Idea etiam fortis fæminæ prægnantis, perculsæ inopinato terrore ab aliquo bruto, improuisè irruente, abducit semina in vtero conclusa, ne perficiant organizationem corporis humani, quam intendebant vt scopum & terminum suæ actionis, sed eam abrumpendo, conuertit ad formandum deinceps organa corporis illius bruti, quod terrorem subitum & magnum intulit matri: Hinc semiuirales, & monstrosi, conceptus, & partus. Mola quoque secundùm Physicos fit, propter externas incidentias, formatorem spiritum seminis ab actione præcipitantes vel soporantes. Et multa sunt talia experimenta, quæ adstruunt hanc veritatem medicam, quâ asserunt, semina abduci quo nolunt, prout & nos in supponendo docuimus, semina ire, & quorsùm nescire. Si igitùr idea matris perculsæ tantùm potest, in abducendâ vi formatrice seminis à scopo sibi destinato; cùr id ideæ intensæ charitatis, & contemplationis, (quæ secundùm ipsius B. Virginis reuelationem, in vtroque parente eius cum deciderent semina, & maximè in D. Annâ, quæ in hoc deuoto fœmineo sexu, exceptâ solùm vnicâ suâ Filiâ, absque dubio erat deuotissima, DEO etiam tùm potissimùm, cùm generationi tantæ Filiæ ex mandato DEI per Angelum facto incumberent, ideas has promouente, fuit) degenerare debeamus? Quasi scilicet tales ideæ, spiritum formatorem organizationis corporis, in ordine ad animam seminalem, non potuerint abducere, & conuertere ad efformandum corpus innocens, animæ intellectiuæ immediatè proportionatum; DEO præsertim ita actionem illorum seminum moderante, & eleuante, vt tale corpus efformarent suæ futuræ Matri, quale ipsa manus DEI formauerat ex limo, cùm creabat Adamum, vel ædificauerat ex costâ, cùm producebat Euam.

23. Sed vt clariùs hæ rationes appareant, & instantiæ contrà ipsas emergentes, soluantur, sic ad propositum argumentor. Illa persona constituitur in esse Filiæ vel Filij Adæ, quæ prodit ex propagatione Adamicâ, mediante semine concupiscibiliter seminato, & vi seminis dispositiuè agentis, acquirit animam seminalem, animalem, & sensitiuam; ex dictis Resol. 7mâ. Decadis primæ: solùm enim in tali generatione Adam censetur esse Pater, prout potest esse Pater in naturâ humanâ corruptâ. Sed B. Virgo non sic prodijt; exceptâ enim seminum castâ & absque omni sensu libidinis decisione, & in vterum D. Annæ attractione, atque commixtione,

tione, quæ est conceptio materialis tantùm, seu potius conceptionis materia, nihil cæterorum ibi fuit, quia nec concupiscentia in Parentibus, nec organizatio respectu animæ seminalis, nec ipsa animalis anima, seu seminalis, vt posteà solidè demonstrabo. Ergò B. Virgo non fuit filia Adæ in suâ conceptione. Minor declaratur. Quià si aliquid Virgo accepit ab Adamo per proximos parentes, hoc non videtur esse aliud nisi semen, de quo vt de materiâ, ab aurâ eiusdem seminis vitali, corpus eius formaretur naturalitèr; Sed neque ratione seminum à Parentibus seminatorum potest dici talis Persona, quæ sit Filia Adæ, Ergò &c. Minor ista probatur. Quià non sufficit ad hoc vt parentes prolificent mediante semine, corpus & animam seminales, quòd decidant semina, sed requiritur, vt semina decisa in eam, suâ sponte deueniant ad maturitatem, vt possint perficere organizationem, imò perficiant, corporis Adamici, dispositi & proportionati, ad receptionem animæ sensitiuæ, à Deo in vltimo instanti talis vltimæ dispositionis, conferendæ: Sed hoc in B. Virgine non habuit locum; quià decisis seminibus absque omni libidine, omnis sequens operatio, non à naturâ sed à gratiâ seu à manu Creatoris auxiliatrice & cooperatrice, dependit, modo iam declarato, ita vt omnimoda organizatio corporis virginei purissimi, in vtero D. Annæ perficeretur, naturalitèr quidem quoad rem, sed supernaturalitèr quoad modum, quià in tempore breuissimo; (puto enim eodem die quo decisa sunt semina, Virginem fuisse perfectè organizatam, & animatam animâ intellectiuâ solâ, & fortè eâdem horâ, prout Deo cooperanti & eleuanti actionem seminum, placuit) & ad hoc me mouet authoritas Ecclesiæ, festum conceptionis 8. Decembris, & Festum Natiuitatis B. V. 8. Septembris celebrantis, tali enim ordine quem in istis festis obseruat, protestatur, se diem hanc celebrare, quâ semina parentum decisa & commixta, & Virgo ex eis concepta est, quâ die etiam Ecclesia triumphans festum conceptionis primò celebrauit, dicente S. Vincentio Ferrerio Serm: 1. de Nat: B. V. *Non credatis, quòd fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cælo celebrarunt festum conceptionis.* Et per eleuationem actionis seminum, mediante potentiâ obedientiali, eo fermè modo, quo docet Doctor Subtilis in 3. dist: 4. q. 1. perfectam fuisse organizationem corporis Christi in vtero Matris suæ: eleuata quoque fuit aura seminum purgatorum, vt statim ità disponeret corpus, quàtenus capax esset, immediatè animæ intellectiuæ, absquè nubilo animæ sensitiuæ præuiæ; Ergò licet in conceptione B. V. à senili & effæto corpore Parentum, decisum fuerit semen, non effecit semen in Virgine filiationem Adæ.

24. Dices. Sufficit ad esse Filiam Adæ, vt semen prolificum decidatur in locum conuenientem generationi; quod vtique fuit in conceptione Virginis. Respondeo, negando assumptum; non enim semen decisum in matricem dicitur nostra proles, nisi suâ actiuitate producat organizationem per omnia nobis similem; tunc enim solùm id, quòd mediante semi-

ne deci-

ne deciso sic genitum est, dicitur & est nostra proles; proindè mola, monstrum, quod non est homo, estò ex decisò à nobis semine fiant, tamen non dicuntur nec sunt nostra proles, quia semen nostrum aliò per externa & exotica sibi irruentia, vt V. G. per ideas fortes Matris, deuiauit. Quarè & B. Virgo, licet ex semine deciso sit secundùm corpus, non tamen ex hâc solâ ratione est Filia Adæ, quia decisio seminis, non est causa præcisa istius Filiationis.

25. Instabis. Fuit B. Virgo Filia Joachimi, & Annæ, ratione talis decisionis seminum, Ergò fuit & Filia Adæ; quià Ioachim & Anna parentes eius, verè fuerunt Filij Adæ; iuxta illud axioma: Quod est causa causæ, est causa causati. Respondeo; quod Joachim & Anna, vt pote prædestinati ambo, fuerunt Filij Adæ per accidens, iuxta suprà dicta de Prædestinatis comparatis ad Adamum, Resol: 3. Decadis Primæ; cum hoc tamen fuerunt Filij Adæ completiuè, quia in eorum conceptione omnia concurrebant, quæ producunt hominem Adamicum. Beata autem Virgo, fuit solùm Filia Joachimi merè per accidens, & Annæ; per accidens quidem, ratione status pœnalis, quia de semine eius; licet absolutè, per se, loquendo absque respectu ad statum; quia adhuc fuisset Annæ filia, quamuis Adam non peccasset, non tàmen tunc de eius semine, sed de Spiritus Sancti operatione, in Annam vt Virginem; prout dictum est Decade Primâ Resol: 4. Cùm igitùr instans. Virgo fuit filia Joachimi & Annæ, distinguo; inchoatiuè, concedo; completiuè, nego; quia sic à manu DEI fuit fabricata, quatenus Persona. Et cùm infers. Ergò fuit Filia Adæ; nego consequentiam, quia ex filiatione inchoatiuâ, non sequitur filiatio vera, sed ex filiatione tàm inchoatiuâ quam completiuâ, quæ sicut in Virgine non fuit respectu Joachimi proximi Patris, ità nec fuit respectu Adæ Patris remoti. Accipiendo enim conceptionem Virginis completiuam, quâ scilicet Persona subsistens fuit in humanâ naturâ, hæc solùm DEVM respicit, se complentem & perficientem.

26. Inferes. Ergò decisio seminum fuit ibi frustrà, quia caro Virginis potuit formari manu DEI, ex solius Annæ Matris sanguine, vel aliundè. Respondeo, negando illatum: quià B. Virginis erat priuilegium, Gen. 3. promissum illi, quòd ipsa contereret caput serpentis; quod certè caput non intelligo, nisi generationem Adamicam belluinam, quam ille tanquam caput in generis humani propagatione, euexit per stuprum Euæ; Ergò debuit concipi per decisionem seminum, quæ fit in conceptu Adamico, idque inchoatiuè tantùm, vt ità confusibiliùs contereret hoc caput, sic fallendo Diabolum, sicut & CHRISTVS eum confudit & fefellit eò ipso, quòd de desponsatâ natus fuit, teste D. Ignatio Martyre. Ad hoc ergò oportuit D. Annam, semina decisa, sinè libidine tamen, in vterum suum recipere, vt saltem Mater Virginis fieret inchoatiuè, more aliarum matrum, licet absque peccato: quàmuis in rei veritate, natura se solâ in Virginis Conceptione nihil sit operata, sed sempèr habuit nedùm comitem sed & præeuntem se gratiam, id est, gratuitam & liberalem manus Diuinæ auxiliatricis, assistentiam.


27. Hanc de Conceptione Virginis sententiam, videtur tenuisse D. Damascenus, Orat: 1. de Natiuitate B. V. dùm B. Virginem appellauit fœtum gratiæ. Quærit enim ibi sic. *Cur Virgo ex sterili Matre orta?* Et respondet. *Quoniam scilicet oportebat, vt ad id quod solum sub sole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, id est, ad incarnationem, via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora, progressus fieret.* Et describens hunc sublimem progressum, quem DEVS miraculosè peregit in Conceptione Virginis immaculatæ, subdit. *Natura gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens, & quoniam futurum erat, vt DEI Genitrix ex Annâ oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est, verùm tantisper expectauit, dùm gratia fructum suum produxisset.* Atqui ex hoc assertò clarè sequitur, quòd gratiâ DEI producta sit Virgo in suâ conceptione, cooperante scilicet DEO cum seminibus ad organizationem perfectam corporis Virginei, in ordine ad animam intellectiuam præcisè: ex tali autem processu gratiæ, persona concepta, potiùs est Filia gratiæ, quam naturæ, Ergò non Adami, sed DEI. Vndè eo fortè respectu dicitur B. Virgo in sacrâ scripturâ, Filia DEI, vt Psal: 44. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, &c.* & Cant: 7. *Quam pulchra es filia Principis?* Quâ etiam nomenclaturâ eam dignam censuerunt SS. Patres, & præsertim D. Anselmus sic exclamans. *O DEO digna Filia, primigeniæ Matris Euæ correctio!* Angelus quoque ad B. Birgittam Serm: de excellentiâ Virginis cap: 11. hoc confirmat, sic exclamans de Deiparâ. *O virgam ineffabilem, quæ dum in Annæ vtero crescebat, medulla eius in cælo gloriosius permanebat! hæc medulla, persona erat Filij DEI.* Quibus sanè verbis innuit Angelus, quòd medulla istius Virgæ, id est, tota essentia Mariæ, in vtero D. Annæ concepta, hausta est à filio suo de cælo, non verò ab Adamo de terrâ. Et D. Cyprianus Orat: de Nat: accinit dicens. *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis, communibus lassaretur iniurijs, quoniam plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.*

28. Præterea. Pulchrè hanc nostram Resolutionem venantur SS. Patres, ex silentio Sacræ Scripturæ, quo texit Parentes Virginis. Hugo enim Carensis, adducens illud Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiuit Rex speciem tuam, &c.* ait. *Ad literam, vbi texitur genealogia Mariæ,* Matth: 1. *non nominatur Pater eius.* Et Ambrosius Catharinus in 3. cap: Gen. *Ecce* (inquit) *de Beatissimâ Virgine nihil ferè habemus in Scripturâ, nec ex quo Patre, nec ex quâ Matre descenderit, solùm accepimus eam esse CHRISTI Matrem; Id verò multi mirantur; sed magnâ DEI prouidentiâ factum esse, non est dubitandum: ostendere enim voluit Spiritus Sanctus, secundùm quam partem consideranda esset in Genealogiâ Sacratissima Virgo, & non quidem vt habens Patrem & Matrem peccatores, per quos fuerit in eam vllum peccatum transfusum, sed vt existens DEI Mater, vt ab eâ notâ, fuisse præseruatam facilè persuaderemur, & ità profuisset ei DEVM genuisse, vt quòd attinet ad contractionem peccati originalis, non obfuerit ipsi ab hominibus prognatam fuisse.* Quibus verbis, & immuni-

tas Virginis à peccato originali, & paruus vel nullus ad Adamum, qui originalitèr vitiauit naturam, respectus, significatur.

29. Neque hic opponas D. Damascenum lib: 4 cap: 15. vbi vult; ideò non poni in Scripturis genealogiam Mariæ, quia non est consuetudo Scripturæ, ponere genealogiam fæminarum. Quia pace tanti Doctoris, hæc ratio non videtur esse congruens. Si enim Jud: 8. ipsiusmet Judith genealogia legitur in Scripturâ exactè tradita; cùr non texuisset similem genealogiam Mariæ D. Matthæus vel D. Lucas, nisi hoc mysterium suo silentio indigitassent?

30. Si instes. Etiam Melchisedech in Scripturâ ponitur sinè Patre, sinè Matre, sinè genealogiâ, vt aduertit D. Paulus ad Hebræos 7. Et tamen dependet ab Adam vt à Patre, Ergò similitèr & Virgo. Respondeo, quòd istud silentium de genealogiâ Melchisedech Regis & Sacerdotis, ideò factum est in Scripturâ, quia fuit figura CHRISTI, veri Regis & Sacerdotis nouæ legis, & ita voluit Spiritus Sanctus isto silentio ostendere in figurâ, quod futurum erat in figurato, scilicet CHRISTO, qui nequaquam processit ab Adamo, vt à Patre. At B: Virgo non fuit figura, sed ipsa CHRISTI Mater: proindè negatur paritas. Hæc pro nnnc de hoc sufficiant.



RE-

RESOLVTIO QVARTA.

DEIPARA VIRGO, quia inter omnes homines, quà præcisè homines, sola fuit talis homo, quoad corpus, qualem intenderat & creauerat ab initio DEVS, secundùm corpus; ideò expers est noxæ originalis, & fomitis.

1.

VIdetur ipse CHRISTVS hanc Matri suæ VIRGINI toties tribuisse gloriam, quòd ipsa sit inter omnes homines puros, homo ille & talis, quem & qualem DEITAS ab æterno se creaturam ordinauerat, & de facto creauerat in paradyso, quoties se dixit Filium hominis; eo enim ipso palam annunciauit mundo, solam Virginem Matrem suam, esse hominem per anthonomasiam, cui soli competat absolutum nomen dignitatis humanæ naturæ integræ, & incorruptæ, tàm quòad corpus, quàm quòad animam, & totam naturam.

2. Hinc SS. Patres B. Virginem solam hominem esse fatentur. Sanctus enim Ildephonsus de Virg: Mariæ cap: 11. sic ait. *Propter duarum naturarum proprietatem, in vnitate Personæ connexam, DEI & Hominis, vnius CHRISTI, hæc sola Homo Mater est & Virgo.* Nota ly hæc sola homo. Anselmus quoque in Epist: ad Hebræos Cap: 2. *Omnes* (inquit) *alij sunt Filij hominum, quià originem habent ex coniunctione duorum, sed CHRISTVS filius est solius hominis, quià sinè carnali Patre natus est de Virgine; & ideò magnum quid & incomparabile est apud DEVM;* supple, hæc Mater CHRISTI. Expressiùs Joannes Cantacuzenus Apolog: 3. *Credimus* (inquit) *& confitemur, quòd Mariæ similis homo natus non sit, nec posthac ex Viro & muliere nasciturus, vsq; ad consummationem sæculi.* Idiota etiam in contempl: Virg: cap: 4. ait. *Inter omnia opera æterni opificis, post operationem illam, quâ naturæ nostræ vnitus est filius tuus, speciale opus fuisti Beatissima Virgo, qui ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.* Ex quibus & alijs sexcentis SS. Patrum testimonijs habetur, quòd si post deformatum hominem, B. Virgo producta est in naturâ non deformata, sed potiùs vt natura in eâ reformaretur, iam Virgo est ille talis homo, qui secundùm primæuam intentionem DEI, in omni integritate & perfectione naturæ, conditus est, tàm quoad corpus, quàm quoad animam. Sed differamus

mus considerationem animæ Virginis ad Resolutionem sequentem, & aliquid hîc de corpore eius immaculato atque purissimo, in medium proferamus. Et

3. Jnprimis certum esse debet apud Catholicos, quod pars illa purissimi sanguinis arterialis B. Virginis, in quâ primò à Spiritu Sancto sigillata fuit anima CHRISTI, & de quâ caro CHRISTI formata est, ob quam & per quam CHRISTVS cum hâc Matre, & hæc Mater cum CHRISTO, habent consubstantialitatem, & identitatem ad inuicem, & ratione cuius CHRISTVS est Virginis filius, iuxtà dicta suprà, est indissolubilitèr diuinitati copulata in CHRISTO: & quidem ita indissolubilitèr, quòd DEVS humanitatem dimiserit in triduo mortis CHRISTI, carnem autem quam de Virgine hâc sumpsit, nunquam; quod pius ille venerator Virginis D. Bernardinus Senensis aduertit, serm: 61. de Relig: Christ: a. 1. ita fatus. *Et vt expreßiùs magnificem illam dignißimam & beatißimam carnem de Virgine gloriosâ decisam, dico: quòd tantâ infinitate nobilitatis eam dignificauit Altißimus, quòd cùm esset veri hominis caro, dùm viuebat IESVS, formam hominis posset perdere, DEI autem nequaquam; non enim erat verum dicere de corpore exanimi CHRISTI; hoc corpus est homo: & tamen verùm erat dicere, hoc corpus est DEVS.*

4. Quod ille videtur hausisse à D. Augustino; qui serm: 4. de Assumpt: B. V. sic argumentatus est. *Si igitùr naturâ matris est Filius, conueniens est vt ipsa sit & Filij Mater, quantùm pertinet ad eandem reciprocam substantiam, vt homo de homine, caro de carne, Mater à Filio, filius à Matre, non ad vnitatem personæ, sed ad vnitatem corporalis naturæ, & substantiæ: Si enim vnitatem potest facere gratia sinè proprietate specialis naturæ; quantò magis vbi gratiæ vnitas, & corporis est specialis natiuitas?* Vbi (vt vides) D. Augustinus concarneitatem CHRISTI cum MARIA agnoscit, prout ibidem clarè concludit, dicens. *Caro IESV, caro Mariæ est.* Tunc pro Resolutione nostrâ liceat sic vrgere. Si caro Virginis in suâ origine infecta fomite, & maculata carnalitate Adamicâ, cùm huius carnis portio, CHRISTI carnem constituerit in esse, sequeretur vnum inconueniens, scilicet aliquid maculatum & infectum, & propter hoc DEO abominabile, esse DEVM. Atqui hoc aures abhorrent fidelium, Ergò ne hoc fateri cogamur, potiùs Virginis caro in suâ conceptione, talis fuisse censenda est, qualis fuit in Euâ Virgine, antè peccatum.

5. Nec iuuat euadere, dicendo illam carnem priùs fuisse emundatam à fœditate, quam assumptam à Verbo. Quia sic dicendo, admittis aliquandò fuisse in hâc carne fœditatem Adamicæ carnalitatis, quæ modò est in Verbo, quod sanè habet magnæ indignitatis rationem ad assumptibilitatem à Verbo, quod adhuc fuisset homo mundissimus, absque isto respectu ad præteritam maculam carnis à se assumptæ, si Adam non peccasset; cùr igitùr modò, stante Adæ lapsu, absque hoc respectu ad præteritam maculam, caro eius esse non debuit?

6. Porrò quia Decade 1mâ Resol. 5tâ: Homines primos in carne

spiri-

ſpirituali conditos fuiſſe docuimus, eadem ſpiritualitas in carne Virginis fuiſſe, comprobanda eſt. Pro quo adſtruendo, præmitto verba D. Dionyſij Areopagitæ de Diuinis Nom: cap: 9. de DEI operibus in creaturis, ſic loquentis. *Hæc diuina iuſtitia, vt omnium ſalus laudatur, quod ſuam cuiusq; & ab alijs ſolutam & liberam eſſentiam atq; ordinem conſeruet, atque tueatur, cauſaque ſit ſuæ cuiusque rei actionis: ſi quis verò ſalutem etiam laudet, quod omnia à deterioribus conſeruando liberet, & eripiat; hunc etiam nos laudatorem multiplicis variæque ſalutis probabimus, petemusque, vt hanc & primam omnium ſalutem ſtatuat eam, quæ ità omnia tuetur, vt nec in ſe mutentur, nec ſecum diſcordent, nec in deterius peiusque vertantur; & omnia ſine inimicitijs & bello, ſuisque quidq; rationibus deſcripta cuſtodit; omnemque inæqualitatem & alienam actionem, ex omnium finibus exterminat, & ſuum cuiusque modum ità inſtituit, vt in contraria neque mutari poßint, neque transferri. Nec verò hanc ſalutem extrà inſtitutum Sacræ Theologiæ laudauerit, quod ea quæ ſunt, omnia pro ſua conſeruatrice, omnium benignitate à bonorum ſuorum amißione redimat, quatenùs vniuscuiusq; eorum quæ ſeruantur, natura fert. Itàque redemptionem eam Theologi appellant, quatenùs ea quæ verè ſunt, in nihilum recidere non patitur; & quatenùs ſi quid in errorem lapſum ſit, & ab ordine reflexerit, diminutionemque cumuli bonorum ſuorum ſenſerit, id etiam à detrimento, ab imbecillitate, à priuatione, redimit, id quod deeſt ſupplens, paternoque ſtudio imbecillitatem firmans, & à modo excitans, aut potiùs in bono conſtituens, quodque bonum effluxerat, reſarciens, quod in eo inordinatum erat & deforme, diſponens, & ornans, ità vt integrum abſoluat, & ab omni labe liberum dimittat.* Hæc D. Dionyſius. Quæ ideò ad longum deſcripſi, quià valdè myſterioſa ſunt, & noſtro propoſito accommodatiſſima, vt iàm ponderando ſingula patebit. Dicit ergò D. Dionyſius. Diuinam iuſtitiam, pro tantò eſſe omnium ſalutem, pro quantò ſuam eiuſque, & ab alijs ſolutam & liberam eſſentiam, atque ordinem, conſeruat atque tuetur. Imò ſubdit infrà, hanc eſſe primam omnium ſalutem. Diximus autem ſuprà loco citato, ità perfectam eſſe creatam naturam humanam à principio, quòd cùm ab hoc pœnali ſtatu, in quo corpus animale ſuo vitio habet, transmigrabit in ſtatum gloriæ, in quo habebit deinceps corpus ſpirituale, iuxtà Apoſtolum 1. ad Cor: 15. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpiritale;* nihil illi nouum, neque ex parte animæ, neque ex parte corporis, addetur, ſed ſolùm impedimenta ex ſcientiâ pomi orta, naturam humanam modò aggrauantia, auferentur; Atqui decebat hanc Diuinam iuſtitiam, quæ vt omnium ſalus laudatur, vt ſtante lapſu naturæ, ſaltim in vnico indiuiduo naturæ humanæ, talem ſalutem faceret, quòd illud indiuiduum, ſuam & ab alijs ſolutam ac liberam haberet humanam eſſentiam, illumque ordinem retineret, quem natura humana primitùs acceperat ex dono creationis, Ergò ſaltem ab æterno in Matrem ſuam electæ Perſonæ, id hæc Diuina iuſtitia conferre tenebatur, ſi primam hanc & perfectiſſimam ſalutem erga aliquem, eam operari oportebat; Sed hoc ſtante, iam ſequitur, Virginem glorioſam debuiſſe gaudere corpore immuni ab omni carnalitate,

quæ surrexit ex pomo vetito in naturâ, præter eius essentiam; Ergò de facto habuit corpus spirituale, ab omni fomite & concupiscentiâ ac fœditate, immune.

7. Confirmatur. Quià secundùm D. Dionysium, hæc est omnium prima salus, à Diuina iustitiâ procedens, ità scilicet omnia tueri, vt nec in se mutentur, nec secum discordent, nec in deterius peiusque vertantur, ac omnia sinè inimicitijs, & bello, suis rationibus descripta, custodiantur, omnemque inæqualitatem & alienam actionem, ex suis finibus exterminent, & suum quodque modum ita instituat, vt in contraria neque mutari possit, neque transferri; Sed si Virgo gloriosa habuisset corpus carnale, quale ab Adamo in nos transfunditur, iam natura humana in eâ esset in se mutata, & in deterius ac peius versa, discordijs internis & inimicitijs, ac bellis repleta, inæqualitate & alienis actionibus importunis, turbata, contrarijsque scatens, saltem quoad actum primum, estò istæ discordiæ & inæqualitates non exirent in actum secundum, ob frenum & ligamen quasi superadditum. Decebat autem diuinam iustitiam, vt primam hanc salutem largiretur suæ Matri, quam largita erat ex dono creationis, suo seruo, scilicet Adamo, Ergò &c.

8. Confirmatur secundò. Quia nos modò, iuxtà Apostolum ad Rom: 8. *Expectamus redemptionem corporis nostri*, vt scilicet de hâc seruitute carnalitatis, quæ nos præmit, in resurrectione liberemur totalitèr; Atqui Mariam oportebat id ex vi suæ conceptionis habere statim, quod nos expectamus, Ergò habuit. Minor probatur. Quia CHRISTVS gloriatur se messuisse myrrham suam cum aromatibus suis, Cant: 6 iuxtà autem Guillelmum Abb. in Cant: *tunc Myrrham hanc CHRISTVS messuit, quando carnem in quâ pro nobis mereretur, assumpsit, messuit autem cum aromatibus, quia metendo myrrham illam, & aromata simul messuit, quia in hâc carne erant aromata eius, scilicet Vita, Salus, & Pax.* Et subdit. *In carne illâ prædestinatâ ad opus redemptoris, causalitèr vt sic dicam, latebat omnis efficacia redemptionis.* Si igitùr nostræ redemptionis ab istâ carnalitate, tota efficacia latebat in carne Virginis; Ergò hanc carnem oportebat ex vi suæ conceptionis id non habere, à quo nos redimi debuimus, & totalem redemptionem expectamus. Adde. Quòd si in carne Virginis, Vita, Salus, & Pax, Ergò ibi nulla habuit locum carnalitas, ex quâ infirmitas, mors, & pugna continua. Accedit. Quòd si nos redimimur redemptione corporis nostri subleuatiuâ, vt potè in errorem lapsi, & ab ordine deflexi, totique inordinati, & deformes effecti; decebat esse aliquem in naturâ primum hominem, respectu cuius, diuina iustitia exercere debuit redemptionem præseruatiuam corporis illius. Et hæc ex consensu omnium Scotistarum, D Virgini reseruata fuit, si CHRISTVS est Redemptor perfectissimus. Ita hoc declarat Doctor Subtilis in 3. dist: 3. Quæst 1. §. Contrà primam rationem &c. Num: 4 vbi dicit. *Perfectissimus mediator, habet perfectissimum actum mediandi, respectu alicuius Personæ, pro quâ mediat; Sed Chri-*

stus

ſtus eſt perfectiſſimus mediator; Igitùr CHRISTVS habuit perfectiſſimum gradum mediandi poſſibilem reſpectu alicuius creaturæ, ſiuè perſonæ, reſpectu cuius erat mediator; Sed reſpectu nullius perſonæ habuit excellentiorem gradum, quam reſpectu Mariæ, Ergò &c. Et hoc probat ibi per longum, vt videre eſt in litterâ eius. Quæ quidem rationes eius, ita benè de redemptione corporis Mariæ, ſicut de redemptione animæ eiusdem, procedunt.

9. Præterea. Doctores ſupponunt cum D. Anſelmo lib: de conceptu Virg: Peccatum originale, ordine generationis & temporis, priùs eſſe in carne, quam in animâ, ideoque carnem infici, quia carnalitèr, ſcilicet per concupiſcentiam, generatur, vt habet D. Th. 3. p. q. 31. a. 7. Et q. 4. de malo. a. 3. Et ijdem Doctores cum eodem D. Thoma 3. p. q. 39. a. 6. ad primum, pronunciant, ideò carnem CHRISTI fuiſſe liberam à maculâ originali, quia conceptio carnis CHRISTI, non carnalis ſed ſpiritualis fuit. Tunc ex his ad propoſitum. Non ſufficit ad veram immunitatem à peccato originali, vt anima alicuius per infuſionem gratiæ præuenientis præſeruetur, nè maculetur à carne, ſed etiam ad hoc requiritur, vt & ipſa caro non permittatur maculari, quatenùs fabricatur propter hanc animam. Sed B. Virgini, tenemur, ſi eſt id poſſibile, tribuere tantam immunitatem, Ergò &c. Sed tanta immunitas tunc conſurgit in aliquo, cuius caro concipitur non carnalitèr ſed ſpiritualitèr: & talem carnis conceptionem, iam oſtendimus conceſſam fuiſſe B. Virgini, per cooperantem manum DEI, Ergò B. Virgo etiam in carne, ſemper fuit immunis à maculâ originali, & conſequentèr caro eius mundiſſima, nihil carnalitatis habuit, ſed tota ſpiritualis fuit.

10. Præterea. 1. ad Cor: 15. de CHRISTO Apoſtolus ait. *Factus eſt ſecundus Adam in ſpiritum viuificantem.* Vbi gloſſa ordinaria. *Verè ſurget corpus noſtrum ſpirituale, quià ſi modò eſt, animale eſt, quandoque autem erit ſpiritale; ſicut enim animales ſumus, quia Pater noſter carnalis, factus eſt in animam viuentem, ſic erimus in reſurrectione ſpirituales, quià Pater noſter ſpiritualis, factus eſt in ſuâ reſurrectione, in ſpiritum viuificantem.* Sed clariùs Tertullianus lib: de carne CHRISTI Cap: 8. *Terrenæ* (inquit) *retrò ſubſtantiæ carnis primi hominis, id eſt, Adæ, cæleſtem de ſpiritu ſubſtantiam opponit ſecundi hominis, id eſt, CHRISTI, & adeò ad ſpiritum non ad carnem refert, vt quos ſic comparat, conſtat in hâc carne terrenâ cæleſtes fieri, ſpiritus ſcilicet; quòd ſi ſecundùm carnem cæleſtis CHRISTVS, non comparentur illi non ſecundùm carnem cæleſtes. Si ergò qui fiunt cæleſtes, qualis eſt CHRISTVS, terrenam carnis ſubſtantiam geſtant, hinc quoq; confirmatur ipſum etiam Chriſtum in carne terrenâ fuiſſe cæleſtem, ſicut ſunt qui ei adæquantur.* Tunc ſic pro noſtrâ Reſolutione. Si CHRISTVS, ideò aſſumpſit carnem, vt noſtram carnem ex Adamo carnalitèr ortam, & ideò nedùm mortalem, ſed etiam mortuam, viuificaret, Ergò caro eius nos viuificans, omninò debuit eſſe ſpiritualis; quià ipſe Chriſtus, de iſtâ carne nos viuificante, Joan. 6. dicit: *Spiritus eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quidquam.* Sed non aſſumpſit hanc carnem

nem viuificantem de terrâ vel de Cælo, sed de carne Mariæ, quæ omninò talis in eo semper perseuerauit, & modò in æternum perseuerat, qualis assumpta est de Virgine; Ergò eadem caro, si in Christo spiritus est, qui viuificat, certè & in Virgine Matre, spiritus fuit.

11. Præterea. Si iuxtà Tertullianum, comparati ad CHRISTVM in carne terrenâ, verè sunt cælestes & spirituales, licet id in mysterio ob fidei meritum, non appareat; Virgo Mater, quæ ei nedùm comparatur vt cæteri, sed etiam æquatur per omnia, carebit spiritualitate in carne suâ? Absit hoc: verè enim caro Virginis spiritualis fuit, sicut & Christi; quod vlteriùs probo.

12. Ex ratione penetrationis. Sicut enim in Christo agnoscimus spiritualem carnem, quòd clauso vtero Virginis prodijt in mundum; ità in Virgine à pari, spiritualitatem carnis venerari debemus, quæ aperta non est, sed clausa permansit, quandò Princeps Christus transiuit per eam. Sola enim penetratiuitas & penetrabilitas sufficit, ad conuincendam Entis sic penetrantis spiritualitatem, iuxta supra dicta Decade Primâ Resolutione qui itâ.

13. Vlteriùs probo. Ex ratione seminis præuij ad corpus. Ea enim est seminis natura, quòd vi suâ actiuâ, etiam in simplicibus elementis, producat grossitiem, & soliditatem; Vndè Entia seminalia, id est, vi seminum orta, licèt ex solâ aquâ simplici sint, tamen dura, grossa, & solida, euadunt, ita iubente vi seminali; Hinc lapides, metalla, arbores crassæ & densæ, quæ tamen nonnisi aqua sunt, quam eodem pondere exhibent de se, detractis solùm per artem seminalibus fermentis. Idcircò natura humana quoad corpus, in Paradyso non de semine formata, erat tota spiritualis, spiritu sydereo & astrali constans; quandò autem acquisiuit semen per fermentum pomi, vt diximus, tota in molem corpoream grauantem se, qualem modò habet, abijt. Atqui B. Virgo iuxta dicta suprà, licèt inchoatiuè secundùm carnem orta sit à semine, tanquam à termino à quo, non tamen completiuè, sed potiùs tota manu DEI est fabricata, castratis seminibus illis, ne secundùm sibi proprium fermentum seminale, quidquam in carnem Virginis inducerent; Ergò B. Virgo merè spiritualis prodijt secundùm carnem, & talis qualis Eua de Adæ costâ prodijt, absque omni fermento seminali, in Paradyso. Hinc Gilbertus Abbas serm: 16. in Cant: ad illud Psalmi 62. *In terrâ desertâ, & inuiâ, & inaquosâ, sic in sancto apparui tibi;* dicit. *Caro Virginis terra deserta, & inuia, & inaquosa, in quâ Christus apparuit. Quare? quia in eâ semen Adamicum, suam carnalitatem non produxit.* Et D. Bernardus serm: 20. in Cant: felicitatem carni Virginis tribuit, in illud Cant: 3. *Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua;* sic fatus. *Felix caro, quam sibi Christus non quasi carcerem, sed quasi coronam assumpsit, quæ fuit ornamento non oneri; veritas enim carnis in Christo, peccato victricem palmam aduexit; benè ergò quasi diadema accipitur corpus immaculatum, corpus triumphi, corpus honoris & gloriæ.* Sed hæc in CHRISTO caro, est caro Mariæ, Ergò &c. Quòd si obtrudas illud CHRISTI, Luc: 24.

Spiri-

Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere; per quæ verba videtur CHRISTVS Dominus negare à carne suâ spiritualitatem, etiam post resurrectionem suam. Ad hoc respondeo. Carnem quantumcunque spiritualem, vel spiritualizatam, adhuc habere ossa & carnem in suis quidditatibus veris, quæ possunt exhiberi etiam ad palpandum & videndum, si sic homini talia ossa & carnem habenti, placuerit. Sicut enim (vt exemplo ex arte & naturâ petito, id declarem) aurum, quo nihil est constantius in naturâ, etiamsi nescio in quantum subtilietur, & spiritualizetur, adhuc aurum est, constans sibi, & solidum; ità caro & ossa, demptâ carnalitate Adamicâ ab eis, stante spiritualitate suâ, adhuc sunt verè ossa, & caro, quia per spiritualitatem non amittunt naturalia, sed aduentitia. Et si vis experiri, contunde aurum in laminas, deindè in tenuissimas bracteas, tandem in aurum pictorum, denique in marmore illud leuiga, demùm addito cinnabari & sale in alcool, impalpabile idem aurum effinge; tùm distilla, & cinnabarim ab eo per ignem separa, & salem per aquam, abluendo si vis millies, separa: Rursùs cum sale armeniaco, stybio, & Mercurio sublimato, per retortam pelle, idque septies repete, sic aurum illud quod antè fuit durum, solidum, malleabile, ac fixissimum corpus, iam in formam olei punicei volatilis redigetur, & tamen pristinum auri pondus, & naturam, per tot lanienas, non amisit, & facillimè in formam pristinam redigitur. Sic de carne nostrâ spirituali, & tamen osseâ atque carneâ sentias, quæ maiorem constantiam & stabilitatem, spiritualem tamen, ex dono creationis acceperat, loquendo de primæuâ eius puritate, in Paradyso, quàm aurum, aut aliquod corpus vniuersi indestructibile. CHRISTVS ergò ibi loquitur, secundùm quòd curaturus incredulitatem discipulorum illùc intrauerat, & tamen carnem & ossa, quæ illis ostendit palpabilia, ianuis clausis intulit, vt spiritualitatem carnis, quæ iam resurrexit, venerarentur. Caro enim CHRISTI, & spiritualis erat, & caro erat, quià spiritus carneus, & caro spiritualis in naturâ non repugnant, licèt in ethnicâ philosophiâ repugnent.

14. Docent enim Theologi, occultationem & manifestationem dotium corporis gloriosi, subiacere voluntati beatorum, ità vt in potestate beati sit, manifestare vel occultare pro libitu suam claritatem, vel subtilitatem alicui, iuxtà illud D. Augustini 19. de Ciuitate DEI Cap. 27. *Imperabit DEVS animo, & animus corpori, tanquam obedienti.* Et ratio pro hoc esse potest. Quia si visibile videtur, ait in visum, si non videtur, non agit, Ergò ex hoc quòd agat vel non agat in aliquod extrinsecum, non fit aliqua mutatio in eo. Vndè sinè mutatione alicuius proprietatis, quæ sit de perfectione corporis gloriosi, contingere potest, quòd videatur, vel non videatur, vel in variâ specie videatur; & hoc ad perfectionem gloriæ pertinere videtur. De spiritualitate autem istâ corporis nostri, dicit D. Gregorius 14. moralium propè finem, *quòd in illâ resurrectionis gloriâ, est corpus nostrum subtile, per effectum spiritualis potentiæ, sed tamen cum hoc erit palpabile*

naturæ: hoc eſt, per virtutem animæ beatæ, corpus illi ſubiectum, multò efficaciùs poterit penetrare lapidem, V. G. quàm penetrat modò Ignis, qui tamen à ſcholis inter corpora recenſetur. Cùm autem Virginis glorioſæ anima, etiam in hâc vitâ, plenum dominium in corpus ſuum habuerit, quis negabit, ſuæ virtutis magnitudine, ita corpus ſuum ab inſtanti animationis affeciſſe eam, vt eſſet inſtar glorioſi? Vndè D. Auguſtinus ad Dioſcorum. *Tam potentem fecit DEVS animam, vt ex eius plenâ felicitate, redundet in corpus ſanitas perpetua.* Et 22. de Ciuit. DEI, Cap: 30. *Vbi volet ſpiritus, ibi protinùs erit & corpus.* Et hoc tantò fortiùs tribuendum Virgini, quantò clariùs conſtat per Doctores & Patres, eam in viâ cum beatis participaſſe in perfectione naturæ humanæ. Vndè illud Alberti magni ſuper Miſſus eſt; *Concedimus, quod B. Virgo habuit medium ſtatum, inter ſtatum ſimplicis viatoris, & ſtatum ſimplicis comprehenſoris, ſcilicet ſtatum ſecundùm quem fuit ſimplex viatrix, & ſimplex comprehendens.* Et ità habuit virtutes & facultates animæ medio modo diſpoſitas, quià accepit meliorem partem, ab vtroque extremorum. Fuit ergò in B. Virgine caro tota ſpiritalis, & nequaquam carnalis, licèt carnea, vt hic locum habeat dictum S. Thomæ à Villâ nouâ, qui Conc: 3. de Nat: B. V. premens illud Pſal: 71. de carne Virginis pronunciatum, ſcilicet: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus.* ſic loquitur. *Vellus de carne ortum, non habet vitia carnis, & ſic Virgo licèt carnea ſit, ſic tamen carnea, quaſi argentea, ſinè omni maculâ, & concupiſcentiâ.* Et ibibem. *Eius caro ſic imaginanda eſt, ac ſi eſſet argentea, vel vitrea, vel cryſtallina, ſinè carnis vitiis, ſed tota Angelica in carne; quod optimè tangit de eâ ſponſus in Cant: dicens: Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te &c. Currus Pharaonis caro mortalis, in carne itaque mortali, equitatui Angelico ſimilis eſt in puritate.*

15. Præterea. Quantò aliquid DEO eſt propinquius, & vnibilius, tantò eſt, vel ſaltem eſſe debet, ſpiritualius: quia DEVS ſpiritus eſt, Joan: 4. Sed Beatæ Virginis caro, ideò producebatur in vtero D. Annæ, vt propinquiſſimè & vnitiſſimè DEO coniungeretur, in Verbi æterni temporali humanatione; Ergò debuit eſſe pura ab omni carnalitate, & merè ſpiritualis, vt potè promouenda in DEVM, teſte D. Petro Chryſologo ſerm: 117. Vbi Adamum & CHRISTVM confert ſic. *Ille, id eſt, Adam, viliſſimo plaſmatur ex limo; ex vtero pretioſo virginis, hic, id eſt CHRISTVS, procedit; In illo terra mutatur in carnem; in iſto caro promouetur in DEVM.*

16. Ad extremùm. Conceptio carnis Marianæ, per omnia ſimilis fuit conceptioni carnis humanæ in ſtatu innocentiæ, vbi Eua Virgo de Spiritu Sancto concepiſſet imaginem DEI, abſque vllâ intermediâ animalitate & ſenſualitate. Probatur hoc. Quià exceptâ deciſione ſeminum, quæ potiùs ad conceptionem actiuam ſpectat, quam ad paſſiuam, & potiùs eſt via ad conceptionem, quàm conceptio; tota ſequens actio, requiſita ad conceptionem paſſiuam Virginis, à manu Domini proceſſit, producentis ibi ex ſuâ liberalitate animam intellectiuam, & non permittentis ſuboriri vi ſeminis, animam ſeminalem, nec diſpoſitiones ad ipſam, in maſsâ cor-

poris Virginis, ita vt Virgini Matri nihil obfuerit concipi de semine, quò minùs adhùc talis producta sit, sicùt fuisset producta sinè semine, in innocentiæ statu; Sed in illo statu nulla fuisset animalitas, nulla carnalitas, nullus fomes in corporibus electorum, idque ex vi suæ productionis, Ergò & modò in Virgine, ita per omnia passiuè conceptâ, sicut si fuisset concepta in statu innocentiæ, ista non habent locum.

17. Enimverò, quæ Decade 1mâ Resolutione 5tâ, de Spiritu astrali seu sydereo corporis humani diximus, & de eius extasibus, deriuatâque ab animâ in eum, & eo mediante, in corpus, virtute animæ, quæ etiam in nobis extra corpus interdùm se propagare cernitur, vt ibi deduximus; non videtur necessarium hîc repetere: nullus enim negare potest hanc perfectionem carni & sanguini DEIPARÆ, cùm hæc sit in seruis DEI, & à fortiori fuerit in VIRGINE MATRE DEI.

18. Concludendum ergò absolutè, quòd quidquid in Adamo antè peccatum fuit spiritualizans carnem & sanguinem, totum id accepit ex vi conceptionis suæ passiuæ, manu DEI fabricatæ quoad carnem, Virgo Maria, idque in esse perfectiori. Quarè caro eius, verè spiritualis fuit, & ab omni carnalitate & fomite immunis. Quod vlterius ex parte animæ eius ostendendum venit. Pro quo sit.



RE-



RESOLVTIO QVINTA.

Ex parte animæ intellectiuæ, quam solam ex vi suæ conceptionis passiuæ, habuit VIRGO, expers fuit fomitis, & originalis maculæ in carne.

1.



QVæ fermento veteri, quod prima Mulier Eua abscondit in farinæ, id est naturæ humanæ satis tribus, id est animâ, spiritu, & carne, donec fermentatum est totum, id est, donec tota natura infecta est concupiscentiâ, & eam consequente animâ seminali, quæ inquam tali fermento opposuit azyma nouum, veteris fermenti destructiuum, & totius humanæ naturæ in primæuam virginitatem restauratiuum, commiscendo videlicèt tria sata similæ, id est, diuinitatem, animam, & corpus, mediante fide azymâ, & consensu purissimo in incarnationem Verbi; absit vt veteri fermento infecta credatur, animæ seminalis dispositiuè introductiuo; Imò potiùs corde deuoto & ore facundo confitendum est, longè hinc exulasse animalitatem cum suis concupiscentijs & desiderijs, vbi quidquid gestum est, (vt verbis D. Hieronymi vtar) totum puritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, totum misericordia & iustitia, quæ de Cælo prospexit, quæquè ideò est immaculata, quià in nullo corrupta.

2. Nos nos, (vt lamentabundus conquæritur Doct: Mellifluus in Orat: ad B. Virginem) tunica istâ pelliceâ, quâ nos circumdedit Eua Mater nostra, animalitèr nos concipiens, induti sumus, non prius enim dum concipimur est in nobis spiritale, sed prius animale, deindè spiritale, iuxta Apostolum 1. ad Cor: 18. Surgit enim in nobis, ex vi fermenti veteris, animalis anima, & quidem tempore prius, quam misertus sic animalizatæ naturæ nostræ DEVS, infundat desupèr mentem immortalem. *Et hæc tunica Euæ parentis nostræ est, quam ad nos olim misera illa transmisit*, (verba sunt D. Bernardi) *& superuestiuit carnem filiorum suorum, sicùt diploide confusione suâ.* Ast Virgo DEIPARA, tunicâ istâ obuoluta non est, in cuius conceptione, sola manus Creatoris, fabricauit sibi vas spirituale, vas honorabile, vas insigne deuotionis. In quo vase purissimi corpusculi, eadem manus Creatoris, cooperans auræ seminum à Parentibus decisorum, immediatè fecit surgere mentem immortalem, vas hoc irradiantem, & immediatè possidentem, non secùs ac in primis parentibus, ex vi primæuæ intentionis DEI, factum fuit.

3. Et

3. Et ne noua alicui hæc videatur doctrina, produco pro eâ Origenis vetustissimi & doctissimi authoris testimonium, qui Hom: 3. in diuersis materijs ad Cap: 2. Matthæi, sic pro istâ nostrâ Resolutione, decernit. *Ecce* (inquit) *Dominus sedet in nube pusillâ, & veniet in Ægyptum, ecce sedet in nube pusillâ, carnalem animam non habente, nec aliquam peccati grauedinem.* Loquitur autem de Virgine Matre. Imò D. Augustinus lib: 1. de Nuptijs & Concup: Cap: 33. nobiscum est, dum ità discurrit. *Non erit* (inquit) *omninò aliquid vel in carnali semine vitiosum, cùm eâdem regeneratione quæ nunc fit per sacrum lauacrum, vsque in finem cuncta mala hominis purgante, atque sanante, eadem caro, per quam facta est anima carnalis, fiat etiam ipsa spiritalis, nullam legi mentis resistentem concupiscentiam carnis habitura, nihil carnalis seminis emissura.* In his enim verbis supponit D. Augustinus, tanquàm dogma certissimum, etiam in carnali semine, nihil omninò vitiosum posse esse, si mediante auxilio DEI, caro producatur spiritalis, per quam vt carnalem, ordinariè fit in homine anima carnalis; Atqui omnes SS. Patres fatentur, corpusculum Virginis de semine parentum formatum esse manu Domini; Ergò illud corpusculum, nequaquam tale fuit, vt per illud surgeret in Virgine anima carnalis, sicque Virgo producta est tota spiritualis cum solâ mente, absque præuiâ animâ seminali; quod est propositum.

4 Idem sensit deuotissimus Virginis, Bernardinus Senensis serm: 61. de Relig: Christi A 3. Cap: 3. sic fatus. *Refulsit B. Virgo candore Diuinalis sapientiæ, cum ipsa fuerit candor lucis æternæ & speculum sinè maculâ, & speciosior sole; tanto enim lumine illustrata fuit, cùm etiam esset in ventre Matris, quòd non tantum plena fuit lumine rationis, sed etiam altissimæ contemplationis.* Et mox infra subdit. *Ad tantam contemplationem sublimata est, vt perfectius etiam in ventre matris contemplaretur DEVM, quàm vnquàm fuit contemplatus aliquis in perfectâ ætate, magisq; contemplatione DEI excessit dormiendo, quàm aliquis alius vigilando.* Atqui hæc arguunt in Virgine gloriosâ solam fuisse mentem, nullâ caligine rationis discursiuæ, quæ cum animâ caducâ, seminali, & animali, in naturam subintrat, obuolutam; Ergò B. Virgo concepta est cum solâ mente, immediatè corpus regente, & irradiante. Minor probatur authoritate D. Augustini lib: 12. super Gen: ad Literam, ità loquentis *Nemo DEVM vidit, viuens vitâ istâ, nisi ab hâc vitâ aliquomodò moriatur, siuè omninò exiens à corpore, siue ità auersus & alienatus à sensibus, vt meritò nesciat, vtrum in corpore vel extrà corpus sit; vt dicit Apostolus 2. ad Cor: 12 hanc enim visionem, mens ab omni corpore & ab omni labe mundata, & à similitudine corporis alienata, & abrepta à corpore, habere potest.* Sed B. Virgo, iuxta S. Bernardinum citatum, in ventre Matris existens, DEVM plus est contemplata, quàm aliquis sanctorum in ætate perfectâ. Imò secundum Albertum magnum super Missus est, *ità fuit occupata per totam vitam in contemplatione Deitatis, quod iste actus fuit in eius possessione semper, per quem* (verba sunt magni Alberti) *sinè abstractione, cum omnimodâ mentis quiete, DEVM cognoscebat, sicut fit in raptu, in quo illa fuit quasi continuò, & perfectiori modo quam Paulus, & alij Sancti: Quià ista continuatio debebatur ei, ratione perfectionis maio-*

vis, quia huic vitæ super omnes viatores funditùs mortua fuit, propter quod vita eius cum CHRISTO in DEO abscondita semper fuit, & curiæ Angelicæ præsens, intrà sanctuarium DEI habitauit; Modus etiam cognoscendi respectu DEI, non fuit in illâ per modum abstractionis, vel stuporis, vel extasis, vel etiam soporis, quæ contingunt ordinariè in sanctis, propter improportionabilitatem potentiæ ad lumen, vt in Paulo, qui stupefactus in raptu, nesciuit an in corpore an extrà corpus fuerit: Beata autem Virgo hunc stuporem non habuit, cuius intellectus DEIformior, & illi luci proportionabilior fuit. Hæc Albertus magnus. Ergò B. Virgo adhuc in vtero Matris, omninò ex vi suæ conceptionis manu DEI factæ, fabricata est, absquè nubilo animæ sensitiuæ, sed solùm cum plenâ luce animæ intellectiuæ. Dederunt ergò parentes Mariæ materiam pro corpore, quandò deciderunt, sinè libidine tamen, semina, sed longè plus ibi operata est gratia, quæ cauit, ne vi talium seminum, anima ibi seminalis, cum suis animalibus desiderijs & concupiscentijs surgeret, quæ etiam fecit hoc opus suum, scilicet Virginem terminari in vitam Angelicam, quæ tunc verè est in carne, quandò caro immediatè regitur à solâ mente, absque vllo consortio animæ seminalis.

5. Sed si pro exclusione fomitis à corpore Virginis immaculatæ, specialiora ambis documenta, ea libentèr tibi do. Et primò D. August: Lib: 2. de nupt: & concupisc: dicit. *In Mariâ, nullum peccatum, nec fomes extitit.* Idem serm: 2. de Assumpt: Cap: 5. ait. *Caro Virginis, est caro CHRISTI, & caro Christi, est caro Mariæ.* Tunc sic. Sed caro Christi nullum vnquam habuit fomitem, vt apud omnes est in confesso, Ergò nec caro Mariæ. Id ipsum docet Richardus Victorinus Lib: 2. de Emman: Par: 1. Cap: 29. trutinans illa verba Psal: *Auferens bella, vsq; ad finem terræ.* vbi ait. *Quæ est ista obsecro terra, de quâ bella omnia finetenùs auferuntur, nisi illa, de quâ idem Propheta alibi protestatur; veritas de terrâ orta est. De hac terrâ omnis pugna tollitur, in hac pax plena reparatur, ita vt sublato fomite, bellum nullum exurgere potuerit.* Et rursùs Cap: 31. subdit. *In reliquis Sanctis, magnificum habetur, quod à vitijs nequeant expugnari, in Virgine, mirificum videtur, quod à vitijs non possit ipsa vel in modico impugnari.* Idem sentit Hesychius Hom: 2. de Deiparâ, dicens. *Nunquam Mariam concupiscentiæ fumus attigit, nec vermis voluptatis eam læsit.* Ad idem Innocentius tertius Ser: 2. de assumpt: Virg: fatur. *In Virgine fuit non solum sopitus stimulus carnis, sed prorsus extinctus.* Sed nouissimum teneat locum, deuotus in Virginem gloriosam S. Thomas à villâ nouâ. Hic Conc: 3. de Natiu: eius, talibus eam ab omni fomite peccati, vindicat verbis. *Antequam anima illa sanctißima infunderetur, plenè fuit caro illa mundata ab omni fæce & labe; & anima, cùm infusa est, nullam habuit ex carne neque contraxit labem peccati, sicut scriptum est; Factus est in pace locus eius, id est, Domus Diuinæ sapientiæ, sinè omni fomite peccati formata est.* Idem sentiunt plures SS. Patres & Doctores Scholastici. Ergò in Virgine gloriosâ, non fuit fomes peccati ligatus vel extinctus, sed absolutè nullus.

6. Et sanè omnes illi Doctores, qui negant in Virgine Deipara fu-

isse

isse fomitem, asseruntque eum nedum extinctum, aut ligatum fuisse, ex vi conceptionis Marianæ, sed prorsùs non admissum in eam, tenentur idem mecum sentire, quòd scilicet in Virgine nulla surrexerit ex vi seminum anima seminalis. Fomes enim ex sententiâ D. Thomæ 3. p. q. 27. A. 3. imò omnium scholasticorum, *est inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, habitualis tamen.* Et dicitur concupiscentia sensualitatis inordinata, in quantùm repugnat rationi, id est, intellectui. Ergò vbi est fomes, ibi est appetitus sensibilis, & vbi non est fomes, etiam non est appetitus sensibilis; atque ità qui non admittit in Virgine fomitem habitualem, tenetur quoq; non admittere sensualitatem, & ita nec animam sensitiuam, cuius ista sensualitas repugnans legi mentis, est genuinus effectus.

7. Proindè ipse D. Thomas, qui aliòquin in eâdem quæstione A. 1. agnoscit in Virgine prius animale, quàm spiritale, in quo tamen communitèr iam non tenetur; concedit tamen, hic posse intelligi, quòd totalitèr fuerit sublatus fomes à B. Virgine, hoc modo. *Quòd præstitum fuerit* (verba sunt D. Thomæ) *B. Virgini ex abundantiâ gratiæ descendentis in ipsam, vt talis esset dispositio virium animæ in ipsâ, quòd inferiores vires nunquàm mouerentur sinè arbitrio rationis, sicut dictum est fuisse in* CHRISTO, *quem constat peccati fomitem non habuisse, & sicut fuit in Adam antè peccatum, per originalem iustitiam.* Hæc D. Thomas. Tunc ego. Sed ista dispositio virium animæ B. Virginis, propter quam inferiores vires nunquàm mouerentur in eâ absque arbitrio mentis, non potuit esse nisi solius mentis plenum in corpus dominium, absque intermediâ seminali animâ, qualis etiam dispositio fuit in Adam antè peccatum, & de facto fuit in CHRISTO; Ergò talis fuit, idque ex gratuitâ DEI cooperatione, ad conceptionem purissimam suæ Matris.

8. Confirmatur. Quià in causis præcisis, sicùt affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis; Sed anima seminalis, est causa præcisa sensualitatis animalis in homine, Ergò negatio talis animæ, est etiam causa negationis sensualitatis istius, & consequentèr fomitis.

9. Neque dicas. Tunc B. Virginem futuram fuisse insensibilem, ablatâ ab eâ animâ sensitiuâ. Non dicas inquam; quia teste Aristotele: *Quidquid potest virtus inferior, potest & superior.* Et secundùm D. Dionysium de cælesti Hierarchiâ: *Ordines excellentes, habent inferiorum dispositionum virtutes.* Mens igitùr humana, eo ipso quia à Creatore regendo corpori destinata est, habet in se virtutes sensitiuas eminentèr, vt scilicet videat, audiat, odoretur, gustet, sentiat, idque in organis corporis, non tamen habet vt carnalitèr & animalitèr concupiscat, quia hoc est extra sphæram mentis, & soli animæ seminali proprium.

10. Prætereà. Quidquid est animale, non est capax beatitudinis, imò impedit spirituale, quousque est cum illo, ne sit capax beatitudinis, nisi animale intereat: & hæc est causa mortis nostræ temporalis, antè aditum æternùm permansuræ beatitudinis; Sed B. Virgo fuit beata beatitu-

dine

dine transeunte, dùm vixit hanc vitam, vidit enim DEVM, & quidem multò perfectiùs quàm Paulus in raptu, vel Moyses, vt concedunt Sancti Patres, imò aliqui etiam in instanti conceptionis ei tribuunt visionem beatificam, cùm id non repugnet, & dignitati Matris DEI conueniat, Ergò B. Virgo in instanti conceptionis, caruit animâ animali, & consequentèr in totâ vitâ caruit illâ.

11. Confirmatur. Quià positâ animâ seminali, statim sequitur eius effectus, scilicet, obnubilatio mentis; Ergò si Virgo in instanti conceptionis vidit DEVM, & non potuit in illo instanti amouere nubilum sensitiuæ; sequitur quod illâ caruit. Dicit enim B. Gregorius. *Quibuslibet in hâc carne viuentibus, sed cum inæstimabili virtute crescentibus actiuæ contemplationis, potest claritas DEI videri, si tamen huic vitæ funditùs moriantur.* Atqui B. Virgo, in instanti suæ conceptionis, nequiuit crescere in contemplatione actiuâ, nec potuit vitæ animali, posito quod eâ viuere inceperit, mori in primo suæ vitæ instanti, & tamen ei tunc claritas DEI apparuit, Ergò in eâ, vita animalis prorsùs non fuit.

12. Prætereà. Consentiunt in hoc vnanimitèr Theologi, quòd Adam in statu innocentiæ, habuit intellectum independentem à phantasmatibus, ità quòd poterat intuitiuè videre essentias creaturarum, absque interuentu phantasiæ, nec poterat in tali cognitione errare; quià teste D. Augustino: *Approbare falsa pro veris, non est naturæ institutæ, sed lapsæ.* lib: 3. de lib: arbitrio. Atqui talis rerum cognitio, arguit in Adamo carentiam phantasiæ, & consequentèr animæ sensitiuæ, cuius est, phantasiari; Ergò tunc Adam caruit tali animâ. Sed B Virgo superauit Adamum in cognitione & visione, ità quòd secundùm SS. Patres, visio Virginis in viâ, perfectior fuerit visione Adæ in paradyso, Ergò mens B. Virginis, magis fuit soluta ab animâ seminali, & eius phantasijs, quàm ipsius Adæ mens; quod est propositum.

13. Prætereà. Ecclesia, omnia illa quæcunque dicuntur de sapientiâ increatâ, in illis libris Sacræ Scripturæ, qui intitulantur de sapientiâ, tribuit B. Virgini, exponendo dicta talia specialitèr de illâ, quam & appellat nomine Virginis prudentissimæ; Ergò Virgo hæc, nunquàm non fuit prudens, loquendo etiam de primo instanti conceptionis suæ; Atqui prudentia in illo instanti, arguit vsum intellectus liberum & exercitium, independentèr à phantasmate, Ergò B. Virgo cum solâ mente, absque nubilo animæ seminalis, & phantasiæ eius, à manu DEI tunc condita est.

14. Confirmatur hoc traditione D. Hieronymi, & aliorum Historiographorum Ecclesiasticorum, qui scribunt; quòd cùm parentes B. Virginis eam trimam ad templum adduxissent, & in nouissimo gradu, (qui quindecim offerebantur ascendentibus in templum Salomonis) constituissent, ipsa sinè adiutorio, cunctos gradus citissimè conscendendo, ità percurrerit, ac si esset perfectæ ætatis, ibique absque vlteriori parentum directione, ità se maturè & prudentissimè in DEI laudibus exercuerit, vt omnes

omnes mirarentur. Ergò ſi tunc declarauit, cùm primum per ætatem licuit, ſe eſſe Virginem prudentiſſimam, & ipſa per ſe tantùm in ſapientiâ profecerit, ſignum eſt, quòd à phantaſmatibus & nubilo animæ ſeminalis, obſcurantis aciem mentis, fuit immunis.

15. Præthereà. Philoſophus docet, quòd intellectus ſemper eſt rectus, niſi quandò ſe miſcet phantaſijs, & deducitur ab illis; Sed D. Virginis intellectus, ſemper ſupponitur fuiſſe rectus, Ergò nunquam ſe immiſcebat phantaſijs, nec ducebatur ab eis; Atqui ſi eſſet in Virgine anima ſenſitiua, eſſent & phantaſiæ eius, & conſequentèr debuiſſet intellectus Virginis aliquandò ſe miſcere phantaſijs, & deduci ab illis, alias ſi nunquam id fieret, fruſtra in Virgine eſſet phantaſia, Ergò potiùs tenendum eſt, nunquàm fuiſſe in Virgine phantaſiam, cum ſuâ animâ ſenſitiuâ.

16. Præthereà. Vbicunque in diſcernendo, Intellectus errare, & Voluntas in eligendo, deuiare nequit, ibi eſt intellectus & voluntas absque nubilo diſcurſus rationis, & phantaſiæ; Sed in B Virgine nequiuit intellectus errare, nec voluntas deuiare, aliàs potuiſſet peccare, quòd omnes negant; Ergò in B. Virgine iſta fuerunt ſinè nubilo animæ caducæ, cum eius diſcurſibus & phantaſijs.

17. Præthereà. Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis, cognouerunt ſe per eſſentiam ſuam, & ſtatim ſe in Devm retulerunt, referendo ſcilicet eam eſſentiam, quam cognouerunt in genere proprio, cognitione ſcilicet veſpertinâ, Deo acceptam, propter quod meruerunt eam cognoſcere in Verbo, cognitione ſcilicet matutinâ, prout D. Auguſtinus lib: 4. ſuper Gen: ad literam, deducit ſex dies, ex veſpere & manè conſtantes, vſque ad ſeptimũ, qui manè ſolùm habuit & non veſpere. Ergò & Virgo beata, in primo inſtanti ſuæ conceptionis, ſe cognouit ſimilitèr per eſſentiam ſuam, aliàs daretur aliqua perfectio in creaturâ, cuius Virgo non eſſet particeps nec capax.

18. Si dicas; quòd non potuit ſe Virgo cognoſcere per eſſentiam ſuam, ſed ſolùm per ſpeciem. Contrà. Quià tota illa perfectio intellectus creati, debet poni in Matre Christi, quæ ponitur fuiſſe in intellectu creato Christi, Atqui ſecundùm Doctorem Subtilem in 3. diſt: 14 q. 3 §. Ad quæſtionem &c. *Videtur probabile, attribuere Chriſti intellectui perfectionem, reſpectu omnis intelligibilis, qualis attribuitur Angelis, cùm nec illa repugnet intellectui creato, nec ſit imperfectio in eo.* Ergò ſi Angeli ſe cognouerunt per eſſentiam ſuam, etiam anima Christi ſe cognouit, & à pari, etiam anima Virginis.

19. Tunc vltra. Aut ſe tunc Virgo cognoſcens, retulit in Devm, ſicut fecerunt Angeli; aut non retulit? Si retulit? Ergò ita meruit, ſicut & boni Angeli. Si non retulit? Ergò in illo inſtanti, peccauit per omiſſionem, vel ad minus fuit imperfecta in bonitate, quam tunc poſſet habere; quod non cadit in Matrem Dei. Si dicas, quod non potuit. Contrà. Iſtud non poſſe, pro tantò haberet locum in inſtanti illo Virginis, pro quanto vinceretur tunc Virgo ab aliquo contrario; Illud igitùr contrarium, vincens & impediens in illo inſtanti Virginem, ne ſuam eſſentiam ferret Deo acceptam, prout

fecerunt Angeli, aut esset ab ipsâ Virgine? aut à Deo creante animam Virginis, cum tali impedimento? Si ab ipsâ Virgine? Ergò Virgo in primo instanti peccasset, quod est inconueniens. Si à Deo? Ergò Devs esset magis affectus Angelis, quàm Matri suæ, quæ est Regina Angelorum. Et præterea, istud contrarium vincens & impediens Virginem, esset vtique fomes, inclinans in oppositum. Atque ità fomes esset à Deo concreatus animæ Virginis, quod etiam est inconueniens; Ergò ex his omnibus patet, Virginem in primo instanti suæ conceptionis, solâ animâ intellectiuâ fuisse animatam, absque interuentu seminalis animæ, sicque deinceps totâ vitâ permansisse.

20. Præterea, à posteriori idem sic deducitur. Christvs & B. Virgo nunquam riserunt, nunquam deliquium, aut syncopen, vel morbum aliquem, passi sunt, potestatem ponendi animam suam, & iterùm sumendi eam, habuerunt; Ergò Christus & B. Virgo, solâ animâ intellectiuâ vixerunt semper, toto vitæ præsentis spatio. Antecedens quoàd singula probatur. Et primò quòd non riserunt; de Christo omnes SS. Patres id fatentur: de Beatâ autem Virgine, id cum alijs historiographis Ecclesiasticis, tradidit Epiphanius, dicens post multa alia, per quæ membratim, quòad exteriorem symetriam corporis, descripsit Virginem, hæc sequentia. *Silentium semper amabat, rarò loquebatur, erat miræ patientiæ, nunquam visa est irasci, nunquam risit, nunquam otiosum verbum protulit.* Probatur etiam quod non sunt passi deliquia, syncopes, & morbos; quia morbi omnes procedunt ex ideis morbosis, quas sibi ens seminale occasionalitèr cudit, & vitam hanc per eas afficit, vt melioris notæ Medici fatentur: In Christo autem, tale Ens seminale locum non habuit: & est hoc de fide, aliàs Christus fuisset Adamicè de semine conceptus. Et iuxta dicta suprà; in B. Virgine manu Dei fabricatâ, tale Ens seminale præuentum est, ne ageret dispositiuè ad animam seminalem, Ergò &c.

21. Probatur denique, quòd habuerint in potestate animas. Et quidem Christus id expressè dixit de se, & fecit; quia quando voluit, inclinauit caput & tradidit spiritum, & iterùm cùm voluit, accepit eundem, & propriâ vi resurrexit, solùm cum generali Dei concursu, illâ animâ benedictâ se carni suæ vniente, vt priùs vnita erat. Propter quod, mors Christi non erat eiusdem rationis & speciei, cum morte nostrâ; in nostrâ enim morte, fit totalis animæ seminalis extinctio, non secùs ac in brutis, quâ animâ seminali extinctâ in carne peccati, iam mens subsistere nequit, eò quòd tamdiu ibi subsistit, quamdiu istud lumen animæ seminalis lucet, quo nihil habet proportionalius in corpore mortis huius; quo extincto abire cogitur, vtpotè subtracto sibi illo, in quo vt domicilio, obuoluta tenebatur; vt suprà Decade 1mâ: insinuauimus. Ast verò in morte Christi, fuit voluntaria mentis à corpore separatio, id summâ ipsius charitate, quæ etiam effecit, vt spontè acceptata sint vulnera in illo innocentissimo corpore, in se tamen mortali, quale fuit & corpus Adæ antè peccatum, etsi quatenùs ab animâ immortali plenè possessum,

sum, nunquam fuisset mortuum. Vndè & Doctor Subtilis in 3. dist: 16. q. 2. dicit. *Passum esse Christum secundùm corpus & animam sensitiuam,* (quam ille, vt potè innixus Aristotelicæ doctrinæ, agnoscit in Christo) *miraculose, scilicet ex illo antiquo miraculo, quo gloria animæ eius non redundabat in corpus.* Quòd certè multò vrgentiùs asseruisset, si in Christo solam mentem immediatè regentem corpus, posuisset; quamuis etiam mens Christi, tunc non fuisset actu beata, sed talis, qualis fuit in Adamo antè peccatum. De Christo ergò non est dubium. Quidquid autem fuit in Christo vt puro homine, etiam tribuendum est B. Virgini, quæ etiam spontè posuit animam, & assumpsit pænalitates, ne Christo maior esse videretur, & vt cooperaretur ad nostram redemptionem, faciendo nobis immensum thesaurum, de talibus suis meritis. Proindè S. Damascenus de dormit: Virg: exclamat. *Sacra tua obdormitio, à nullo est appellanda mors, quia nec te absorbuit, nec dolorem intulit.* Vndè de eius morte SS. Patres ita scribunt; quòd mens eius in ipsâ horâ mortis, fuit in altissimâ & suavissimâ contemplatione, absque vllâ interruptione, & sic se spontè in manus Christi ibi tunc præsentis, effudit, & deindè die tertiâ accessit eius anima, & se nexu perpetuo purissimo illi corpori reuniuit, illud suâ Beatitudine replendo, modo illi possibili. Vel si malis dicere, quod aliqui piè sentiunt; Angelos corpus illud die tertiâ in cælum detulisse, & ibi animam se illi indissolubilitèr vniuisse, per me licet; nihil enim eorum quæ ad dignitatem maiorem DEI Matris pertinent abnuo, si authoritati Ecclesiæ & SS. Patrum non repugnet. Ita probato Antecedente, Consequentia probatur.

22. Et inprimis ostendo, quod negatio risibilitatis, infert negationem animæ sensitiuæ. Risus enim non est ex rationalitate; aliàs bruta riderent, quæ sanè sunt rationalia, vt suprà Decade 1mâ. deduxi, non tamen intellectualia, quorum tamen nullum ridet; nec item risus est ex admiratione præsentium aut præteritorum, vt aliquibus placuit; nam infantes etiam in cunis dormiendo, rident. Solùm igitùr fit risus, ex nexu duplicis animæ, scilicet sensitiuæ & intellectiuæ, qui nexus in solo est homine, & ideò solus homo ridet. Dum enim anima sensitiua aut subitò format sibi conceptum placitum, aut eius vt præteriti reminiscitur, vtique id facit cum gaudio, & in gaudio, sicut & bruta in gaudio formant similes conceptus sibi placitorum, & sistunt in hoc, nec vlteriùs progrediuntur, vt rideant. Quia verò in homine est præter sensitiuam, mens, quæ & penetrat suo lumine sensitiuam, & vicissim ab eius lumine afficitur, ideò hoc iucundo conceptu animæ sensitiuæ perculsa, etiam illum iudicat esse gaudio dignum, & animæ sensitiuæ condescendendo, subsilit præ gaugio, atque hinc est risus soli homini proprius, falsò hactenùs rationi vt causæ attributus. Patet ergò, quòd vbi nullus esse potest risus actualis, nec aptitudo ad eum, ibi nec est anima sensitiua.

23 Ostendo etiam, quòd vbi nullum deliquium, syncope, ac morbi, esse possunt, ibi nulla est anima sensitiua. Quia fide credimus, sicut mortem, ita & omnem infirmitatem, à peccato intrasse in hominem, & per concupi-

scentiam

ſcentiam carnis propagatam eſſe in poſteros omnes, vt iam Decade 1mâ. deduxi; Atqui hoc non à Deo immittente mortem, ſed à pomo producente in homine fermentum luxuriæ, diſponens hominem ad animam ſenſitiuam mortalem, & ſuis exorbitationibus proprijs ſibi, varias idæas ægritudinum cudentem, Ergò cùm morbi ſint ab animâ mortali ſenſitiuâ, ſequitur, quòd viuens carens aptitudine ad morbos, caret ipsâmet animâ ſenſitiuâ.

24. Quòd denique poteſtas ponendi animam, & iterùm ſumendi eam, arguat carentiam animæ ſeminalis & ſenſitiuæ, in ſic potentibus, probo. Quia anima humana, eò ipſo quòd anima eſt, eſt apta nata eſſe actus corporis humani organici, & nonniſi violentèr ab eo ſeparabilis eſt, & per miraculum, quòusque corpus illi eſt proportionatum; aſt ceſſante iſtâ proportionalitate, intrante ſcilicet in carnem carnalitate cum animâ ſeminali, iam anima humana eſt naturalitèr ſeparabilis, ob diſproportionalitatem carnis peccati ad ſe; Ergò poteſtas ponendi animam & iterùm ſumendi eam, ſupponit in ſic potentibus, carnem immunem ab animâ ſeminali, & ſempèr animæ intellectuali proportionatam, niſi aliundè permittatur, per extrinſecas pœnalitates lacerari, iſte nexus indiſſolubilis, quod profectò ſolùm in duobus iſtis fuit hominibus, ſcilicet Chriſto, & eius Matre.


25. Vndè credo; quod in reſurrectione generali, non reuniet Devs animas ad ſua corpora actione ſuâ ſpeciali, ſed ſolùm Devs producet corpora iam à carnalitate depurata per incinerationem, vel alio aliquo modo, & tunc poſitis talibus corporibus, vnaquæque anima beata, ſe ſuâ virtute, cum generali tamen concurſu Dei, reuniet corpori ſuo, non ſecùs ac ſe reuniuit anima Chriſti, & anima B. Virginis.

26. Prætereà. Titulus auguſtiſſimus, Matris Dei naturalis, Virginem Matrem conuincit fuiſſe talem hominem, qualem ab initio creauerat Devs, ſcilicet cum ſolâ mente immediatè regente corpus ſpiritale. Sicut enim decuit naturam humanam, quam ſibi hypoſtaticè Devs vniebat, eſſe puriſſimam, & abſque omni fermento peccati, & illius comite animâ ſeminali, omniumque naturalium perfectionum plenitudine excellentem produci, ita quoque decuit, vt illa quam in Matrem Virginem elegit, omnibus naturæ humanæ ex primæuâ intentione Dei debitis dotibus, eſſet cumulata, ſecluſis omnibus Adæ imperfectionibus, & conſequentèr & animâ ſenſitiuâ. Conſequentia patet. Quia qualis Mater, talis filius, loquendo tàm de eſſe naturæ, quàm de eſſe gratiæ; Ergò ſi filius homo perfectiſſimus, abſque carnali animâ, cùr non & Virgo Mater eius? Alias ſi Virgo Mater, eſſet carnali iſtâ animâ prædita, debuiſſet etiam in Chriſto priùs genuiſſe ſaltem ordine naturæ animale, quam ſpiritale; aut ſi non, tunc non fuit talis Mater Chriſti, quales Matres ſunt, quæ mediante animâ ſeminali generant modò nos: quorum vtrumque eſſet inconueniens, ſtante hoc, quòd Virgo ita habuit animam ſenſitiuam, ſicut & noſtræ Matres, & tamen non eâ mediante generaret, ſicut noſtræ Matres.

27. Poſſent multa in rem Reſolutionis præſentis afferri. Sed hæc ſufficiant, pro meâ tenuitate. Quia ex his abundè patet, in Virgine nedùm fomitem

mitem non fuisse peccati, sed nec animam seminalem, seu animalem, à quâ iste fomes habitualis posset procedere.

28. Concludo ergò hanc Resolutionem verbis Eccl: 40. *Ædificatio ciuitatis confirmabit nomen, & super hanc mulier immaculata computabitur.* In his enim verbis S. Bernardinus Senensis, de glorioso nomine Mariæ Serm: 1. Cap: 2: in Ciuitate, Ecclesiam, in nomine, Christum, in muliere immaculatâ, Virginem Matrem, agnoscit, quæ vt sacer textus manifestè loquitur, cunctæ præfertur Ecclesiæ, vt potè sola post Christum, tam secundùm carnem, quàm secundùm animam, etiam loquendo de istis in esse naturæ, est verè immaculata. Quia licet ex sanguinibus inchoatiuè sit concepta, non tamen ex voluntate viri, sed ex Diuinâ charitate, neque ex voluntate carnis, sed manu DEI, est quoad corpus fabricata. Et sanè omnis Ecclesia, qualis modo est accepta, prout procedit in esse naturæ, corruptâ iam per Adamum nostrâ generatione, non est immaculata coram DEO, quia tam per passiuam, quam per actiuam generationem filiorum carnalem & animalem, sordescit: sola Beatissima Virgo, non intrà hanc Ecclesiam, sed suprà hanc, quatenùs hæc computatur, eò quòd sola inter omnes tanquam lilium inter spinas, exorta est, tam quoad corpus, quã quoad animam, ab omni animalitate immunis. Libera ergò, nedum à fomite habituali, sed & ab ipsâ radice fomitis, quæ est anima seminalis, quæ à comesto pomo in naturam Adamicè propagatam, intrauit; vndè nec filia Adæ est, sed filia DEI summi Principis.





RESOLVTIO SEXTA.

Beata Virgo quà Persona, nunquam fuit non grata DEO, sed in instanti suæ conceptionis, superauit magnitudine gratiæ gratum facientis, Angelos, & Homines quosuis, etiam sanctissimos.

1.



QVòd de Sanctis Angelis, cum formidine tamen oppositi, asserunt Doctores, statim eos conditos fuisse in gratiâ gratum faciente; iuxtà illud D. Augustini lib: 12. de Ciuit: DEI Cap: 9. *Simul condens naturam, & largiens gratiam:* Hoc absque dubio, de Angelorum Reginâ Virgine Matre, dici debet, quòd DEVS non satis habuit condere corpus & animam Virginis suâ manu, in omni perfectione ad esse naturale requisitâ, & ab omni impuritate, quæ ex peccato suborta est, semotâ, sed etiam, quod in eodem instanti, quo condebat naturam, simùl largitus sit & gratiam gratum facientem, idque in tantâ plenitudine, vt Virgo hæc, in instanti suæ conceptionis, Angelos & homines quosuis sanctissimos, etiam in patriâ iam beatos, magnitudine gratiæ tunc vinceret, solo CHRISTO excepto. Ità scholæ subtilium eximium lumen, actus sorbonici fundator, & illuminatus Doctor, Franciscus Mayronius, Nostri Doctoris Discipulus, decernit, quòd sanè dubio procul, à Præceptore in Virginem pientissimo, hausit, dùm in 3. dist: 3. ità protestatur dicens. *Credimus citrà Christum, Beatam Virginem maximè fuisse perfectam, vt plùs habuerit de gratiâ in Matris vtero, quam habeant sancti in cælo.*

2. Hoc idem cum S. Hieronymo, Augustino, & alijs SS. Patribus, ab ipsis suis incunabulis profitetur Ecclesia. D. enim Hieronymus Serm: de assumpt: B. V. sic ait. *In Mariam, totius gratiæ quæ in CHRISTO est, plenitudo venit.* De fide autem est, Christum ab instanti conceptionis, plenum fuisse gratiâ, Ergò & B. Virgo similitèr fuit plena in illo instanti conceptionis suæ; alias si in illo non habuit gratiam, non fuit plena gratiâ absolutè loquendo, licèt posteà in conceptione Filij DEI, nescio quanto cumulo gratiarum, fuisset cumulata. Probo hoc, ex doctrinâ Seraphici Doctoris Ecclesiæ, S. Bonauenturæ, qui in 1. dist: 33. A. 3. docet; *Perfectum illud dici, cui nihil deest.* Atqui plenum esse gratiâ, dicit esse perfectum in esse gratiæ, Ergò plenum esse gratiâ est esse tale, cui nihil

gratiæ

gratiæ deest; Sed si Virgini non fuisset data gratia in instanti conceptionis, iàm tunc illi aliquid deesset, Ergò non posset dici plena deinceps, si in illo instanti non habuisset gratiam.

3. Probo & ex sententiâ Alberti Magni super Missus est, sic de istâ plenitudine gratiæ Marianæ loquentis. *Plenitudo* (inquit) *B. Virginis, priuat vacuitatem, quàm diu enim vas potest recipere aliquid, tamdiu habet aliquid de vacuitate; vndè omnis creatura alia, habet aliquid de vacuitate, quià maiorem gratiam est ei poßibile recipere; Ipsa autem sola, gratiâ plena, quia gratiam maiorem non potuit habere, nisi diuinitati vniretur.* Tunc sic. Sed si Virgo in instanti conceptionis caruisset gratiâ, iam tunc anima eius fuisset vacua, non habens in illo instanti gratiam, cuius tamen tunc erat capax, Ergò ex hac parte vacuitatis, nequiret posteà absolutè dici plena gratiâ: Atqui secundùm eundem Albertum Magnum ibidem, ly gratiâ plena, est ità proprium Mariæ, quòd per Anthonomasiam stet pro ipsâ: Verba eius sunt. *Angelus MARIAM dignißimè salutando, nouo nomine dignitatis eam salutauit, hoc enim quod dixit, gratiâ plena, ista circumlocutio tantùm est proprij nominis B. Virginis, & personæ ipsius, quòd nulli alij propriè conuenit, neque DEO, neque creaturis, secundùm quòd plenitudo gratiæ intelligitur superlatiue: DEVS enim, gratiæ nihil susceptiuè habet, & nulla alia creatura plena est gratiâ susceptiuè, præter B. Virginem, quæ sola tantùm recepit, quòd pura creatura plùs recipere non potuit.* Ergò omninò in instanti conceptionis, habere debuit gratiam, vt hoc nomen plena gratiâ, ipsi proprium esset, & absolutè de eâ verificaretur.

4. Diuus quoque Augustinus lib: de naturâ & gratiâ contrà Pelagianos, hæc de gratiâ Virgini datâ pronunciauit, videlicet. *Plùs ei gratiæ collatum esse ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Atqui si in instanti conceptionis, non fuisset Virgini data gratia, iam non fuisset ei collatum plùs gratiæ, ad vincendum omni ex parte peccatum, quia non in illo instant i, in quo maximè indiguit ad vincendum originale peccatum, & sic daretur aliquod momentum, & pars licet indiuisibilis vitæ Virginis, ex quâ parte non ipsi adfuisset gratiâ; Ergò ex sententiâ D. Augustini, etiam tunc, in primo scilicet instanti suæ conceptionis, plùs ei gratiæ collatum fuit, quàm alteri creaturæ intellectuali. Prout ex hâc D. Augustini sententiâ D. Thomas Doct: Angelicus varijs in locis intulit, videlicet 3. p. q. 27. a. 1. *Rationabilitèr* (inquit) *creditur, quòd illa quæ genuit vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus alijs maiora gratiæ priuilegia acceperit.* Et in 3. dist: 3. q. 1. a. 1. q. 13. *Plùs gratiæ B. Virgini collatum est, quam alicui Sanctorum.* Et ibidem q. 12. ad 3tium. *Sub puritate, quæ soli homini DEO debetur, maximam Virgo Mater debuit habere puritatem.*

5. Prætereà. Theologi in hoc consentiunt, quòd DEVS influit sua dona creaturis intellectualibus, secundùm virtutem & capacitatem illarum. Vndè S. Thomas 3. p. q. 1. ad. 3tium, dicit. *Quòd capacitas humanæ naturæ, secundùm ordinem potentiæ naturalis, semper impletur.* Atqui anima B. Virgi-

Virginis, ad corpus immaculatum & Diuinâ manu fabricatum veniens, habuit summam capacitatem & virtutem respectu gratiæ, à DEO in instanti suæ animationis in ordine ad corpus recipiendæ; Ergò DEVS eam tunc impleuit.

6. Confirmatur. Quia Mater DEI capacior fuit respectu gratiæ, quàm Angeli & primi parentes in instanti creationis, quibus in instanti primo creationis supponitur esse gratia gratum faciens collata à DEO; Ergò à potiori, debuit dari in instanti conceptionis, gratia talis Virgini; Sed necesse fuit, tantò maiorem gratiam dari Virgini, quantò maior est dignitas Matris DEI, dignitate naturæ Angelicæ, secundùm quam omnes sunt ministri DEI tantùm; luxtà illud Apostoli ad Hebr: 1. *Omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium facti;* Ergò de facto maior illi data est, quam Cherubim & Seraphim.

7. Quòd autem Virgo capacior fuerit gratiæ præ Angelis, etiam supremis, videntur dicere Sancti Patres, qui illi in instanti conceptionis, maiorem gratiam collatam asserunt, quàm supremo Angelo; ab esse autem ad posse, optima est consequentia. Hinc S. Dionysius Areopagita in epist: ad S. Paulum ait de ipsâ. *DEI forma est, ac suprà cælicolos Spiritus, sanctissima Mater IESV CHRISTI.* Andreas etiam Hierosolymitanus ser: 2. de Annunt: ait. *Mulier quæ cælorum superauit naturam puritate, Virgo ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam, prima natura proximè accedens ad DEVM opificem omnium generationum.* S. Bonauentura serm: 2. de B. V. *Hæc in tantùm DEO proxima fuit, tantâque sanctitate resplenduit, & sic in summo bonorum omnium culmen obtinuit, vt creatura aliqua non vnita Verbo, nec perfectior nec maioris boni capacior sit.* Theodoretus lib: 3 in Cant. *Inter tot hominum qui saluantur animas, Maria veluti electa columba, non solùm pulchra penitùs & immaculata, sed etiam quæ puritate Cherubim ac Seraphim antecellit.* Fulbertus Carnotensis in salut: ad Deiparam. *VIRGO (inquit) electa, & insignis inter filias, quæ ab exordio suæ creationis, immaculata semper extitit, quandoquidem Creatorem totius sanctitatis erat paritura.* Petrus Damiani sic ad eam exclamat. *O sancta, & Sanctis sanctior, & totius sanctitatis sanctißimè thesaure!* Abbas Cellensis lib: de paradyso cap: 12. *Ab exordio (ait) suæ conceptionis, aspersione Spiritus Sancti, totâ Deitatis gratiâ est superfusa.* S. Ignatius Martyr in Epist: ad Joannem. *In Maria Matre IESV, naturæ humanæ sanctitas, naturæ Angelicæ sociatur.* Et multa talia videre est apud sanctos Patres, ex quibus habetur, capaciorem fuisse animam Virginis gratiæ gratum facientis, in instanti primo conceptionis, quàm Angelos, in instanti creationis eorum. Ergò &c.

8. Hùc facit ratio D. Thomæ, quam facit 3. p. q. 27. a. 5. pro plenitudine gratiæ Marianæ, in eius sanctificatione, vt ipse vocat, nos autem iam communitèr dicimus, in eius sanctissimâ conceptione. Quæ talis est. *Quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij. Vndè Dionysius dicit 4. cap: cælestis Hierarchiæ,*

rarchiæ, quòd Angeli qui sunt DEO propinquiores, magis participant de bonitatibus diuinis, quàm homines: CHRISTVS autem est principium gratiæ, secundùm Diuinitatem quidem, authoritatiuè, secundùm humanitatem verò, instrumentaliter. Vndè & Ioannis 1. dicitur: Gratia & veritas, per IESVM CHRISTVM facta est. B. autem Virgo Maria, propinquissima CHRISTO fuit secundùm humanitatem, quià ex eâ accepit humanam naturam, & ideò præ cæteris maiorem debuit à CHRISTO gratiæ plenitudinem obtinere. Sed ista plenitudo non esset maior cæteris, si in instanti conceptionis non accepisset à CHRISTO gratiam gratum facientem, quàm tamen secundùm D. Thomam, acceperunt Angeli in primo instanti creationis suæ; Ergò B. Virgo nedùm tunc accepit gratiam, sed & maiorem Angelorum gratiâ, propter quod & vocatur non simplicitèr gratia, sed plenitudo gratiæ.

9. Prætereà. Albertus Magnus super Missus est, ait. *Dum B. Virgini ab Angelo dicitur, gratiâ plenâ, annunciatur ei plenitudo gratiæ, quæ est origo, & medium, & causa omnis gratiæ, in humanum genus transferendæ, & secundùm statum viæ, & secundùm statum patriæ: iuxtà illud, quòd Virgo de se loquitur Eccl: 24. Ego Mater pulchræ dilectionis, &c.* Et. *In me omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis.* Sed inconueniens est, vt illa quæ transfert omnem gratiam in alios, etiam in patriâ cælesti constitutos, careat ipsa in suâ origine gratiâ, cùm nemo det, quod ipse non habet, Ergò ista gratia omninò fuit in Virgine, vt in fonte, idque omni vitæ eius instanti; quod est propositum.

10. Adduco & Doctorem Subtilem, antesignanum eorum, qui censent Virginem præseruatam à peccato originali, per infusionem gratiæ gratum facientis in animam eius, in ipso instanti animationis. Ita ergò ille in 3tio q. 3. §. Ad quæstionem &c. loquitur. *Dico, quòd DEVS potuit facere, quòd ipsa nunquàm fuisset in peccato originali. Quòd declaro. Quià gratia æquiualet iustitiæ originali, quantùm ad acceptationem diuinam, vt propter hanc, animæ habenti gratiam, non insit peccatum originale; potuit enim DEVS in primo instanti creationis vel infusionis illius animæ, infundere sibi gratiam tantam, &c.* Et in responsione ad authoritates §. si autem teneatur &c. hæc habet. *Si alicui in primo instanti creationis animæ, detur gratia, ille licet careat iustitiâ originali, nunquam tamen est debitor eius, quià meritò alterius præuenientis peccatum, datur sibi gratia, quæ æquiualet illi iustitiæ, quantùm ad acceptationem Diuinam, imò excedit.* In quibus locis manifestè loquitur Doctor Subtilis, quòd potuit in instanti conceptionis dari Virgini gratia. Ex quo iam omnes sui discipuli intulerunt, quòd de facto data est, quià hoc verâ ratione occurrit à DEO esse factum, vt potè futuræ Matri suæ congruentissimum. Adde, quòd rationes Doctoris Subtilis, quibus probat, CHRISTO in instanti conceptionis, datam esse summam gratiam, æquè procedunt de B. Virgine, sumendo ly summa gratia negatiuè, id est, per non excedentiam ab aliquâ gratiâ. Dicit enim D. S. in 3. dist: 13. q. 1. quòd DEVS non potuit animæ CHRISTI conferre gratiam summam positiuè, quæ scilicet

ità excedat omnia alia, vt DEVS non possit creare ei æqualem: quia vt ibi inquit, potuit & potest aliam naturam æqualem assumere, & æqualem gratiam sibi dare; potest tamen dare & de facto dedit, gratiam summam negatiuè, id est, quæ ita est summa, vt ei possit esse æqualis creabilis; Ergò ipso facto, non est contrà mentem Doctoris Subtilis, tribuere Virgini Matri tantam gratiam, quantam habuit CHRISTVS, etiam in instanti conceptionis; maximè cùm D. Hieronymus id expressè asserat, dicens. *In Mariam totius gratiæ, quæ in CHRISTO est plenitudo, venit: quanquàm aliter.*

11. Prima ergò ratio Doctor Subtilis vbi suprà, pro summâ gratiâ CHRISTI, est talis. Subiectum receptiuum accidentis conuenientis, habentis gradus, quod non determinatur ex se ad aliquem illorum graduum, potest quantùm est ex se, recipere illud accidens, secundùm quemcunque istorum graduum. Sed anima CHRISTI & anima Virginis, sunt talia subiecta respectu gratiæ, & sunt sibi pares istæ animæ, quia ex eodem Doctore in eodem 3. dist: 4. sunt in naturâ humanâ æquales inter se, CHRISTVS scilicet & Maria Mater eius, Ergò possunt quantùm est ex se, recipere quemcunque gradum gratiæ, etiam summum, vnicâ actione DEI creabilem.

12. Secunda ratio. Susceptiuum formæ habentis gradus, cui nullus repugnat, potest quemlibet recipere; Sed animæ istæ sunt talia susceptiua respectu gratiæ; Ergò &c.

13. Tertia ratio. Angelus & anima, comparantur ad gratiam, secundùm eandem rationem receptiui, quia scilicet gratia vt recipitur, est forma eiusdem rationis, & ita recipientia in quantùm recipiunt eam, sunt eiusdem rationis, esse enim illa subiecta alteriùs rationis accidit eis, vt recipiunt hoc accidens. Ergò quantam gratiam potest recipere anima, tantam potest recipere & Angelus; Sed summam creabilem potest recipere anima CHRISTI, Ergò & Angelus. Tunc vltrà. Sed anima B. Virginis, est nobilior Angelis in ratione receptiui gratiæ, Ergò si Angelus est capax summæ gratiæ, multò magis anima Mariæ.

14. Quarta ratio. Quandò inter aliqua extrema communia, est proportio, vt inter prima extrema illius proportionis, eadem proportio est inter quæcunque contenta sub altero extremorum, Sed prima extrema huius proportionis, scilicet perfectio supernaturalis, & perfectibile supernaturale, sunt gratia, quæ est perfectio, & natura intellectualis, quæ est perfectibile, Ergò in quibuscunque contentis sub altero extremo, est ratio istius proportionis; & ita quæcunque gratia etiam summa, potest esse perfectio cuiuscunque naturæ intellectualis, vt perfectibilis. Atque ita anima CHRISTI, anima Virginis, & Angeli, æquè sunt proportionati ad summam gratiam habendam. Ex his igitùr quatuor rationibus habetur, ita summæ gratiæ fuisse capacem animam Virginis, sicut animam CHRISTI, quia

scilicet

scilicet sunt susceptiua eiusdem rationis, & æquè proportionata in ratione perfectibilis, ad gratiam suscipiendam.

15. Tunc vltra infero Minorem. Sed quod DEVS potuit facere CHRISTO, de facto fecit; prout Doctor Subtilis ibidem q. 2. infert, sic arguens. *Probabile est dicere, secundùm Magistrum, quòd DEVS tantam gratiam CHRISTO contulerit, quantam potuit: potuit autem conferre summam creabilem, Ergò contulit summam.* Et roborat hanc suam illationem, dicto D. Augustini 3. de lib: arbitrio cap: 5. *Quidquid tibi verâ ratione melius ocurrit, scias hoc DEVM magis fecisse, quam non fecisse; videtur autem simpliciter melius secundùm rectam rationem, summam gratiam esse alicui collatam, quàm non esse collatam, quia in hoc manifestatur summa misericordia DEI, in dando summum bonum gratiæ sine meritis, Ergò probabile est, hoc esse factum, & non in alio quàm in animâ CHRISTI. Ergò &c.* Igitùr (ego addo) si etiam idem potuit facere VIRGINI MATRI CHRISTI, de facto fecit, quia & hoc rectâ ratione melius occurrit, & magis manifestatur summa misericordia DEI. Quod & probo.

16. Quià si non, tunc maximè propter has rationes, quas ponit Doctor Subtilis ibidem. Quià scilicet non possunt esse duo capita, sicut nec duo suprema in eodem ordine; iam autem posito, quòd DEVS B. Virgini dedisset tantam gratiam, quantam CHRISTO dedit, iam essent duo capita nostræ salutis, & duo suprema in eodem genere. Et quià si posset dari alicui tanta gratia, quanta data est CHRISTO, iam ille qui accepisset tantam gratiam, posset tantùm proficere in meritis, quantùm CHRISTVS meruit, quod videtur absurdum. Quæ certè rationes non obsunt B. Virgini, licèt omni alteri obsint. Prima non. Quià B. Virgo, est adiutorium simile CHRISTO capiti, & quasi concaput respectu nostri, vt iam deduximus in præcedentibus; Ergò positâ in eâ summâ gratiâ, non sequitur quòd sit aliud caput disparatum à CHRISTO, quia adhuc pertinet ad idem caput. Duo etiam suprema in eodem ordine non ponuntur, ponendo duas summas gratias, vnam in CHRISTO, & alteram in Matre eius; quia licèt vtrobique sit gratia æqualis, tamen ratione concreatorum, variat: quia in CHRISTO est summa vt in capite, in Matre eius est summa vt in adiutorio & concapite, seu quòd idem est, in CHRISTO est independentèr & immediatè, in Virgine dependentèr à Christo, & eius meritis, & mediatè, quia mediante eius passione, vtrobique tamen summa. Secunda etiam non. Quià secundùm ipsummet Doctorem Subtilem hîc in 3. dist: 20. Meriti ratio formalis, consistit in acceptatione diuinâ; licèt ergò in B. Virgine de facto est summa gratia, non tamen actus Virginis eliciti ex motiuo eius, tantùm acceptantur à DEO, quantùm acceptantur merita Christi; quia merita Christi à DEO acceptantur de condigno, & quasi ex se, & propter se, Virginis autem, ad summum de digno, vt loquitur S. Bonauentura, qui inter meritum condigni, & congrui, agnoscit medium, videlicet meritum digni in 1. dist: 41. a. 1. q. 1. propter Christum.

ſtum. Patet ergò, quòd de mente Doctoris Subtilis, à ſummâ gratiâ non eſt excluſa B. Virgo, quia reſoluendo ſe finalitèr, hæc verba ſubtexuit ibi. *Hic* (inquit) *poſſet dici, quòd licet DEVS de potentiâ abſolutâ poſſet tantam gratiam conferre alij naturæ, ſiuè aſſumptæ, ſiuè fortè non aſſumptæ, non tamen de potentiâ ordinatâ; quia ſecundùm leges iam poſitas à ſapientiâ Diuinâ, non erit niſi vnum caput in Eccleſiâ, à quo ſit influentia gratiarum in membris: Ergò cenſuit dabilem eſſe alicui gratiam ſummam, etiam de potentiâ ordinatâ DEI, dum modò per hoc non ponatur duplex caput in Eccleſiâ; Atqui tribuendo B. Virgini ſummam gratiam, non ponitur duplex caput in Eccleſiâ, ſed vnicum, cum adiutorio per omnia ſimili, Ergò verè data eſt talis gratia iſti Virgini, de potentiâ DEI ordinariâ.*

17. Prætereà. In ſolutione ſecundi Principalis q. 2. diſt: 13. Doctor Subtilis dicit. *Licet anima Chriſti, poſſet quietari per quamcunque gratiam, ſicùt & quæcunque anima, non tamen ſummè quietatur ſinè ſummâ gratiâ, quià nec ſummè coniungeretur obiecto, in quo eſt perfecta quies, niſi haberet ſummam gratiam.* Tunc ex hoc ſic arguo. Pertinebat ad manifeſtandam miſericordiam DEI, vt eſſet aliqua anima non vnita Verbo, quæ ſummè coniungeretur obiecto beatifico, & ſummè quietaretur in eo; & hoc non congruit niſi animæ Matris DEI: Sed hoc fieri non potuit, niſi haberet ſummam gratiam, Ergò habuit ſummam.

18. Si dicas, quòd hoc derogaret dignitati Chriſti, quòd aliqua anima non vnita, ſummè DEO coniungeretur. Reſpondeo, quòd non: quià adhuc Chriſto maneret ſua dignitas ex duplici ratione; videlicet, & ex ratione hypoſtaticæ vnionis, & ex ratione ſummæ gratiæ ex DEI liberalitate ipſi collatæ; iſti verò animæ Matris illius, iſta dignitas accederet, non ex DEI liberalitate purâ, per quam ſibi conferretur ſumma gratia, ſed ex merito paſſionis Chriſti ab æterno præuiſæ.

19. Confirmatur ratio per Doct: Subtilem ibidem in ſol: 3tij Principalis q. 2dæ: ſic docentem, ſub ipſum finem quæſtionis. *Miſericordia & iuſtitia, quæ pertinent ad Hierarchiam naturarum intellectualium, quantùm ad eſſe morale, non ſummè manifeſtantur in quocunq; opere gratiæ: Imò videtur, quod ſumma miſericordia non manifeſtatur, niſi ſine meritis, ſumma gratia & gloria daretur.* Ergò pertinebat ad manifeſtationem ſummam miſericordiæ DEI, vt alicui puræ creaturæ intellectuali, daretur ſinè meritis proprijs, in inſtanti conceptionis, coæua eaque ſumma gratia; non tamen gloria, vt ita Chriſtus excelleret, vt potè qui in inſtanti conceptionis, nedùm ſummam gratiam, ſed etiam ſummam gloriã coæuam, ex DEI liberalitate accepit.

20. Vel ſi contendas, Virgini in inſtanti conceptionis, etiam gloriam datam, ſecundùm illam pientiſſimam SS. Patrum ſententiam, quæ tenet Mariam in inſtanti conceptionis, vidiſſe diuinam eſſentiam, plus quam Moyſen & Paulum in raptu; tamen negare non potes, illam viſionem fuiſſe viæ, & per modum tranſeuntis, in Chriſto autem fuiſſe viſionem patriæ, & permanentem; atque ità etiam ex hâc parte, non eſſe æqualitatem illius animæ, ad animam Chriſti, agnoſces.

21. Prætereà. D. Thomas 3. p. q. 34. a. 3. ſic arguit pro Chriſto, Chri-

CHRISTVS perfectè sanctificatus est, vt esset aliorum Sanctificator, Ergò habuit gratiam, in primo instanti suæ conceptionis. Tunc à pari. Virgo Beata, gratiæ plenitudinem ideò accepit, vt pariendo DEVM hominem, authorem omnis gratiæ, deriuaret ad omnes gratiam, Ergò ipsa omninò debuit habere gratiam, in instanti suæ conceptionis.

22. Præterea. B. Virgo ex consensu omnium SS. Patrum, fuit Ens creatum perfectissimum sub Christo; Sed DEVS, dùm creaturam intellectualem facit perfectissimam in esse naturæ, simul eandem facit perfectissimam in esse gratiæ, ideòque quos sanabat in corpore, eosdem sanabat simul & in animâ, vt patet in Euangelio; Ergò si VIRGINEM Matrem in instanti conceptionis, fecit perfectissimam in esse naturæ humanæ, redintegrando in eâ naturam nostram, vt jam suprà Resolutione 3tiâ hîc ostendimus, sequitur, quòd eam simul fecit perfectissimam in esse gratiæ.

23. Denique omnes piè sentientes de Immaculatâ Virginis conceptione, quamuis asserant, eam modo per omnia ordinario, seminaliter & cum contagio carnis, & cum obnoxietate contrahendi in animâ peccati originalis, conceptam esse; quòd tamen nos diffitemur, & oppositum clarè iam vt puto ostendimus supra; tamen eam docent, in primo instanti suæ animationis, gratiâ Christi sanctificante ità præuentam esse, vt macula peccati originalis, nunquam animam & personam eius infecerit; in quo dogmate etiam aduersarij consenserunt, cum Caietano, Opusculo de Concept: B. V. Leoni X. dicato. Ergò iam videtur esse vniuersale dogma in Ecclesiâ, quòd Virgo in primo instanti suæ animationis, habuerit gratiam gratum facientem. Meritò ergò pronuncianda venit sancta & immaculata, in suâ purissimâ conceptione.

Sicque patet nostra Resolutio 6ta, pro quâ possemus afferre plura, sed hæc sufficiant.





RESOLVTIO SEPTIMA.

Beata VIRGO, est perfectissima Imago DEI, proindè à peccato originali, quod in nobis conspurcauit imaginem DEI, est immunis.

I.



Ominem ad imaginem Dei esse creatum, quia disertis verbis perhibet sacer textus, Gen: 1. ideò nullus est ex Catholicis, qui negare audeat; esto omnes quotquot id declarare aggressi sunt, in magnas inciderint difficultates. Et licèt omnibus in hoc puncto placuit acumen D. Augustini, relati à Magistro sententiarum in 1. dist. 3. qui imaginem SS. Trinitatis, in animâ nostrâ duobus modis declarat; primò quidem per memoriam, intelligentiam, & voluntatem; secundò verò, per mentem, notitiam, & amorem, vt videre est in Magistro loco citato; adhuc tamen ingenuè fatentur, quòd sic assignata imago SS. Trinitatis in nobis, maximè distat à prototypo: vt subtilitèr deducit Doctor Subtilis in 1. dist. 3. q. 9. §. Sed hic occurrunt duo dubia &c. Ibi, Ad secundum dico &c.

2. Addo ego. Quòd vtraque ista imaginis Diuinæ in nobis assignatio, solùm concernit animam humanam; cùm tamen sacra scriptura totum hominem ad imaginem Dei conditum esse, clarissimè testetur, dicendo Gen: 1. *Creauit DEVS hominem, ad imaginem & similitudinem suam.* Et 1. ad Cor: 11. *Vir quidem est imago & gloria DEI.* Et Psal: 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* In quibus sanè, & alijs pluribus locis, non est sermo de solâ mente vel animâ intellectiuâ, sed de toto homine. Videtur ergo sic assignanda imago Dei in nobis, quæ toti homini conueniat, & non soli præcisè animæ. De quo posteà.

3. Nunc autem, tenendo communem sententiam, authoritate D. Augustini firmatam, quòd scilicet imago SS Trinitatis, in nobis resplendeat, ex parte solius animæ, scilicet in actibus eius primis & secundis simul, vt docet Doctor Subtilis in 1. dist: 3. q. 9. & in 2. dist: 16. q. vnicâ, ad propositum nostræ Resolutionis. Dico. Quòd anima Beatissimæ Virginis, in primo instanti suæ creationis, fuit perfectissima imago Dei.

4. Quod vt probem; præmitto verba Doctoris Subtilis in 1. dist: 3. q. 9. post solutionem secundi dubij §. Vlteriùs in speciali &c. vbi sic habet. *Notandum est, quod perfectißima & vltima ratio imaginis est, quandò ista* (puta, memoria, intelligentia, & voluntas, secundùm vnum modum loquendi D. Augustini; vel mens, notitia, amor, secundùm alium modum loquendi eiusdem) *concurrunt in mente, respectu* DEI *vt obiecti; quia tunc anima non habet tantam similitudinem expreßiuam, quantùm ad prædicta, ex ratione eorum in se, sed eâ etiam ratione, quâ actus ipsi conformantur obiecto: est enim actus verè similitudo obiecti: & ideò quando isti actus sic sunt in mente, quòd non tantùm habent consubstantialitatem, similitudinem, distinctionem, & originem, sed etiam habent vlteriorem aßimilationem ad* DEVM, *ex ratione obiecti, circà quod sunt, est perfectior similitudo: minùs autem perfecta, quandò anima habet se pro obiecto. Quia licet tunc non habeatur similitudo ab ipso* DEO *immediatè, tanquam ab ipso obiecto proximo, habetur tamen aliqualiter, in quantùm in mente vt in imagine, cognoscitur* DEVS. Et adducit pro se D. Augustinum lib: 12. de Trinit: cap: 4. sic inquientem. *In eo solo quod ad contemplationem pertinet æternorum, non solùm Trinitas est, sed etiam imago* DEI*: in hoc autem quod deriuatum est in actionem temporalium, etiam si Trinitas posset, non tamen imago* DEI *inueniri potest.* Quæ verba docet ille, esse intelligenda de summâ expressione imaginis, dicens. *Hoc intelligendum est de expreßiuâ imagine, quantùm ad summam expreßionem siuè similitudinē.* Et l. 15. de Trin: c. 21. *Vnde* (inquit) *potest natura sempiterna atq; immutabilis recoli, conspici, dùm reminiscitur per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem; profectò mens reperit illius summæ Trinitatis imaginem, ad quam reminiscendam, videndam, diligendam, totum debet referri quod viuit.* Et subdit quasi concludendo Doctor Subtilis. *Et tùnc patet, quomodò respectu omnium obiectorum inferiorum à mente, non ponit* (supple D. Augustinus) *imaginem in mente, quia nullum aliud obiectum est imago* DEI, *respectu eius potißimè; & respectu imaginis eius, secundariò est imago in mente, quantùm ad illam similitudinem, quæ habetur ab obiecto.* Hæc Doctor noster.

5. Cuius totius discursus, est iste sensus. Illa mens seu anima, maximè repræsentat imaginem DEI, in quâ memoria, intelligentia, & voluntas, seu in quâ, mens, notitia, & amor, perpetuò versantur circà DEVM vt obiectum. Patet hoc: quia tunc istæ potentiæ, vt stant sub suis actibus secundis, nedùm exprimunt Trinitatem, per consubstantialitatem, similitudinem, distinctionem, & originem, quod faciunt circà quodcunque obiectum, sed etiam habent assimilationem ad DEVM, circa quem tunc operantur immediatè, quam non habent, dum operantur circa alia obiecta, & etiam circa ipsammet animam, nisi mediatè; vt deducit ille. Tunc infero Minorem. Sed anima Beatissimæ VIRGINIS, in primo instanti suæ creationis, suam memoriam, intelligentiam, & voluntatem, totamq; mentem, notitiam, & amorem, in DEVM retulit, vt in obiectum, eum recolendo, conspiciendo, & amando; nec deinceps se vnquam ab eo auertit, ita vt etiam dormiendo, plùs contemplaretur DEVM, quam Angeli in cœlo, vti iam Decade istâ Resol: 5tâ ex SS. Patribus deduximus, Ergò anima Beatissimæ Virginis, fuit in instanti primo suæ creationis & deinceps, perfectissima imago DEI.

6. Si

6. Si instes; quod B. Virgo etiam alia cogitauit, & dilexit, nedum DEVM, Ergò saltem tunc, non exprimebat eius anima imaginem DEI. Respondeo. Negando illatum. Quia quidquid Virgo cogitauit & dilexit, hoc totum sempèr retulit in DEVM, vt suprà docuimus; & ita Deum in omnibus recolebat, & diligebat, sicque adhuc semper exprimebat in se imaginem Dei.

7. Huius sententiæ de imagine Dei perfectissimâ in Virgine relucente, fuit vetustissimus author Origenes, dum in illa verba Cantici MARIANI, Luc: 2. positi; *Magnificat anima mea Dominum*, scribens, sic quærit. *Quomodò anima Mariæ magnificauit Dominum, cùm DEVS nec augmentum nec decrementum recipere potest?* Et respondet. Quòd potest in sui imagine, quam nobis impressit. Do verba Origenis. *Vnusquisq; nostrum, ad imaginem DEI formans animam suam, aut maiorem ei aut minorem ponit imaginem; quandò igitur grandem fecero imaginem, & magnificauero eam opere, cogitatione, & sermone, tunc imago DEI grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est anima nostra, magnificatur: & quomodò crescit Dominus in nostrâ imagine, cùm iusti sumus, sic si peccatores fuerimus, minuitur, & decrescit.* Hæc Origenes. Atqui B. Virgo confitetur veracitèr, quòd anima eius magnificauerit Dominum, & hoc non alitèr nisi in imagine, scilicet grandem in se faciendo Dei imaginem, semper circà Deum vt obiectum, se occupando opere, cogitatione, sermone, memoriâ, intelligentia, voluntate, mente, notitiâ, amore; ipsa etiam fuit iustissima, & purior Angelis, nec vnquam vel venialitèr peccauit, Ergò Beata Virgo fuit excellentissima Dei imago semper, quod est propositum.

8. Possem & plura talia hùc congerere, quæ probant animam B. Virginis expressisse semper Iconem diuinitatis clariùs & manifestiùs, quàm animas aliorum hominum; suppetit enim talium copia sufficiens apud SS. Patres, quæ id de animâ Virginis conuincunt. Sed quia nunquam mihi placuit ista imaginis diuinæ in nobis assignatio, & explicatio, per potentias & actus animæ; ideò spontè supersedeo, & alitèr imaginem Dei, in homine relucentem, declarare aggredior. Sub humili tamen correctione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

9. Prænoto ergò primò. Quòd Sacra Scriptura, loquens de imagine Dei relucente in nobis, loquitur de eâ vt permanente, non verò vt transeunte: supponitur enim ista imago esse in nobis, per modum indelebilis characteris, & sigilli, quo naturam humanam obsignauit Creator omnipotens, ex dono creationis; ita vt siuè homo sit iustus, siuè peccator, semper tamen imago Dei esse debeat. Jam verò per potentias & actus earum explicata imago Dei in animâ, nequit esse quid permanens & perpetuum, vt & ipse Doctor Subtilis in 2. dist: 16. q. vnicâ in sol: 1mi Principalis fatetur, dicens: *Imago vt est perpetua, solùm est virtualitèr in animâ, & formalitèr vt est sub actibus.* Ergò alitèr ratio imaginis Diuinæ in nobis assignari debet, quæ scilicet sit formalitèr in nobis, & tamen perpetua.

10. Prænoto secundò. Quod potiùs anima censenda est repræsentare Deum in sui substantiâ, quàm in ijs quæ circumstant eius essentiam, vt sunt memo-

memoria, intelligentia, voluntas; nec enim iuuat dicere, quòd anima in ſe vt in radice, repræſentat imaginem virtualitèr; quià Sancti Patres & Scriptura, dum loquuntur de imagine DEI in animâ, loquuntur de imagine formalitèr in animâ relucente, & non virtualitèr ſolùm, vt iam dixi. Tùm quià, imago ex ratione ſui nominis, dicit ſimilitudinem eſſentiæ atque figuræ, non autem ſolam numeri paritatem. Tùm quia iſta tria, etſi repræſentent Trinitatem, non tamen imaginem DEI, quia hæc D. Auguſtinus lib: 12. de Trinit: cap: 4. diſtinxit. Ergò ſi anima refert imaginem DEI, eam debet repræſentare in ſuâ eſſentiâ ſimpliciſſimâ, indiuiſibili, homogeneâ, ità vt illa imago ſit ita intima animæ, ſicut ipſamet ani ma eſt intima ſibi.

11. Prænoto tertiò. Quòd illa diuiſio animæ, quâ illam aliqui partiuntur in portionem ſuperiorem & inferiorem, non eſt conſona imagini DEI in animâ, quia tollit ſimplicem homogeneitatem animæ, ſecundùm quam tamen anima DEI, imaginem potiſſimùm exprimere debet. Vndè & illi qui in ſolâ portione ſuperiori, ponunt imaginem DEI, iam tenentur negare, DEI imaginem eſſe per totam animam hominis propagatam, quod quam deroget nobilitati animæ, facilè eſt iudicare.

12. Prænoto quartò. Quòd licèt Doctor Subtilis in 1. diſt: 3. q. 9. §. De ſecundo ſciendum &c. aſſignet nobis regulam, per quam cognoſcere valeamus, quæ creatura ſit imago DEI, dum dicit: *Illæ creatura, quæ ducit nos in cognitionem Trinitatis, per modum imitationis, repræſentabit Trinitatem, quantùm ad illum totalem conceptum, quem intellectus noſter poteſt habere de eâ: quæ repræſentabit diſtinctionem trium perſonarum, vnitatem eſſentiæ, & ordinem originis, & habebit imitationem eſſentialem ad ipſam Trinitatem, quam repræſentat:* Tamen videtur non eſſe ad hoc neceſſarius tantus rigor. Sicut enim DEVS eſt trinus & vnus, vnicam ſcilicet habens eſſentiam, & in eâ tres perſonas diſtinctas ſubſiſtentes, ità ſufficere videtur ad oſtendendum, quòd iſta creatura ſit exacta imago DEI, quæ eſt vnica in eſſentiâ & trina in ſuppoſitionalitatibus, inter ſe realitèr diſtinctis, non tamen ab eſſentiâ, in qua ſubſiſtunt; licèt ordo originis, non appareat euidentèr inter iſtas ſuppoſitionalitates; quià reuerâ & ipſe ille ordo originis, qui eſt in Diuinis, neſcitur à nobis exactè; Juxta illud Jſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* & multò minùs licet nobis, eius ideam vel iconem in imagine creatâ, deprehendere.

13. Si itaque declarauero, animam noſtram eſſe creaturam talem, quæ per ſe ipſam, non verò per ea quæ ipſius eſſentiam circumſtant, repræſentat vnitatem eſſentiæ, Trinitatem perſonarum, & earum cum eſſentiâ identitatem eſſentialem, inter ſe verò diſtinctionem realem: quæq; habet imitationem eſſentialem ad DEVM, quem repræſentat, ità vt talis ſit per omnia, qualis eſt DEVS, licet dependentèr & participatiuè; credo me ſatisfacturum propoſitæ difficultati: quamuis ordinem originis non ità vt oportet explicauero, quem & ipſi ſic aſſignantes imaginem DEI in animâ,

 exactè

exactè nequeunt exprimere; vt patet ex Doctore Subtili in 3. dist: 3. q. 9. §. Ad secundùm &c.

14. Dum autem promitto, me ostensurum in animâ imaginem Dei, nolo vt intelligas, me in solâ tantùm animâ agnoscere Dei imaginem, quia iam suprà docui, totum hominem esse imaginem Dei, ex vi suæ creationis, sed pono imaginem Dei, in animâ principalitèr & primariò, in corpore verò, vt procedentem ab animâ & secundariò, vt ita totus homo sit vera Dei imago, non iam transiens, sed permanens, & perennans.

15. Prænoto quintò. Quòd sicut, (iuxta D. Joannem Epist: 1. cap: 1. *& DEVS lux est,*) *tenebræ in eo non sunt vllæ;* ità anima nostra, est lux substantialis, seu substantia luminosa, spiritualis, vitalis, stans in simplicissimâ vnitate, & indiuisibili homogeneitate spiritus, ideòque immortalitatis & indissolubilitatis symbolum habens; sicut autem nihil est immaterialius, nihil spiritualius luce, quæ tamen cernitur à nobis sub certis figuris, & concipitur esse in loco definitiuè, ita quod nequaquam in aëre, sed præcisè in loco (quod patet, quià difflato aere, non difflatur lux cum suo radio, sed manet in loco in quo est determinatè) ità per omnia est & in animâ nostrâ; quàm quià Devs sicut & alia creata, fecit in numero, pondere, & mensurâ, ideo determinata manet secundùm figuram & locum, dùm quidem separata est, ad instar Angeli, dùm verò est coniuncta, retinet certum locum in corpore; modò quidem post peccatum Adæ, in animâ sensiuâ, cui est alligata, quæ quia thorum sibi centralem elegit in meditullio membranæ orificij stomachi, vt sagaciores medici obseruarunt, ibi etiam mentem esse certum esto. Ast antè peccatum, mens immediatè fuit in spiritu sydereo, seu Archeo corporis, ideòque totum corpus spiritualizabat, illi configurata per totum. Vlterius.

16. Prænoto sexto. Quòd in doctrinâ Doctoris subtilis, figura quâ res figurantur, & determinantur, alia est extrinseca, quæ dicit ordinem & coëxtensionem ad locum Physicum, alia intrinseca, quæ caret tali coëxtensione ad locum, sed solùm stat præcisè in se: qualem figuram habet corpus Christi organicum in Eucharistiâ. Et hanc figuram intrinsecam, à substantiis creatis viuentibus, siuè spiritualibus, siuè corporalibus, esse inseparabilem, vel indè conijcio, quòd nihil vnquàm ex Entibus substantialibus creatis concipere possumus, quòd non aliquam sui repræsentet figuram, sub qua stet in consideratione: hinc est, quòd estò animam nostram concipimus incorpoream, cùm tamen eam vt indiuiduam in athomo existentem cogitamus, non possumus eam omni figurâ orbatam cernere, sed semper respondentem figuræ humanæ.

17. Sed nè cui falsâ meâ imaginatione videar illudere, jam ratione probo, animam humanam esse figurâ humanâ figuratam in se, figuratione intrinsecâ. Est autem ratio à posteriori (nam à priori id pro statu isto ostendere, est impossibile) talis. Corpus humanum vt tale, nequit sibi dare figuram hu-

manam,

manam; ideò enim plasmatore opus habuit, dum formabatur ex limo terræ, scilicet digito DEI, qui digitus DEI, si perseueraſſet status innocentiæ, semper corpus ita formaſſet in sanguine arteriali Matris VIRGINIS, sicut formauit Corpus CHRISTI in sanguine B. VIRGINIS MARIæ. Jam verò modò post peccatum Adæ, adhuc opus habet sculptore interno, seu Archeo in semine latente, qui intrà materiam seminis inclusus, vnica esset fæcunditatis seminum causa, & tam superbæ staturæ fætus adumbrator & factor. Atqui iste sculptor internus seu Archeus, nec ex se, neque ex maſſâ seminis, figurandi corporis, virtutem potest habere. Ergò oportet vt eam hauriat aliundè; Atqui hoc à quo hauriat hanc virtutem, debet esse aliquid præcedens Archeum seminalem, & quidem immateriale, reale, & effectiuum initium, respectu talis virtutis, figuratiuæ corporis humani, Archeo communicandæ; & non videtur esse aliud, (ne in rebus naturalibus fiat statim recursus immediatus ad DEVM) nisi anima patrantium; dùm enim patrantis anima deorsùm labitur, lustratque corpus seminis per libidinem, sigilli sui figuram seu potius figuræ suæ sigillum, ibidem adumbrat, iuxtà quòd Archeus organizationem tàm superbæ staturæ fætus dirigat. Ergò anima ipsamet in se, debet esse figurata figurâ humanâ. Non enim dat aliam nisi quam habet, sui ipsius scilicet depingendo in aurâ seminis vmbram; prout & cæteræ animæ brutorum faciunt. In hoc enim, jam confusâ nostra generatione, & aſſimilatâ belluinæ generationi, est paritas inter animam humanam & animas aliarum bestiarum, quia licet nostra anima, ex vi suæ originis, quàm habet immediatè à DEO, est supra naturæ leges, tamen ex quo semel suum lumen substantiale junxit cum lumine animæ sensitiuæ, & se naturæ incorporauit, deinceps quoque legibus naturæ auscultat, quæ in omnibus generationibus vitalibus vniuocum habet progreſſum, atq; finem. Ergò sicut aliæ animæ caducæ, ita & anima humana jmmortalis, dat semini fæcunditatem, & virtutem figurandi corpus humanum, per figuræ suæ aliarumque vitalium determinationum, sigillarem in aurâ seminis adumbrationem; siquidem vnaquæque anima, ad hoc sui imaginem in spiritu seminis sigillat, vt materia iuxta illam imaginem deducta ad maturitatem, adumbratam pulchritudinem repræsentet, & simul patrantium similitudinem, cui tandem à Creatore formalis lux, sinè animâ illius speciei, cuius similitudo in figurâ exprimitur, accedat, vi jam suprà Decade primâ abundè docuimus. Patet ergò quòd anima humana quâ talis, debet ipsa esse in se figurata figurâ internâ humanâ, si dat Archeo vim figuratiuam corporis humani, in talem & tàm egregiam figuram.

18. Confirmatur. Nam si anima ipsamet in se, non esset figurata, ità quòd figura corporis velut spontè oriretur, sequeretur quod truncus pede V. G. aut aliquo alio membro, non poſſet generare nisi similitèr truncum, eo quòd generantis corpus non integrum, non poſſet dare genito corpori id, quod non habet, Ergò non à corpore, sed ab animâ patrantium, figura inseritur semini.

19. Et si instes. Aliquandò corpus geniti prodire defectuosum, & mon

strosum

ſtroſum, cùm tamen animæ patrantium ſint perfectæ in ſuis entitatibus. Reſpondeo. Hoc non prouenire à ſubtractione ſigillationis deſcendentis ab animabus, ſed ab irruentibus aliundè cauſis, impedientibus vel aliò auertentibus operationem Archei, vt ſuprà Decade primâ, dictum eſt. Tunc vltrà

20. Adnoto ſeptimò. Quòd iam ſequitur ad propoſitum. Si corpus humanum eſt figuratum tali figurâ, datâ ſibi ab Archeo, & Archeus eam accepit in ſe impreſſam ab animâ, ſui ſigillum in auram eius imprimente per libidinem, & ipſa anima nihil dat quod non habet; atq; ita quam habet figuram, hanc communicat Archeo, & demùm ipſa anima, cum tali ſuâ figurâ, ſit immediatè à DEO per creationem, adoptante & producente animam in ſui imaginem ſubſiſtentem, ſequitur à primo ad vltimum, idque argumento à poſteriori; immenſum & ineffabilem DEVM, cuius anima refert imaginem, eſſe figuræ humanæ, iuxta quod ſe in ſuâ imagine repræſentare, complacuit eius diuinitati. Et pro hoc ſtat tota ſcriptura, quæ DEVM in figurâ humanâ ſemper apparuiſſe docet Patribus & Prophetis. Legatur de hoc D. Auguſtinus lib: ſecundo de Trinit: vbi congerit diuerſa ſcripturæ teſtimonia, pro iſtis DEI apparitionibus.

21. Aſt hæc DEI imago, quæ relucet in homine figuratenùs, in animâ quidem proximè & primariò, in corpore verò remotè, & ſecundariò, & nonniſi deriuato charactere ab animâ, mediante ſculptore corporis Archeo, non eſt tanti cenſus; vndè & variatur per cauſas aliundè irruentes, & impedientes ne corpus figurâ humanâ exactè & per omnia membra figuretur. Quærenda eſt ergò alia ratio imaginis, permanentis in animâ primariò, & in toto homine per animam, & ſecundariò. Pro quo.

22. Sciendum eſt primò. Quòd mens ſeu anima intellectiua, (nam hæc ſunt ſynonyma) eſt tria; nempè intellectus, voluntas, & deſiderium; quæ tria ſunt ità coæqualia, & ſubſtantialitèr colliquata, & identificata, quòd nihil ſint niſi ipſum lumen intellectuale, ſubſtantia ſpiritualis, vnica, ſimplex, & indiuiſa, ità quòd ſub vnicâ animæ & indiuiſibili eſſentiâ, vnum omninò ſint, nec vnquam ab animâ ſeparentur. Non enim ſunt actus, aut paſſiones, ſeu potentiæ animæ, ſed ſunt tituli eſſentiales, ità quòd dum V. G. intellectus DEVM intelligit, idemmet ipſe intellectus, DEVM intendit, & idemmet intellectus, DEVM amat, ſeu deſiderat. Differunt tamen iſta tria inter ſe, ſolâ ſuppoſitionalitate; quià anima, aliquandò tota eſt intellectus, aliquandò tota voluntas, aliquandò tota amor; non quòd tunc deſinat eſſe alterum, quandò eſt quaſi vnum: non enim vnum ex his ſeparatur à reliquis; aliàs anima jam ſimplicitatem & homogeneitatem amitteret, ſi vnum iſtorum trium, eſſet extrà vel præter alia duo; ſed adhuc dum eſt vnum ex his, eſt ſimul alia duo, ità quod illa duo, in vnico hoc ſunt abſorpta, & quaſi colliquata. Patet hoc in extaſi, vbi ſolus perſtat igneus amor, abſque intellectu & voluntate, non tamen eſt tunc omninò ſeparatus ab intellectu & voluntate, quia iſta ſunt menti eſſentialia & adæquata: certum eſt autem, quod tunc amor non perſtat ſinè mente; Ergò nec ſinè iſtis, quæ ſunt menti eſſentialitèr counita.

23. Di-

23. Dixi autem, iſta tria eſſe mentem, & è conuerſo, mentem eſſe iſta tria; quia iſta tria ſunt adhuc vna lux mentis, & vnus actus purus, ſimplex, formalis, homogeneus, indiuiſus, & immortalis, in quo proximè DEI imago incomprehenſibilis, incomprehenſibilitèr eſſentialitèrquè conſiſtit, & mentem format, adeò vt in iſtâ imagine, intellectus, voluntas, amor, ſuas ſuppoſitionalitates colligant in vnitatem indiſtinctam: cùm enim anima ſit lux ſubſtantialis, ſeu quod idem eſt, ſit ſubſtantia ita lucida, vt non ſit diſtincta ſuppoſitis ab ipſamet luce; eiusque etiam intellectus, ità ſit lux animæ, vt ipſa anima, quæ nihil niſi lux eſt, ſit tantùm merus intellectus; quod idem dic & de voluntate, & de deſiderio; iam ſequitur, quod iſta tria, ſunt ipſamet lux, quæ eſt anima, & ipſa anima eſt lux, quæ eſt intellectus, vel voluntas, vel amor, ſeu deſiderium. Vlterius.

24. Sciendum ſecundo. Quod in animâ, vt eſt in ſe conſiderata, abſque vnione actuali ad corpus, qualis eſt v. g. anima beata, iſta tria, ſcilicet intellectus, voluntas, & deſiderium, ſunt omninò vnum, & vnus actus puriſſimus in eſſentiâ animæ: Ibi enim intellectus, eſt lumen formale, & ipſummet hoc lumen, eſt ipſiſſima animæ ſubſtantia, quâ intuitiuè omnia cognoſcit, abſque adminiculo alterius, vultque & amat, quidquid ſe ipsâ comprehendit: nec tùnc ampliùs recordatur per repetitionem ſpecierum, rei ſemel ſcitæ per ſpeciem intelligibilem, nec inducitur ampliùs ad cognoſcendum aliquid per ſpecies; iſte enim modus intelligendi eſt miſer & caliginoſus, & ſoli ſtatui præſenti peccaminoſo, ex ſcientiâ pomi, quæ in nobis ſurrexit in pœnam peccati, datus, ſed anima beata, omnium intellectorum habet vnicam ſimul intellectionem, & aſpectum intuitiuum, & quidquid ad noſcendum, aut volendum, aut amandum, ſiuè pro ſemel, ſiuè pro ſæpiùs, requirit, id totum à ſeipſo eius intellectus habet, & non ab alio. Similiter voluntas animæ beatæ, eſt ſubſtantialis actus bonitatis, per quā anima beata ſubſtantialitèr, vniuocè, & homogenealitèr, eſt bona, ſicut & DEVS, cuius eſt imago, eſt ex ſe bonus: amor etiam ſeu deſiderium, quod eſt quaſi tertia ſuppoſitalitas in animæ eſſentia, eſt conſubſtantialis menti, imò eſt ipſamet mens. Et ſic iſta tria, in animâ referunt exactiſſimè imaginem DEitatis. Aſt verò, cùm eadem anima conſideratur vt eſt vnita corpori, eſto in ſe ſit indiſtincta, & actus puriſſimus, tamen videtur partiri in operationes diſtinctas. Experimur enim nos intelligere, quæ non deſideramus; deſideramus etiam, quæ vel non planè noſcimus, vel quæ nolumus; volumus tandem, quæ non deſideramus, vt dùm quis volens vadit ad ſupplicium; & denique deſideramus quæ nolumus; vt dum quis ſibi crus amputari iubet. Videmus etiam quòd in hac vitâ, deſiderium quandoque ſuperat voluntatem, & voluntas deſiderium non rarò cogit, & è contra voluntatem deſiderium ſub ſuum mittit imperium: quæ omnia conuincunt iſtorum diuersas ſuppoſitionalitates, in vnicâ eſſentiâ animæ; cùm neceſſe ſit, tres, quarum operationes ſunt diſcretæ, eſſe ſaltem ſuppoſitionalitèr inter ſe diſcretas. Ergò ſecundùm iſta tria, ſcilicet intellectum, voluntatem, & amorem, quatenùs ſunt vnica lux &

ſubſtantia mentis, prout patet in beatis, ſtat ratio imaginis DEI, trini in perſonis, & vnius in eſſentiâ, quæ imago ſignata, eſt perpetuò permanſura in animâ hominis, & per animam in toto homine, quaſi ſecundariò; ita intelligendo, quòd anima immortalis, ſecundùm ſuam eſſentiam, iſta tria in ſe colliquans, eſt ipſiſſima DEI imago; corpus verò, intellige beatum in patriâ, vel innocens, quale fuit in paradyſo, & in CHRISTO, & in Matre Virgine, ſolùm eſt figura, tali imagini proportionata. Sed

25. Sciendum tertiò. Quòd modò iſta imago DEItatis in nobis, per mediam vitam ſenſitiuam viuentibus, eſt obnubilata: poſtquam enim ſuborta eſt in nobis ex eſo pomo concupiſcentia, & ſemen, eiusque comes, anima ſeminalis ſenſitiua, ſtatim omnia ſunt perturbata in corpore mortis huius: intellectus enim admiſit phantaſias, & rationes, ac ſpecies intelligibiles, hincque memoria ſubintrauit per corruptionem naturæ, voluntas etiam eſſentialis, peſſundata eſt per voluntatem viri, & amor per deſideria diuersa diffluxit, ſicque iam iſta tria in naturâ corruptâ, degenerauerunt in qualitatiuam, & quaſi accidentariam naturam. Hinc à quibusdam Doctoribus, vocantur potentiæ animæ, vt à Doctore Subtili; à quibusdam accidentia animæ, vt à D. Thoma: Et nequeunt oſtendere imaginem SS. Trinitatis, niſi deturpatam & valdè diminutam. Hinc cùm per mortem ceſſauerit anima ſenſitiua, etiam cum eâ ceſſabit memoria, & voluntas viri, & amor iſte qualitatiuus, vt vel hinc appareat, non benè per iſta tria, aſſignatam eſſe imaginem DEI in nobis. Ex his ergò

26. DICO. VIRGINEM Beatam, tam ſecundùm animam, quam ſecundùm corpus, fuiſſe perfectiſſimam DEI imaginem. Probatur. Quia in ea non habuit locum ſcientia pomi, quæ in nobis imaginem DEI ob tenebrauit, quæ cum ſolâ animâ intellectiuâ, & corpore innocente, quale habuit Adã antè peccatum, formata eſt manu DEI. Iſtos etiam tres actus eſſentiales, habuit VIRGO ita conſubſtantiales animæ, ac habent modò Beati in cælo, & conſurgebant, imò ſemper perſtabant in ea, tanquam ſubſtantia animæ; intellectus quidem, ſemper immerſus ſtetit DEO, nec vnico momento ab eo auerſus; voluntas etiam ſemper intendit DEVM, & alia in ordine ad ipsum: deſiderium quoque, ſemper ferebatur amore ſubſtantiali in eum. Ergò &c.

27. Præterea. Nulli hominum, nec ipſi CHRISTO contigit ſic exprimere SS. Trinitatem, quoad puriſſimam & præſtantiſſimam propagationem, ſeu originationem perſonarum, ſicut B. VIRGINI, quæ ſola in hoc mirificè illam expreſſit, dum illæsâ virginitate, Filium DEVM genuit; Sed ſic generare, eſt exprimere DEI imaginem modo ſingulari; iuxta ſententiam D. Ambroſij, lib: 10. de Virgin: cap: 82. Vbi de fonte ſignato, vt eſt ſymbolum virginitatis B. MARIæ, ſic loquitur. *Fons ſignatus, eò quòd Virginitas ſit fons, & origo pudicitiæ, in quo fonte imago DEI lucet.* Ergò B. VIRGO, ſuâ Virginitate fæcundâ, hanc perfectionem imaginis DEI, in ſe expreſſit, quàm nullus homo antè & poſt eam: vt hîc habeat locum illud Andreæ Hieroſolymitani; ſerm: 2. de ipſâ dictum. *Mulier quæ cælorum ſuperauit naturam puritate, VIRGO*

ipſorum

ipsorum Seraphin ipsam vincens naturam, miraculo DEI generationis, prima natura proxime accedens ad DEVM, opificem omnium generationum.

28 Præterea. Si CHRISTVS est perfectissima imago DEI, iam cum D. Anastasio sinaita. Lib: 6. Exameron, securè licebit sic exclamare. *Et quis mihi, dic quæso, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus, audebit dicere, quod ea quæ est eiusdem simul cùm DEO essentiæ, quoad carnem attinet, non sit ad imaginem & similitudinem eius, qui est ex ipsâ natus: quomodo est enim mater eiusmodi Filij, non ferens in se integram & illæsam fætus sui imaginem?* Quibus verbis roborat, D. Anastasius nostram superiùs præmissam doctrinam, de sigillatione figuræ humanæ in carne prolis, ab animâ parentum. Certum est enim, quòd anima VIRGINIS, resplendens perfectissimâ & minimè obnubilatâ DEI imagine, dùm consensit in conceptum Filij DEI, egit idem quod aliarum matrum animæ agunt in conceptu prolium, seclusâ solùm imperfectione libidinis Adamicæ. Atque ita sigillauit figuram humanam in carne CHRISTI, quæ mox à Spiritu Sancto, conformitèr ad illud sigillum impressum, compaginata & organizata est. Ergò si filius perfectissima extitit DEI imago, certum esto, quòd & Mater eius, itidem perfectissima imago esse debuit.

29. Præterea. Beata VIRGO ad hoc ab æterno electa & præuisa est, vt in eâ & per eam, natura nostra corrupta reformaretur; saltem in sententiâ illorum, qui tenent CHRISTVM non fuisse futurum, si Adam non peccasset: Sed corruptio nostræ naturæ, in eo tota sita est, quòd degenerauimus ab imagine cœlesti in imaginem terrenam; juxtà illud Apostoli ad Cor: 15. *Si portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Ergò B. VIRGO à tali degeneratione in imaginem terrenam, immunis esse debuit, si nostræ imaginis reformatrix fuit.

30. Accedit. Quòd vnus modus & quidem perfectissimus, quo in DEI imaginem ab imagine terrenâ reformamur, est communio corporis & sanguinis Filij hominis CHRISTI; vt SS. Patres testantur, & præsertim D. Chrysostomus, Hom: 55. in Joannem, dicens. *Hic sanguis facit, vt imago Regis in nobis floreat.* Et Hom: 61. ad Pop: Antioch. *Hic sanguis, floridam nobis reddit regiam imaginem, hic decus indelebile, hic animæ generositatem tabescere non permittit, eam irrigans iugitèr atq; nutriens.* Ergò B. VIRGO, quæ concipiens hanc carnem, sigillauit in eâ DEI imaginem, vt per eius communionem, & nos in DEI imaginem reformaremur, debuit ipsa esse exactissima DEI imago.

31. Præterea à contrario. Ideò in nobis Adamicis, est modò pessundata imago DEI, quia ille splendor intellectus nostri, qui in se est actus purissimus, & simplicissimus, est iam in nobis partitus in facultates varias, quasi in potentias, & in organis per quæ operari in pœnam peccati cogitur, degenerauit; idque eò magis, quò phantasiæ animæ sensitiuæ sociatus est, & in profundum corruptæ naturæ demersus, vbi vim qualitatiuam repræsentat, & organorum indolem, atque vitæ sensitiuæ modum imitatur,

tur, in quâ jam est, & consequentèr se ibi habet per modum recipientis. Atqui in VIRGINE quæ immunis fuit ab omni animalitate, sed fuit purus homo secundùm primæuam intentionem Dei, non potuit ita intellectus degenerare, quia ibi non fuit tale receptiuum, in quo mens eius teneretur sequi modum recipientis; solùm enim in Virgine fuit corpus cum spiritu suo Archeali, absque nubilo intermediæ animæ seminalis: talis autem corporis dominium plenum, habuit anima VIRGINIS, Ergò VIRGO fuit imago Dei, tam in animâ quam in corpore exactissima, & perfectissima; quia fuit purissimus & simplicissimus actus, intelligens, intendens, & amans Deum, ita sicut vnusquisque Beatus in Patriâ est.

32. Et ne me aliquis putet nimis noua afferre, roboro hanc totam de imagine DEI in MARIA doctrinam, desumpto ex D. Augustino, discursu Alberti Magni super Missus est, vbi ad obiecta contrà charitatem B. VIRGINIS vt respondeat, sic se firmat. *Prænotamus* (inquit) *quòd tria exiguntur ad hoc, quòd charitas viatoris perficiatur, vt transeat in charitatem comprehensoris in subiecto charitatis. Primum est, depuratio. Secundùm est, sui in se collectio. Tertium est, alienatio. Primum ergò oportet, quòd fiat separatio à contrarijs dispositionibus in subiecto, quæ impediunt per contrarias dispositiones, charitatis perfectionem; sunt autem tria; videlicet, culpa, pæna, corpulentia: Per culpam peccatores, per pænam Patres in Lymbo, per corpulentiam Adam in Paradyso impediebantur. Secundum verò oportet, vt fiat subiecti in se collectio. Anima enim secundùm quòd quædam natura est, & forma corporis naturalis* (notentur ista verba) *ligatur ad corporalium imagines, & species, obligatur ad diuersas corporis passiones, & diuiditur in diuersas imagines.* Vndè Augustinus in lib: de Trinitate. *Tanta vis est amoris, vt quæ anima cum amore diu cogitauerit, eis cum glutino inhæret, & attrahit secum, cùm ad cogitandum in se redit.* Et infra. *Errat igitur mens, cùm se istis imaginibus tanto amore coniungit, vt etiam se esse aliquid eiusmodi existimet.* Et post hoc subiungit ibi D. August: quod fuerunt ex hoc diuersi errores Philosophorũ, aliquorũ ponentiũ eã esse ignẽ, aliquorũ athomos &c. Et subdit. *Hinc enim oboritur erroris dedecus, dùm rerum sensitiuarum imagines, secernere à se non potest, vt se solam videat; cohæret enim ei mirabiliter, glutino amoris. & hæc est eius immunditia, quoniam dùm se solam nititur cogitare, hoc se putat esse, sine quo se non potest cogitare; cùm igitur ei præcipitur, vt se ipsam cognoscat, non se sibi tanquam detracta sit, addere præcipitur, sed vt sibi id quod addit detrahat:* &c. *Tertium oportet, vt fiat alienatio; scilicet quoad operationes. De quâ D. August: in lib: de spiritu &c. Anima* (inquit) *secundùm sui corporis effectus, varijs nuncupatur nominibus; dicitur enim anima, dùm vegetat, spiritus dùm contemplatur, sensus dùm sentit, animus dùm sapit, mens dùm intelligit, ratio dùm discurrit, memoria dùm recordatur, voluntas dùm consentit. Ab istis ergò alienatur & eleuatur anima, &c.* Recurratur ad textum Alberti Magni.

33. Tunc ex his, ad propositum determinans, videatur de B Virgine Albertus Magnus. Vbi ostendit, quomodo B. Virgo fuerit depurata, in

ta, in se collecta, & alienata. Sed nos breuitèr ita concludimus pro nunc: quod B. Virgo fuit absque culpâ, non tamen sinè pœnâ, & corpulentiâ. Et quia fuit absque culpâ, jàm ex hâc ratione imago DEI in eâ conspurcari non potuit. Pœna verò & corpulentia, non obfuerunt in eâ imagini DEI, quia hæc ambo fuerunt in CHRISTO, & tamen ne in minino eius imaginem ad DEVM vitiarunt; quia non fuerunt in eo pœnæ consequentes corruptionem naturæ, quæ à Doctoribus vocantur inutiles; sed meritoriæ & vtiles. Corpulentia etiam in eo non fuit carnalis, & Adamica, sed spiritualis, & solam formam carnis peccati referens, non autem rem; quæ duo sic etiam fuerunt in Matre Virgine. Collectio etiam mentis in se, fuit summa in eâ, ità vt indefessa in contemplatione DEI totâ vitâ steterit; alienatio demum ibi fuit; quia hæc sola talis fuit viatrix, quæ ex toto corde, ex omni mente, ex omnibus viribus, charitati DEI incubuit; Ergò B. Virgo fuit talis imago DEI, qualem hîc descripsimus. Hæc de istâ Resolutione dixisse sufficiat.





RESOLVTIO OCTAVA.

Beata VIRGO, in primo instanti suæ conceptionis, tàm perfectè est illuminata illâ luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quod statim in tàm luminosam euasit, ac evasisset Adam, in puncto suæ in Cœlum de Paradyso translationis.

I.



LVx quæ anima nostra est, pertinet ad essentiam imaginis DEI in nobis, quæ vel maximè attenditur in animâ penes lucem subsistentem, simplicissimam, actualissimam, & indiuisam. Hinc iure meritissimo hæc Resolutio substituitur Resolutioni præcedenti, quæ fuit de imagine DEI, relucente perfectissimè in VIRGINE Matre. Itaque pro hâc Resolutione.

2. Suppono ex dictis Decade 1mâ Resol: 8uâ; omnem formam, & præsertìm vitalem, id est, omnem animam seu vitam (hæc enim sunt synonyma, si presse & propriè sumantur) esse lumen, descendens à Patre luminũ, ita quòd res naturales, & præsertìm viuentes, ex parte formæ dantis illis vitam, lumina sunt, ex parte autem materiæ, tenebræ. Quod fortè subolfecit Aristoteles 1. Physic: dum rebus naturalibus, pro fundamento, basi, & materiâ, tale Ens substituit, quod nec est quid, nec quale, nec quantum, inest tamen rei. Proindè & Adam in paradysum tenebrosus translatus est, quoad siliquam corporis sui, quia etiam talis in campo Damasceno formatus erat; ideòque non otiari, sed operari iussus est eum; dicente sacro textu Gen: 2. *Posuit eum in paradysum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum;* scilicet subigendo has in se tenebras, luce sibi à DEO dâtâ ex dono creationis, siquidem quoad spiritum Astralem, totus erat factus lucidus, & quoad formam dantem sibi esse hominis, scilicet quoad animam intellectiuam, erat ipsissima lux, cui par post illam essentialem lucem, quæ DEVS est, in rebus creatis nulla inuenitur.

3. Nam quod de Angelis plerique sentiunt, eos esse lucem, accommodantque illis hoc, quod dixit DEVS Gen: 1. *Fiat lux, & facta est lux.* Quasi eos tunc DEVS in lucem excellentissimam creatam creauerit; hoc prorsus incertum est; & potius id aliqui ex Sanctis Patribus, opinando quàm asserendo dixerunt.

dixerunt. Accomodatius enim literali sensui, illa verba intelligi debent de luce visibili, quam DEVS vt præludium cæterorum operum suorum, luce constantium, & velut medium in quo symbolizarent, fecit, quam deindè & in solem, lunam, aliaque astra, quartâ die collegit, vt radios per Vniuersum dispergens, rerum seminibus apta fomenta daret, excitando & promouendo illa, non tamen vitam aut essentiam illis conferendo, quod Ethnica cœcitas censuit, asserens illud falsissimum pro verissimo axiomate, homo hominem generat & sol. Adde. Quod nullus ex SS. Patribus seriò asseruerit, Angelum esse imaginem DEI. Imò habetur expresè in Sacrâ Scripturâ *Omnes Angelos esse administratorios spiritus, in ministerium eorum factos, qui hæreditatem capiunt salutis.* ad Heb: 1. Quòd ibi seriò aliquoties inculcat Apostolus. Vix verò legitur amicus aut Filius DEI, & fermè nunquam, quod sciam, appellatur in sacro textu, Filius Patris, deliciæ Filij DEI, & templum Spiritus sancti, nec ter gloriosa Trinitas, aliquandò dicitur in eo suam fecisse mansionem: quia istæ prærogatiuæ, imagini DEI soli quæ homo est, competunt, propter quam ipse homo est sol, in quo posuit DEVS tabernaculum suum. Adeòque non ausim veræ imaginis DEI perfectionem, ita ponere in Angelo, ac eam agnosco & veneror in homine. Licèt enim absquè dubio natura Angelica sit intellectualis, adhuc tamen, secundùm Theologos, est species distincta ab animâ humanâ; & fortè non in alio sita est ista differentia specifica, nisi in eo, quòd anima sit imago DEI, Angelus non item. Vndè & de ratione animæ, vt potè imaginis DEI est, quòd sit lux vitalis & substantia luminosa, viua & subsistens: Angelus autem non videtur esse sic lux, ita vt habeat lumen geniale sibi intrinsecum, cùm à SS. Patribus potiùs censeatur esse speculum lucis increatæ, quàm ipsa lux subsistens, vt jam alibi insinuaui.

4. Sed de his inquirere seriò, non est huius propositi, & loci. Modò pro intento Resolutionis propositæ, quòd scilicèt ad constructionem B. VIRGINIS in vtero D. Annæ, præsertìm quoad corpusculum, (nam anima est in hâc parte extra controuersiam,) nullæ concurrerunt tenebræ, sed quòd fuerit in primo instanti tota lux, etiam quoad corpus. Vt autem id & credam, & profitear; Moueor primò. Quià licèt teneatur, corpusculum B. VIRGINIS, quoad siliquam exteriorem, fuisse tenebrosum, vt potè materiale, & ex materiâ seminum vtriusque parentis ortum, adueniente tamen luce essentiali mentis, & simul cùm eâ luce supernaturali gratiæ summæ, tenebræ illæ ita subactæ sunt, vt transierint sub plenum dominium lucis; ita vt primo instanti, quo verum erat dicere, VIRGO est persona, etiam verum erat dicere, VIRGO est tota lucida, nempè à luce absorptis ita tenebris, vt penitus non essent; ad eum modum, quo absorbentur de facto in resurrectione corporum gloriosorum, tenebræ per claritatem, & hoc ita, quòd in resurrectione non præcedit tempore tenebra in corporibus gloriosis, sed solùm naturâ. Non enim videtur ratio disparitatis corporis B. VIRGINIS, in primâ eius animatione, & corporum gloriosorum, in secundâ animatione ipsorum, maximè cùm anima VIRGINIS, ita non inuenerit in corpore suo obicem animalitatis, quo minùs plenè

corpus

corpus VIRGINIS tunc possideret, sicut non inuenient animæ Sanctorum in suis corporibus, dum iterum incipient animare illa in resurrectione; Atqui tunc, nullæ erunt tenebræ actu; Ergò nec nunc in corpusculo B. Virginis fuerunt, loquendo, de instanti primo animationis. Et quomodo in resurrectione, manus Omnipotentis illa corpora beatorum suscitabit, ita & hic corpus Gloriosæ Virginis, eadem manus DEI construxit; Juxta illud Gersonis Tom: 1. serm: de Nat: B. M. *Totum gratiæ magis erat, quàm naturæ.* Et Tom: 3. *Inuenimus MARIÆ corpus miraculosè compositum, quoniam ex vtero sterili formatum est ab illo, cuius perfecta sunt opera.* Quod iam supra Resol: 3 tiâ huius Decadis, probauimus.

5. Confirmatur hoc motiuum ex doctrinâ Subtilis Magistri in 3. dist: 3. q. 1. Vbi concedit, iuxta quod communitèr tùnc tenebatur, B. VIRGINEM fuisse Filiam Adæ in primo instanti conceptionis, & tamen non iniustam, sicut omnes alij, quia præuentam à gratiâ. Verba sunt eius vbi suprà §. Per illud patet ad rationes &c. Ibi. ℞deo dico, &c. *Quandò opposita comparantur ad idem, secundùm ordinem naturæ, non simul ambo insunt, sed tantùm alterum inest, reliquum autem quod dicitur prius naturâ, non inest, quia in eodem instanti oppositum inest, sed dicitur prius naturâ, quia tunc inesset quantum est ex parte subiecti, nisi aliquid extrinsecum impediret.* Ita ego teneo in proposito de VIRGINE, comparatâ ad corpus proprium, respectu tenebrositatis & luciditatis eius.

6. Moueor secundò, ratione perfectionis, in Entia creata à DEO descendentis. Quia DEVS lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ; Ergò æquū est, vt ab eo per creationem procedat aliquod Ens totalitèr luminosum, in quo nullæ sint tenebræ actu saltem; Sed tale Ens inter puras creaturas, non videtur esse aliud, nisi B. VIRGO Mater DEI hominis, Ergò &c.

7. Confirmatur per iam alias citatam, nimirùm huius 2dæ Decadis Resolut: 1. authoritatem D. Thomæ in 1. dist: 44. q. 1. A. 3. ad 3tium. Vbi habet hæc verba. *Dicendum, quòd puritas intenditur per recessum à contrario; & ideò potest aliquod creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis: & talis fuit puritas B. VIRGINIS.* Et licèt ibi loquatur D. Thomas de puritate ab omni culpâ, tamen eadem verba valent, & in proposito de recessu B. VIRGINIS à tenebris materialibus, ob quem illa recessum, eâ puritate & splendore nituit, quo maior sub DEO nequit intelligi; vt vult S. Anselmus, à D. Thoma ibi citatus.

8. Moueor tertiò. Quia B. VIRGO, ab æterno est ad hoc ordinata, vt ex illâ procederet per generationem temporalem, sol justitiæ CHRISTVS DEVS noster, qui lux est mundi, in ipsius tenebris lucens, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ergò in eâ nulla actu debuit esse tenebra. Consequentia probatur. Quia effectus, sempèr sequitur debiliorem partem suæ causæ, Ergò si in B. VIRGINE MATRE CHRISTI actu fuissent tenebræ, etiam & in eius vteri fructum, redundassent, cùm talis caro sit accepta à CHRISTO de Virgine, qualis fuit in eâ.

9. Confirmatur. Quia ex lucido nonnisi lucidum, ex tenebroso non

nisi

nisi tenebrosum fit. Vndè cùm DEVS Adamum creasset, improportionalitèr lucidum, respectu tenebrarum in eo inclusarum, ita vt totas fermè tenebras lux eius in se absorberet; & in eo posuisset vim meriti pro illo statu, vt tenebras tàm ipse quàm alij tunc ex Evâ (quam fabricare ad hoc disponebat) gignendi, subigerent totalitèr, debuit deindè in eum soporem immittere, vt sic costam de ejus latere sumeret, pro ædificandâ muliere, quam secundùm corpus oportebat esse tenebrosam, vt ex eâ filij etiam secundùm corpus tenebrosi prodirent, similitèr cum tenebris pugnaturi. Quia autem Adam vigilans & persistens in essentiâ suâ insomnis, irradiabat omnes suas partes intrinsecùs & extrinsecùs luce sui spiritus astralis, & mentis, ità vt & costa illa eximenda pro Evâ, illuminaretur ab eo vigilante, & consequentèr quidquid ex eâ sic illuminatâ fieret, etiam luminosum fieret; placuit ideò DEO, immittere soporem in Adamum, nè Adam altum dormiens, structioni Evæ quidpiam lucis conferret, sicque Eva secundùm corpus tenebrosa produceretur ex Adamo, etiam nubilo somni obtenebrato. Ergò similitèr in proposito, si B. VIRGO fuisset aliquantisper actu tenebrosa, etiam Filius eius, non sinè tenebris ex eâ prodiisset per generationem. Quod est inconueniens.

10. Moueor quartò. Quia omnes sex dies creationis, iuxtâ quod eos describit Moyses Gen 1. constabant vespere & mane, vt denotaretur quidquid creatum est, constare tenebris & luce. Vbi verò venit Moyses ad descriptionem diei septimæ, in quâ requieuit DEVS ab omni opere, quod creauit DEVS, vt faceret, scilicet Euam VIRGINEM & MATREM generis humani, pro solis prædestinatis accepti, vt Decade 1mâ Resol. 4tâ deduxi, solùm absolutè illum diem vocat nomine diei, nec meminit vesperæ in eo. Quo sanè datur intelligi, veram Matrem Virginem omnium viuentium MARIAM, purum diem ab omni vesperâ & tenebrâ futuram fuisse, quæ nos regeneraret in lucem æternam, & cuius Eua illa, figura fuit.

11. Moueor quintò. Quià talis pugna cum tenebris, debebat esse in Adamo successiuè, ità quòd cum continuâ luctâ debuit fieri perfectè lucidus, & hoc erat in eo imperfectionis. Ergò decuit B. VIRGINEM fieri lucidam totam simul, absque omni imperfectione. Consequentia patet. Quia tale esse perfectæ luciditatis, est Ens absolutum, & permanens, cuius totum esse, in vnico instanti haberi potest in aliquo, Ergò ità fuit in B. VIRGINE in primo instanti conceptionis, ac fuisset in Adamo, per multas & repetitas luctas cum tenebris. Quià perfectius est & nobilius, habere perfectionem totam simul, si id non repugnat, quàm successiuè & quasi per gradus.

12. Moueor sextò. Quià secundùm D. Dionysium Areopagitam, tres sunt actus Hierarchici, ad inuicem subordinati, scilicet purgari, illuminari, perfici, ità quòd maiorem purgationem sequitur maior illuminatio, & maiorem illuminationem maior perfectio: Sed B. VIRGO inter omnes puras creaturas fuit in summo purgata, quia purgatione præseruatiuâ, id est non permissa coinquinari à corpore, sed ad illud immaculatum, sua anima benedicta infusa est. Ergò etiam tunc fuit in summo illuminata, & luminosa tota,

ac consequentèr in summo perfecta, etiam in primo instanti suæ conceptionis.

13. Moueor septimò, authoritate SS. Patrum id manifestè docentium. Quarum prima sit Dionysij Areopagitæ, testis oculati claritatis Virginis etiam in eius corpore. Sic enim in Epistolâ ad D. Paulum Apostolum scribit, postquàm DEIformem vultum Virginis intuitus est. *Tantus* (inquit) *me splendor circumfulsit exteriùs, & plenius irradiauit interiùs, tanta etiam in me odoramentorum omnium superabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, neque spiritus, posset tanta felicitatis insignia sustinere; defecit cor meum, defecit & spiritus, tantâ gloriâ maiestatis oppressus; testor qui aderat in VIRGINE DEVM, si tua diuina concepta non me docuissent, hanc ego vnum DEVM esse credidissem.* Secunda sit D. Hieronymi super Psalmos. *Pulchrè* (inquit) *Prophæta appellat VIRGINEM nubem diei, nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Tertia sit D. Petri Chrysologi, serm: 146. sic de Moyse loquentis. *Ità humano defecatus est & exinanitus à corpore, vt totus diuinitatis mutaretur in gloriam, & adhuc in nostri corporis obscuro, toto luceret lumine Deitatis, neque intueri eum mortalium visus posset.* Si ità Chrysologus de Moyse, quantò id veriùs dixisset de B. Virgine? quæ à D. Efrem in Encomijs Virginis appellatur splendor Moysis, quasi Moyses in comparatione Virginis splendentis, tenebra sit. Quarta est D. Bernardi Serm: 1. de Nat: B. V. *Iure igitùr MARIA sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ sapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyssum: candidissimus sanè huius mulieris amictus, cuius omnia tàm excellentèr irradiata noscuntur, vt nihil in eâ, non dico tenebrosum, sed nec obscurum saltèm, vel minùs lucidum, vt quantùm sinè Personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Quinta est S. Epiphanij, serm: de laud: MARIæ. *Virgo* (inquit) *multocula effecta est Seraphim incomprehensæ visionis; illa enim auertuntur, cùm nequeant spiritalem ignem diuinitatis fixis oculis intueri; hæc autèm apertis oculis intuens incomprehensibilem & somni expertem oculum CHRISTI, cum desiderio & osculo salutabat.* Quæ sanè arguunt, in D. Virgine fuisse summam & illi inaccessibili luci proportionatam lucem. Sexta est illorum SS. Patrum, qui illa verba dicta de Joseph. Mathæi 1. *Et non cognoscebat eam donec peperit &c.* ita explicant, quasi Joseph præ nimio fulgore vultus Mariani, non posset in eam aciem oculorum intendere. Septima est Galfridi serm: de Epiph. *Quæ sola* (inquit) *solem iustitiæ genuit, non humanas tantùm, sed Angelicas stellas, supergressa est vniuersas.* Sed consultius censeo à producendis hîc dictis SS. Patrum abstinere, cùm sint fermè innumera circà hanc materiam, & in authoribus obuia. Sufficient ergò hæc, quæ allata sunt pio Lectori.

14. Ex his igitùr motiuis, existimo iàm planum esse, quòd lux illa vera increata, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, infundendo scilicet illi animam intellectiuam, quæ lux est, ita perfectè illuminauerit B. VIRGINEM, in DEI maternitatem ab æterno destinatam, vt statim euaserit, in puncto infusionis animæ in suum corpus, sol lucidissimus, in quo Gloriosa sancta Trinitas, statim in eodem primo instanti vitæ Virginis, posuit tabernaculum suum, & mansionem fecit immobilem, quod Adamo in

statu

statu innocentiæ, si perseuerasset, longâ & multoties repetitâ luctâ cum tenebris, acquirendum fuit, idque adhuc non in tàm perfecto gradu lucis. Vndè de B. Virgine in suâ conceptione, æquius dici debet, quàm de materiali sole, illud D. Dionysij Areopagitæ 4. de diuinis nom: pronunciatum. *Clara expressaque diuinitatis imago est, magnus hic sol, quià totus lucens, ac semper splendibus.* Et

15. Pro coronide istius Resolutionis, addo. Quòd quià animæ nostræ, sunt luces subsistentes ex intrinsecâ suâ ratione, luces inquam descendentes à Patre luminum per creationem, ideò non requirunt omnes æqualitatem lucis, sed vna potest esse lucidior alterâ in essentiâ suâ, juxta mensuram & pondus creantis DEI, qui dat ista lumina hominibus venientibus in hunc mundum, secundùm placitum suæ voluntatis. Vndè anima CHRISTI est summa & suprema lux creata, quæ illuminat totam illam ciuitatem Hierusalem supernam, Apoc: 21. *Et lucerna eius est Agnus.* Post hanc proxima lux ibi est, anima B. Virginis Tùm demum animæ aliorum sanctorum; de quibus Apostolus 1. ad Cor: 15. *Stella à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Non enim aliâ luce clarescent tunc corpora in resurrectione, nisi luce animarum se irradiantium; vt Decade 1mâ Resolut: 5tâ insinuaui. Tantùm ergò ibi vnaquæque anima irradiabit corpus suum, quantùm de eius tenebris suâ luce hìc subegit; sicut è contra in damnatis, quià tenebræ carnis, quas adauxit Adam vt dixi, quandò seminalem animam per fermentum pomi dispositiuè in se superinduxit, totalitèr comprehendent animas eorum, lux victa à tenebris minimè lucebit; quia deuoluta in extremas tenebras, quas scriptura exteriores vocat, eò quòd (vt periti Hebraicæ linguæ asserunt) Hebraismus superlatiuo caret, natiuum lumen sibi à creatione geniale, ita obscurum exhibebit, vt non appareat. Hinc est, quod damnati resurgent non mutati; juxta Apostolum, 1. ad Cor: 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Quia corpus damnatorum in resurrectione, licèt recipiet determinationes figurales ab animâ, non tamen lumen, solumque corporeo modo, & figuratenùs, tunc anima damnata, imaginem DEI in se exhibebit.

16. Hæc ideò obitèr attuli, vt vnusquisque cognoscat, animam Beatæ Virginis fuisse ex dono creationis maximam & summam lucem, ad instar solis, imò clariorem; juxta illud Jsaiæ 30. *Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septemplicitèr.* Vndè Doctor illuminatus Franciscus Mayronius in serm: de concept: B. M. V. dicit. *Virgo fuit æqualis lucis cum sole iustitiæ CHRISTO, per gratiam præseruationis.* Et si gloriatus est Salomon sap: 8. quod fuerit sortitus animam bonam, certè ista gloria magis cadit in Beatam Virginem, quia plus quam Salomon hæc.

17. Non sit ergò iam cuiquam mirum, quod B. Virgo in instanti suæ conceptionis ita lucida fuerit, sicut fuisset Adam in puncto suæ in cælum translationis; quia anima eius, in suâ essentiâ maior lux fuit, quàm anima Adæ improportionabilitèr, vt iam tunc luci illi inaccessibili, penitus immersa esse videretur. Proindè tunc prorsus immunis fuit à tenebris originalis peccati. Sed hic oritur.

18. Du-

18. Dubium. Quarè iſta claritas corporis Virginei, non omnibus apparebat? Reſpondeo juxta dicta ſuprà. Quòd ſicut CHRISTVS, habuit in poteſtate ſuâ corpus ſuum, ità quod ſi voluit vt appareret claritas corporis eius, tunc apparebat; ſicut patuit in monte Thabor, dum transfiguratus eſt coram diſcipulis ſuis; ſi verò noluit, non apparebat, vt quandò ianuis claſis intrauit ad diſcipulos poſt reſurrectionem: ita anima Virginis, quòad hoc plenè poſſedit corpus ſuum, ità quòd cui voluit manifeſtare claritatem ſuam, ei clara apparebat, cui non, non. Ordinariè tamen & quaſi ſemper ſic clara & lucida apparebat Joſepho ſponſo ſuo, qui propterea quantò amplius loquebatur & conuerſabatur cum eâ, tantò magis confirmabatur in propoſito virginitatis. Addo. Quòd ipſa B. Virgo in quantum poterat, in tantum celabat ſuam pulchritudinem. DEVS ergò in hoc ſibi complacens, & hoc eius ſtudium acceptans, potuit miraculosè eam celare cui volebat, & patefacere cui eam videre expediebat: & ſic iſta claritas Virginis, licet fuerit maxima, tamen non erat in hoc mundo viſibilis.



RESOLVTIO NONA.

Ipsa ratio originalis peccati, conuincit immunitatem VIRGINIS MATRIS ab eo.

1.

COmmunis quidem sententia est, planè omnium Scholasticorum, præcipuè tamen Doctoris Nostri cum suis sequacibus; Rationem peccati Originalis, consistere in carentiâ iustitiæ debitæ inesse naturæ humanæ, ex dono Creatoris, ita vt Peccatum Originale formalitèr sit, carentia iustitiæ Originalis in posteris Adæ, vitio ipsius Adæ in posteritatem totam transfusa, atq; adeò est ipsummet peccatum Adæ, manens in posteris moralitèr, ex eo quod moralitèr peccauerunt in Adam, tunc scilicet quandò ipse Physicè & realitèr decomedit pomum vetitum, & per hoc transgressus est Præceptum DEI. Quò spectans D. Anselmus Lib: 1. de concep: Virg: Cap: 27. ait. *Per peccatum, quod Originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi factam per inobedientiam Adæ, iustitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes, filij iræ nascimur.* Duo ergò damna intulit peccatum originale, cuilibet propagato ab Adam. Primum. Quod omnes nascantur spoliati Justitiâ Originali. Alterum. Quod omnes necessariò nascantur in peccato originali. Et hoc innuunt variâ testimonia tum Scripturæ, tum SS. Patrum. Nam ad Rom: 5. dicit Apostolus. *Per vnum hominem, peccatum intrauit in mundum.* Diuus etiam Anselmus vbi supra, ait. *Accusat omnes spontanea Iustitiæ desertio, quam fecit, nec personas excusat recuperandi impotentia.* Et idem ibidem Cap: 2. inquit. *Quoniam ipse sibi impotentiam fecit, deserendo Iustitiam in primis parentibus, in quibus tota natura erat, & semper debitrix est habere potestatem, quam ad obseruandam semper iustitiam accepit.* Et rursus Cap: 7. clarè præsentem explicat difficultatem, dicens. *Adam peccato personali, nudauit naturam Iustitiâ debitâ, ideò in quocunq; facit per propagationem nudam naturam, statim eam facit & talem debitricem.* Id ipsum tenet D. August: Lib: de Fide ad Petrum, & alij SS. Patres.

2. Hoc ergò peccatum Originale, contrahit quælibet Anima, non à DEO, quia ipse nullius peccati est author, neq; à carne, per infectionem alicuius qualitatis morbidæ, vt aliqui putant, sed à carne concupiscibilitèr seminata; ita quod cum illo corpore cui infunditur Anima, constituit Personam debitricem Iustitiæ originalis, quæ erat data à DEO, primo Parenti ex pacto, pro

omnibus & singulis posteris eius, proindèq; dum illam amisit Adam, soluit pactum pro se & pro totâ posteritate simul, ita vt amplius DEVS non teneatur restituere talem Iustitiam alicui posterorum Adæ. Atq; sic, Anima quocunque instanti constituit Personam in ratione Filij vel Filiæ Adæ, eodem instanti fit debitrix Iustitiæ originalis, & contrahit peccatum originale. Et hoc conforme est menti D. Anselmi, loco citato, sic ad rem nostram proloquentis. *Nihil aliud est, Animam contrahere peccatum originale mediante carne, nisi quia ex carne concupiscibilitèr seminatâ, formatur corpus organicum, cui infunditur Anima constituens personam, quæ est Filia aut Filius Adæ, quæ persona sic constitiuta, quia est naturalis Adæ proles, ideò debitrix est Iustitiæ originalis, datæ à DEO pro omnibus Filijs Adæ.* Hæc est communis mens Theologorum & SS. Patrum de peccato originali. Nunc igitùr.

3. Ex vicinitate materiæ, descendendo à peccato ad Justitiam originalem, in communi sententiâ, dico, eam fuisse donum supernaturale superadditum à Creatore voluntati Adæ, faciens in eo perfectam tranquillitatem virium inferiorum & superiorum, muniensq; voluntatem ipsius ab omni rebellione sensuum. Quia enim voluntas creata, iuncta appetitui sensitiuo, nata est condelectari delectationi eius, & contristari tristitiæ ipsius, æquè ac Intellectus coniunctus sensibus, natus est intelligere sensibilia, ideò voluntas suis relicta viribus, nedum non potest appetitum sensitiuum retrahere à suo delectabili, sinè difficultate, sed etiam seipsam nequit sinè graui molestiâ retrahere à condelectando illi appetitui sensitiuo. Vt igitùr facilius se & appetitus, suo gubernio subiectos, potuisset in illo felici statu retrahere ab illicitis, & in tranquillitate regere, data ipsi erat à DEO Iustitia originalis, quæ ipsam iucundè reduceret à minus delectabilibus, & coniungeret Obiecto summè delectabili, ita quod pro minori incommodo æstimaret tunc voluntas, retrahere se à condelectando appetitibus sensitiuis, quã recedere vel pro minutissimâ morulâ, ab Obiecto summè delectabili & fine suo vltimo, scilicet à DEO. Hoc ergò dono suffulta voluntas in statu innocentiæ, quasdam delectationes appetituum sensitiuorum præuenisset, ne vnquam inessent, quasdam ordinasset, vt eis benè vteretur homo, à quibusdam verò auertisset se & appetitus illos, hæc tamen omnia delectabilitèr executa fuisset, quia Justitia Originalis fecisset eam delectabilius inhærere fini vltimo & medijs ad illum ordinatis, quam alijs obiectis minus delectabilibus. Atque hæc est ratio Peccati & Justitiæ Originalis, in communi sensu.

4. Sed quia aliò nos ducit nostra intentio, iuxta illa quæ diximus Decadis primæ Resol: 9nâ. nimirùm, Peccatum originale esse, conspurcationem virgineæ propagationis naturæ humanæ, per commutationem eius in belluinam; ideò intrepidè nunc quoq; ibi dictis inhærendo, ostendendum assumimus, quomodò hoc ipsum repugnet Virgini Matri, vel ex ipsâ ratione peccati originalis, in sensu nostro descripti. Quod vt declarem.

5. Suppono primò. Virginitatem, in quâ & ad quam condita est humana natura ab initio, fuisse essentialem naturæ humanæ; ità quod sicut ipse

DEVS

DEVS in suis originationibus, est essentialitèr Virgo, juxtà illud Nazianzeni Poëmatè de Laud: virginitatis. *Prima trias, virgo est;* ità & natura humana, quæ est ipsissima DEI imago, & in se virgo facta est, & in sui propagatione, VIRGO futura esse debuit. Perfectiorquè hæc virginitas naturæ humanæ fuit, virginitate naturæ Angelicæ. Quià licèt Angelus quilibet, est virgo per naturam, quia tamen non est Angelus creatus, in exactam imaginem DEI, sicut homo, ideò caret hâc naturæ perfectione, vt se communicare possit per propagationem, quòd soli homini concessum est, saluâ virginitate, & nulli alteri inter creata. Illam ergò naturæ humanæ Virginitatem, voco ipse essentialem, vt potè quæ est de ratione Imaginis DEI, quæ est homo. Porrò istam virginitatem, quæ modò est in naturâ, non voco virginitatem absolutè, sed solùm secundùm quid, vt potè in solâ negatione consistentem; quià secundum Doctores, nihil aliud dicit formalitèr, nisi negationem consensus in delectationem veneream, & experientiam eius in corpore mortis huius.

6. Suppono secundò. Quòd in naturâ nostrâ, virginitas essentialis est corrupta per peccatum originale. Licèt enim plurimi in Ecclesiâ Sanctâ DEI, remotissimi sint etiam à cogitationibus carnalibus, & vt loquitur D. Gregorius Hom: 12. in Euang. *Ab appetitu se exteriori custodiunt, & spe ad interiora rapiuntur, carnem macerant, & toto desiderio ad supernam patriam anhelant;* tamen quia in naturam illorum, anima seminalis cum semine, concupiscentijs, & desiderijs suis, per peccatum originale intrauit, quæ continuò eos inclinat ad actus carnales & belluinos, quantum est ex se, ideò propter hanc corruptionem originalem naturæ, quæ ineuitabilitèr adest vnicuique in corpore mortis huius, nequeunt esse virgines quoad actum primum, estò non permittant hunc actũ primum, exire in actũ secundum, sicque solum gaudent virginitate secundum quid, cùm tamen in naturâ jàm corruptâ, habeant oppositum virginitati essentiali, scilicet illud ipsum Ens seminale, per quod introductum in naturam, vi pomi vetiti comesti, natura in se, desijt esse virgo.

7. Suppono tertiò. Quòd propter hunc actum primum, in naturam humanam vi pomi comesti introductum, nullus, estò sit sanctissimus, & gratiam gratum facientem, etiam in intensissimo gradu habeat, animæ suæ diuinitùs infusam, potest generare prolem, siuè sit masculus, siuè fœmina, nisi exeundo in actum secundum copulæ venereæ, more belluino, per libidinem decidendo & sigillando semina, ex quibus mistis in vtero, & mutuò sibi coagentibus, prodit caro peccati, contaminans animam prolis, ità, vt tota proles, sic orta ex seminibus, coram DEO fiat abominabilis in suâ essentiâ, eo ipso, quòd illa essentia genita, sit non virgo, vt potè sequens conditionem generantium, qui per cursum naturæ corruptæ generando, nec in actu primo, nec in actu secundo, fuerunt virgines.

8. Nec obstat isti doctrinæ, quod docet noster Doctor in 3. dist: 4. §. Ex istis tribus &c. Et §. Ad argumenta &c. in solut: 1. princ. Quòd si causa superior, siuè illa sit causa naturalis, scilicet Pater, siuè supernaturalis, scilicet DEVS, supplens defectum actionis Patris, potentiam remotam generandi,

quæ

quæ eſt in fœminâ, reducat ad potentiam propinquam, jam ipſo facto, fœmina illa generabit ita prolem, ſi DEVS ſuppleat actionem, ac generaret ipſo Patre, vt causâ ſuperiori naturali, agente. Ex quo habetur, quòd etiam in naturâ corruptâ per originale peccatum, poteſt eſſe conceptio actiua in fœminâ, ſaluâ virginitate, DEO ſcilicet ſupplente actionem Patris; eò quòd, vt in ſol: 1. Principalis habet Doctor, Virginitas & Maternitas, ſeu Virgo & Mater, non opponuntur aliquâ oppoſitione formali, nec vt priuatiuâ, nec vt contrariâ, ſed virginitas priuat tantùm actionem cauſæ ſuperioris naturalis, quam maternitas non neceſſariò ponit; ità quòd, ſi alius ſuppleat illam actionem, jam poteſt eſſe maternitas ſecundùm ſuam rationem, & tamen cum priuatione actionis cauſæ naturalis ſuperioris, & ita cum virginitate. Hæc inquam non obſtant: quia Doctor ibi egregiè tutatur virginitatem Beatiſſimæ Matris Virginis, juxtà mentem Ethnicorum, qui neſciebant, fœminam ex primæuâ ſuæ creationis deſtinatione, non eſſe ordinatam ad concipiendum de viro, ſed ſolùm de Spiritu Sancto, ideòque firmitèr tenebant, eam non poſſe concipere niſi de viro. Doctor igitùr noſter, benè contrà illos arguit, oſtendens, quòd ſi DEVS ſuppleat cauſalitatem viri, poteſt fœmina eſſe mater & virgo; & huic fundamento innixæ rationes eius, optimè concludunt contrà Ethnicos. Sed apud me hoc fundamentum Ethnicorum eſt nullum: quia nec fœmina, quâ virgo creata eſt, ad talem conceptum eſt deſtinata, vt probaui *Reſol:* 3. & 4. Decadis primæ; nec vir eſt cauſa prolis humanæ quâ talis, ſed ſolùm animalitatis in prole humanâ, vt ibidem Reſol: 7mâ dixi. Vbi igitùr nulla eſt cauſa ſuperior naturalis, ex primæuâ deſtinatione DEI, ibi nequit DEVS ſupplere actionem eius.

9. Si verò vrgeatur. Quòd etiam hanc cauſalitatem quæ modò eſt, poteſt ſupplere DEVS. Contra eſt. Quòd ſi suppleret, deberet eſſe idem terminus iſtius actionis, qui eſſet, ſi pater carnalis ageret, ſcilicet animalitas in prole, quam ſolam parentes carnales, cognoſcentes ſe carnalitèr, mediante ſemine producunt; & ità ſequeretur, (quòd aures fidelium horrent) quòd DEVS poſſet ſupplere vicem tauri, vel equi, ad hoc vt vacca vel equa, ſaluâ virginitate generet pullum; par etenim eſſet ratio de his fœmellis, ac de fœminâ virgine, in naturâ humana.

10. Addo. Quòd vbi nullus eſt actus primus, ibi nec actus ſecundus eſſe poteſt; ſeu, vt verbis Doctoris Subt: vtar, vbi nulla eſt potentia remota, ibi nec poteſt eſſe potentia propinqua quæ reducatur ad actum; Sed in Virgineâ naturâ humanâ, ex dono creationis, nullus fuit actus primus, nec vlla aptitudo, nec vlla potentia ad concipiendum de viro, quæ tùm demum in naturam introiuit, quandò pomum incentiuum luxuriæ, eſt illi contra DEI prohibitionem applicatum; Ergò nec potuit ibi eſſe actus ſecundus, aut propinqua potentia ad eum.

11. Vndè audactèr in Virginis Glorioſæ honorem pronuntio, quod ipſam, genitâ iſta virginea prole, CHRISTO, impoſſibile fuit concipere de viro aliam prolem, quia in eâ nullus talis actus primus fuit, qui poſſet exire in iſtum

actum

actum secundum; nisi teneamus, eam post genitum CHRISTVM, in naturæ degenerationem recidisse: frustra enim B. Virgo cum alijs matribus comparatur, quæ sola in naturâ humanâ vera est Mater, secundùm primæuam intentionem DEI, habens fæcundam integritatem, quomodò iàm naturâ corruptâ, nulla potest esse Mater, vt ostendi Resol: secundâ istius Decadis.

12. In formâ ergò ad oppositionem respondendo, nego assumptum; quià supponit esse causalitatem naturalem, vbi nulla est causalitas: nam modò Pater in naturâ humanâ, solùm est causa seminis maledicti ab initio, & similitèr mater, eo per omnia modo, quo fit generatio brutorum, in quam per peccatum originale degenerauimus; ex seminibus autem commixtis, consurgit dispositiue, non iam proles humana, sed aliquid medium inter corpus & mentem, conspurcans & degenerans naturam prolis, scilicet animalitas, licet absque determinatione specificâ, quam nequit habere in naturâ humanâ, ob rationes Resol: septimâ Decadis primæ datas.

13. Nec illud est verum, quòd virginitas tantùm priuet actionem causæ superioris, loquendo de virginitate comparatâ ad maternitatem secum cõpossibilem; quia virginitas simplicitèr & essentialis, nedùm priuat actionem talis causæ, sed etiam possibilitatem Logicam talis actionis, quamdiu est natura humana Virgo. His igitùr sic suppositis.

14. Declaro Resolutionem nostram sic primò. Ratio peccati originalis, consistit in introductione animalitatis homini exoticæ, & virgineæ propagationi naturæ humanæ, è diametro oppositæ, seu vt Concilium Tridentinum sess. 5: Decreto de peccato originali, loquitur, est totius Adæ, id est, totius naturæ humanæ, secundùm corpus & animam, in deterius commutatio, consequente eam irâ & indignatione DEI, morte, ac captiuitate diaboli. Et hanc commutationem in deterius naturæ, ostendi Resol: 9nâ Decadis 1mæ, esse virgineæ propagationis naturæ conspurcationem, & degenerationem. Sed hâc degeneratione positâ in naturâ humanâ, impossibile est vt virgo sit mater; Ergò si Beata VIRGO est Virgo Mater, iam in eâ non est ratio peccati originalis. Minor probatur. Quia vbi est actus primus, directè oppositus virginitati naturæ, ibi impossibile est haberi in aliquâ personâ, habente talem naturam, actum secundum, qui etiam non sit oppositus virginitati secundùm quid, id est, in negatione experientiæ delectationis venereæ consistenti; Sed animalitas introducta per comestum pomum vetitum, in naturam, est talis actus primus, qui est oppositus virginitati essentiali naturæ; Ergò hâc animalitate habitâ ab aliquâ personâ, impossibile est eam actu exire in actum secundum maternitatis actualis, sinè eo, quin impingat in experientiam delectationis venereæ; si igitùr aliqua persona de facto fuit Virgo Mater, sequitur quod fuit immunis ab illo actu primo, opposito virginitati essentiali naturæ; & ità à peccato originali, quod est propositum.

15. Vel sic dispono rationem. Si B. Virgo contraxit peccatum originale, Ergò non est simplicitèr & essentialitèr Virgo, & multò minùs Virgo Mater. Probo sequellam. Quià illa persona est simplicitèr virgo, in qua est

natura talis, quæ nullam in se habet dispositionem, & nullam possibilitatem ad concipiendum de viro, etiam per potentiam DEI absolutam; Sed si B. Virgo contraxit peccatum originale, jam B. VIRGO acquisiuit dispositionem, & possibilitatem ad concipiendum de viro; quià peccatum originale in naturâ humanâ nihil est aliud, nisi conspurcatio propagationis naturæ virgineæ, itâ quòd quæ fieret de Spiritu Sancto & Matre Virgine, deinceps fiat de Viro & Matre non Virgine; Ergò si B VIRGO contraxit peccatum originale, iam non est simplicitèr Virgo, &ità nec Mater Virgo; Sed hoc est absurdum, & contra fidem, Ergò &c.

16. Præterea. Videtur mihi valdè inconueniens, quòd Mater DEI & hominis, quæ est Virgo Virginum, solùm fuerit virgo quoad corpus, & extrinsecum virginitatis signaculum, habuerit tamen in conceptione tanti Filij, omnes illos motus vel mutationes, siuè in tempore breuissimo, siuè in instanti, quos ordinariè habent, & in se sentiunt matres, inter generandum seminalitèr, quòd tamen ij qui assimilant B. VIRGINEM alijs matribus, fatentur. Et quòd hoc sit inconueniens, probo. Quia tales motus siuè mutationes, arguunt in matribus maternitatem Adamicam, seù animalem, directè oppositam virginitati naturæ; vndè & Doctor Subt: concedit in 3. dist. 4. §. Sed hic est vnum dubium &c. quòd in B. VIRGINE, nulla fuit actio per rationem seminalem, & ità nec per aliquam vim in materiâ ministratam, Ergò B. VIRGO in suâ maternitate, procul fuit à talibus motibus, sicque ex vi maternitatis & virginitatis simul, concluditur esse immunis à degeneratione naturæ humanæ, per peccatum originale. Vndè longo interuallo, alias matres seperat à B. VIRGINE, Hugo de S. Victore, exponens illud Matth: 1. *Quod in eâ natum est, de Spiritu Sancto est.* dum inquit. *Quià in corde VIRGINIS, amor Spiritus Sancti singularitèr ardebat, ideò Spiritus Sanctus in eius carne mirabilia faciebat, & cuius dilectio in eius corde non suscepit socium, eius operatio in illius carne non habuit exemplum.*

17. Præterea. Peccatum originale in nobis, fædauit imaginem DEI, & maximè in hoc, quòd conspurcauit in nobis, imò pessundedit virginitatem naturæ nostræ genialem, ex dono creationis; Sed in B. VIRGINE MATRE hæc conspurcatio non habuit locum, quæ, vt verbis D. Ambrosij serm: 15. de Nat: CHRISTI, vtar, eum quem VIRGO Diuinitas ediderat, etiam Virgo genuit. *Ideò enim* (inquit ille) *secunda natiuitas, per immaculatam MARIAM, quia prior, per Diuinitatem consisterat illibata, vt cui prior natiuitas gloriosa extitit, ei secunda contumeliosa non fieret.* Ergò B. VIRGO ex vi sui partus Virginei, est immunis à peccato originali, quod conceptum & partum Virgineum, à naturâ humanâ perpetuò abstulit.

18. Præterea quæro. Cùr omnes illi, quicunque intuebantur B. VIRGINEM, quæ fuit omnium Virginum speciosissima, non incitabantur concupiscentialitèr in eam? Non videtur enim istius esse ratio à priori, ex parte ipsius VIRGINIS, nisi quia in eâ natura humana fuit ita innocens, ac fuit in Euâ antè peccatum; non enim ad hoc sufficit concipi in gratiâ gratum faciente,

sed

ſed requiritur penitùs tanta immunitas à peccato originali, quanta fuit in Euâ innocente. Vndè Sapientes & experti, apud Bernardinum de Busto in ſuo Mariali p. 2. ſerm: 5. in 7mâ conditione Sponſæ cæleſtis, dicunt. Quod ſi adſint duæ mulieres æquè pulchræ, quarum vna ſit Virgo pudica, altera verò corrupta, maiorem dabit tentationem aſpicienti ſinè DEI timore, illa corrupta, quam pudica. Cuius ibi hanc rationem aſſignat, quia corrupta habet vim inficiendi & tentandi, ex duplici corruptione, ſcilicet naturæ, & perſonæ. Naturæ quidem; quia corrupta eſt generalitèr tota natura humana, ex peccato primorum parentum. Perſonæ verò; quia iterùm particularitèr eſt corrupta; ſit itaque, vt duo vincula magis ligent aſpicientem, quam vnum ſolum: in integrâ autem, eſt ſolùm vnicum vinculum, ſcilicet corruptio naturæ generalis, non verò perſonalis. Tùnc ad propoſitum iſta B. Virgini applicando, dicit. *Cùm igitùr B. Virgo fuerit præſeruata à communi corruptione naturæ humanæ, & in perſonâ ſuâ nullam penitùs habuerit corruptionem, non eſt mirum, ſi aſpectus eius neminem vnquam infecit, imò ratione ſuæ inuiolabilitatis, & illibatiſſimæ atq; incontaminatiſſimæ virginitatis, & integerrimæ puritatis, ad caſtitatis & honeſtatis amorem, omnes inducebat.* Hæc Bernardinus de Busto. Ex quo habetur, quod peccatum originale, ſtet in iſtâ generali corruptione virginitatis eſſentialis naturæ humanæ, quam quia non contraxit virgo in ſuâ conceptione, ideò neminem incitauit ſuâ pulchritudine ad libidinem, ſicut nec Eua antè peccatum. Hinc concludendo hanc Reſolutionem, infero vnum.

19. Corollarium. Quòd non fuit neceſſarium B. Virgini, vtemitteret votum virginitatis; quia ipſa fuit per naturam Virgo, cui impoſſibile fuit amittere virginitatem, ſicut & Euæ antè eſum pomi vetiti, id eſt, antè carnalitatem & animalitatem introductam in naturam. Proindè illa verba B. Virginis ad Archangelum Gabrielem prolata; *Quomòdò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* nedùm proceſſerunt ab eâ, vt refugiente actum coniugalem contrà votum, ſed etiam vt iudicante & cognoſcente in ſe, impoſſibilitatem ad concipiendum de viro. Et ad hunc ſenſum videtur ei reſpondiſſe Angelus, cùm dixit. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoq; & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius DEI.* Luc: 1. Vbi nota hanc cauſalem, *ideòque*, quia fauet huic expoſitioni.



RE-



RESOLVTIO DECIMA.

Quantò B. VIRGO purior fuisse asseritur in suâ Conceptione, tantò veriùs dicitur esse præseruata à CHRISTO Filio suo, per mortem eius à DEO præuisam, à labe originariâ.

I I.



Anta puritas & innocentia VIRGINIS Matris, quâ nedum Protoplastos, sed & ipsos Seraphim, in instanti suæ Conceptionis immaculatæ, præcessit, prout decebat Matrem CHRISTI capitis, in adiutorium simile ipsi respectu salutis prædestinatorum datam; videbitur fortè alicui excludere ab hâc VIRGINE, necessitatem & indigentiam Redemptoris & Mediatoris CHRISTI, quasi tanta puritas sibi sufficiat, & meritis ex morte CHRISTI præuisâ prouenientibus, ad sui esse non indigeat, contenta tanto & tali esse suo, ex merâ & solâ liberalitate DEI habito; ad eum modum quo Theologi docent, animam CHRISTI, non ex meritis, sed ex merâ DEI liberalitate, gratiam & gloriam sibi coæuam accepisse. Ast hoc alitèr se habere, & Beatam VIRGINEM ex morte CHRISTI Filij sui præuisâ, tantam puritatem & redemptionem sibi conuenientem hausisse, seriò declarandum est. Quod iam aggredior. Et

2. Præmitto doctrinam Doctoris Subtilis in 3. dist: 20 q. vnicâ §. Tunc ad quæstionem &c. Vbi hæc verba leguntur. *Dico, quòd omnia huiusmodi, quæ facta sunt à CHRISTO circa redemptionem nostram, non fuerunt necessaria, nisi præsuppositâ ordinatione Diuinâ, quæ sic ordinauit fieri: & tunc tantùm necessitate consequentiæ necessarium fuit, CHRISTVM pati, sed totum fuit contingens simplicitèr, & antecedens, (scilicet illa ordinatio Diuina) & consequens, (scilicet passio & mors CHRISTI.)* Et sub finem §. Idem docet pro D. Anselmo. *Si* (inquit) *volumus saluare Anselmum, dicamus, quòd omnes rationes suæ, procedunt suppositâ ordinatione Diuinâ, quæ sic ordinauit hominem redimi. Et sic videtur ita procedere, quòd DEVS ex præordinatione æternâ, quâ sic præordinauit, non voluit acceptare aliquid pro redemptione hominum, nisi mortem filij sui: nulla tamen necessitas fuit absoluta. Vnde in Psalmo. Copiosa apud eum redemptio.* Hæc Doctor.

3. Jam verò causam tam arduæ ordinationis, quâ DEVS ab æterno ordinauit, prædestinatos non fore saluandos, siuè illi sint Angeli, siuè homines, nisi in sanguine & morte CHRISTI, venari à priori, nimis est difficile. Innuit eam

it eam tamen Apostolus ad Heb: cap: 2. dum inquit. *Videmus IESVM, propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum, vt gratiâ DEI, pro omnibus gustaret mortem: Dicebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consũmari.* Quibus verbis datur duplex causa istius ordinationis. Prima innuitur, cùm dicitur; Vt gratiâ DEI, pro omnibus gustaret mortem. Estque summa DEI bonitas. Secunda insinuatur, cùm additur; Decebat enim &c. Estque decentia, & congruitas, respectu summæ bonitatis.

4. Quæ causæ vt intelligantur, reuocandum est in memoriam, quòd CHRISTVS ex summâ DEI bonitate, constitutus est mediator inter DEVM & intellectualem creaturam, in quo oporteat illam saluam fieri, prout Decade istâ secundâ Resol: 2dâ: docuimus. Ex se enim talis creatura, nullum pondus habet respectu gloriæ essentialis, suo merito acquirendæ, nisi DEVS prouidisset ei de tali mediatore, qui sibi coæuam habens gloriam, non sibi sed alijs mereretur, quidquid mereretur, loquendo de gloriâ essentiali, idque DEO de condigno eius meritum acceptante pro alijs; decebat autem, vt summæ bonitati Diuinæ, sic CHRISTVM in mediatorem totius creaturæ intellectualis, ex merâ liberalitate suâ determinanti, responderet in CHRISTO summa charitas, tàm respectu Patris æterni, & totius SS. Trinitatis, quàm respectu creaturæ intellectualis; ex quâ summâ charitate, tenebatur CHRISTVS summè diligere gloriam & honorem Patris, & SS. Trinitatis, & summè odisse inhonorationem, offensionem, & confusionem eius, etiam minimam, etiam si in gloriæ talis promotionem, & inhonorationis auersionem, mors esset subeunda. Juxtà illud Psalmi 68. *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Ex eadem etiam summâ charitate, tenebatur CHRISTVS vt mediator à DEO prædestinatus, summè nos diligere, in ordine ad pacem & coniunctionem cum DEO, & summè odisse inimicitiam, ac separationem nostram à DEO, idque loquendo tàm de Angelis, quam de hominibus: ita quòd hæc pax promouenda erat, & separatio tollenda, etiam cum positione animæ CHRISTI per mortem: Juxtà illud ipsius CHRISTI Joan: 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Igitùr ex hac duplici causâ, scilicet ex summâ DEI bonitate, & ex correspondente ei summâ CHRISTI mediatoris charitate, ordinatus est istâ arduâ ordinatione, CHRISTVS mediator DEI & creaturæ intellectualis, tam Angelicæ, quam humanæ, ad mortem, non quamcunque, sed dirissimam, crudelissimam, probrosissimam; imò si aliquid esset istâ morte acerbius, & crudelius, cum dignitate tamen & excellentiâ tanti mediatoris compossibile, (quod addo, ad excludendas à CHRISTO mediatore pœnas inferni, quas CHRISTVM sustinuisse impius blaterat Caluinus) ad hoc etiam ordinatus fuisset, vt ita perfectissimum illius meritum, ex ratione personæ operantis illud pro nobis, etiam perfectissimum esset ex ratione vehementiæ intentionis, patiendi difficillima, & intolerabilissima; Juxtà illud Christi Luc: 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor donec perficiatur.*

5. Habemus ergò iam mediatorem passibilem, & in sanguine crucis ab æterno pacificantem, siuè quæ in terris, siuè quæ in cælis sunt. Idque præscindendo à variationibus creaturæ intellectualis per persistentiam in bono, vel per lapsum: quia siuè creatura intellectualis Angelica & humana peccaret, siuè non peccaret, adhuc ab æterno mediator DEI & noster homo CHRISTVS JESVS, agnus est occisus, & nedum ab origine mundi: esto actualis effectuatio mortis, nonnisi ab origine mundi, scilicet à peccato primi hominis, decreta sit. Quod fortè & ideò est permissum, vt tanta bonitas, & tanta charitas effectuaretur re ipsâ, quæ aliàs si homo non peccasset, effectuata non fuisset, licèt pro effectuatâ à DEO æstimaretur, ob efficacem moriendi voluntatem, in Christo mediatore; Juxtà illud Glossæ, super Epistolæ ad Rom: cap: 4tum. *Ei qui habet voluntatem & facultatem, non sufficit bona voluntas; ei autem qui habet voluntatem & non facultatem, sufficit voluntas.*

6. CHRISTO igitùr in præuisione DEI tunc cum tali voluntate & resignatione stanti, vi tantæ charitatis, quam ab æterno vt præsentem intuebatur DEVS, dati sunt omnes prædestinati Angeli & homines, vnicâ hâc conditione adiectâ, vt in eum fide viuâ crederent, quæ fides vnâ cum gratiâ fidem viuificante, adhuc merito Christi illis est destinata, prout & posteà cùm creabantur collata, idque tàm Angelis, quam Protoplastis.

7. Superadditum tamen vtrisque liberum arbitrium, quo fidei illi, & gratiæ datæ sibi, pro posse cooperarentur, vniendo se cum pientissimo mediatore arctiùs & intensiùs. Qui autem impugnaret hunc mediatorem, abijciendo fidem in eum, & nihili æstimando gratiam per eum sibi datam, ille esset radix omnis malitiæ, & peccati, vel eo ipso perpetuò & irremediabilitèr atque inuariabilitèr malus, quod caput salutis Christum impugnauerit, cui tamen vel inuitus, in pœnam tantæ superbiæ subijciendus erat, vt contemptor gratiæ; qui ceu primus Pelagianista, totum suæ naturæ, nihil gratiæ, tribuebat, capiti gratiæ Christo, & nomini illius ter glorioso genu inclinaret, in quo oportebat eum saluum fieri, si voluisset.

8. Sic ego, cum humili tamen correctione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pro tenuitate intelligentiæ meæ, existimo sanguinem & mortem agni, scilicet Christi, pertinuisse ad redemptionem Angelorum & hominum; ita intelligendo: quòd inter DEVM & Angelos, mediauit Christus in sanguine suo affectione, sicut mediasset & pro toto genere humano, in statu innocentiæ, si perseuerasset: iam verò inter DEVM & homines post lapsum, nedum affectione, sed executione mediauit, & strictè loquendo, hominum post lapsum verè est Redemptor per sanguinem crucis, quià eos verè à peccato, cuius serui facti erant, soluto pretio sanguinis sui, redemit; Juxtà illud Apost: 1. ad Cor: 6. *Empti estis pretio magno.* Angelorum verò non ita propriè est Redemptor, sed potiùs deberet dici Præredemptor, quia in suo sanguine meruit eis ne laberentur. Quod vt intelligas.

9. Aduerte ex S. Bernardino Senensi, serm: 60. de Relig: Christianâ a. 2. cap: 3. vbi illa verba Apoc: 12. de dracone, scilicet Lucifero de cœlo pro-

iecto, in Apocalypsi; *Et proiectus est accusator fratrum nostrorum*, ita interpretatur. *Mirantur* (inquit) *quidam, quomodò Angelus primus, accusator actu fuerit cæterorum? sed aduertant diligentèr; quòd sicut Dominus IESVS CHRISTVS, mediator erat totius creaturæ rationalis ad DEVM, eò quòd gratia eius toti rationali creaturæ sufficeret ad salutem; licet aliqui mediatoris gratiam impugnantes, gratiâ eius facerent se immunes: sic & ille superbiens Angelus, totius rationalis creaturæ accusator erat; cuius demeritum toti rationali creaturæ ad damnationem suffitiebat, nisi CHRISTI meritum pro datis sibi à DEO Patre, interuenisset.* Quæ verba satis difficilia, ego ita intelligo: quòd sicut summa erat gratia, filium DEI incarnari, & ex summâ charitate, morti si opus foret etiam acerbissimæ destinari; ita summa malitia erat, quâ maior esse non poterat, hanc DEI bonitatem impugnare, & Christi charitatem tantam spernere; adeò vt meritò pro hoc solo delicto, quod in creaturâ rationali inuentum est, tota creatura deleretur & damnaretur. Et hoc erat accusari fratres per draconem. Sed quia juxtà D. Dionysium 4. de Diu: Nom. *Bonum est potentius malo*; præuenerat iam Christus in Dei prædestinatione elucens, hanc malitiam, immensâ & summâ illâ charitate, quâ se pro Dei honore, & prædestinatorũ salute, ad mortẽ obtulerat, cuius charitatis intuitu, tam illi omnes electi dati sunt, sicut postea gloriatus est in carne viuens, dũ dixit, Joan: 17. & 18. *Ecce quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*; ideò eiusdẽ met charitatis respectu, isti qui dati suntChristo, qui videlicet actualitèr Christũ non sunt aspernati, à damnatione quæ eis certissimè obuenisset, sunt præseruati, & in peccato illo Luciferi, non sunt inuoluti. Et pro tantoChristus in sanguine suo dicitur redemisse à peccato etiam Angelos, qui etiam ratione tantæ malitiæ inter ipsos exortæ, non erant mundi antè DEVM; juxtà illud Job cap: 4. & 25. *Ecce stellæ cæli non sunt mundæ in conspectu eius, & in Angelis suis reperit prauitatem.* Potest ergò Christus etiam rectè dici Angelorum redemptor à peccato, hâc ratione, licet magis propriè dicitur Præredemptor.

10. Ex his iam manifestè apparet veritas doctrinæ nostri Doctoris suprà positæ, quâ docet; DEVM suâ præordinatione æternâ, estò illi non defuerint alij modi saluandi creaturas intellectuales, constituisse omnium salutem in sanguine & morte filij sui incarnati, idque tam Angelorum, quam hominum: licèt hic sanguis Christi, alitèr reconciliauerit DEO Angelos, & alitèr homines; Angelos scilicet præueniendo & præseruando, ne in peccato Luciferi & asseclarum eius inuoluerentur; homines verò iam lapsos, à seruitute peccati redimendo, per pretium liquidò solutum, de vitâ & sanguine vnigeniti filij DEI: ita vt iam habeatur in sanguine Christi duplex redemptio, seu reconciliatio, vna præseruatiua, & altera subleuatiua.

11. Tunc ad propositum de B. Virgine inuestigandum est, an illa ad redemptionem vel reconciliationem pertineat, in sanguine mediatoris Christi Filij sui? Et iam palam est in Ecclesiâ DEI, Virginem Matrem non esse redemptam redemptione aut reconciliatione subleuatiuâ, quâ sunt de facto redempti per sanguinem Christi homines, post lapsum Adæ. Quia Ecclesia in Spiritu Sancto legitimè congregata ad Concilium Tridentinum, excepit à De-

creto

creto de peccato originali, Beatam & immaculatam hanc Virginem, vt potè eam, quæ non peccauit in Adam, ac proindè eò ipso contestata est Ecclesia, ipsam non indiguisse redemptione subleuatiuâ à peccato, in quo nunquam fuit. Et iam hanc veritatem persuasit Subtilissimus Doctor cum totâ suâ Scholâ & multis sequacibus, Ecclesiæ Sanctæ. Quarè ei declarandæ amplius, non video cùr debeam insudare, nisi velim Soli meridiano lumen lucernæ addere, conatu planè ridendo.

12. Omnes ergò ad alteram redemptionem, scilicet præseruatiuam, tanquam ad munitissimum Asyllum, Beatissimam DEI genitricem reclinarunt; pientissimo sanè studio, sed vt mea quidem fert sententia, puritati Virginis Matris non parùm obnoxio: cùm omnis qui agnoscit Virginem præuentam & præseruatam in sanguine Christi à peccato, teneatur eam agnoscere fuisse debitricem peccati Adæ, saltim debito remoto. Quòd debitum quam longè sit à Matre Virgine, vel hoc ipsum, quòd non sit Filia Adæ, declarat, prout in præcedentibus liquidò est declaratum.

13. Et sanè cùm hæc redemptio seu reconciliatio præseruatiua, propria sit Angelorum, & fortè hominum in statu innocentiæ, si perseuerassent; Et Virgo Mater Regina sit Angelorum; non videtur æquum, eam eadem ratione cum seruis redimi. Si enim illa in Gloriâ, vltrà tres hierarchias Angelicas, constituit quartam distinctam, cùr non & specialior redemptio, (si tamen redemptionis & reconciliationis nomine censeri debet aut potest) ei tribuenda veniat de sanguine Christi, quem ipsamet Christo dedit? Maximè cùm scriptum sit, vt adducit de Psalmo 129. Doctor Subt: *Copiosa apud eum redemptio?* Si igitùr triplex est naturæ intellectualis saluabilis coordinatio; vna eorum qui peccauerunt & egent gratiâ DEI; Altera eorum, qui non quidem actu peccauerunt, sed omninò peccassent, si Christo dati non fuissent; tertia eorum, qui nec actu peccauerunt, nec omninò peccabilitati obnoxij sunt, eò modò quo nunc beati in cœlo sunt impeccabiles, cùr non & triplex redemptio?

14. Hæc tertia classis solam Virginem Matrem complectitur, quæ & quartam Hierarchiam sola complet, & efficit in cœlo: huic ergò soli, quomodò aliud genus redemptionis à subleuatiuo & præseruatiuo competat, iugitèr meditandum est.

15. Porrò licèt hactenùs non agnouerint Scholæ hoc tertium genus redemptionis, seu potius salutis per Christi sanguinem, tamen SS. Patres agnouerunt, qui præstantiori genere redemptionis, Mariam redemptam pronunciauerunt, quam Angelos. Do ipsorum clara & diserta testimonia. Primum est S. Hieronymi Orat: de Assumpt: B. V. *Angelorum quàmuis celsior natura sit, non tamen gratia maior, quoniam & ipsi gratuitâ gratiâ ne corruerent sunt saluati. Vndè Dauid. Verbo* (inquit) *Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quod si spiritu oris eius, omnis virtus eorum subsistit? constat Beatam & gloriosissimam VIRGINEM MARIAM, in quam superuenit Spiritus Sanctus, & DEVS totus illapsus, portatus nouem mensibus in vtero, vt credendum est, ampliora promeruisse virtutum priuilegia.* Secundum est D. Epiphanij Orat: de Laud: B. V.

B. VIRGO ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubin & Seraphin, placens CHRISTO Regi, & à DEO in honore habita. Et mox. *Quid dico, & quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? ſolo enim DEO excepto, cunctis ſuperior exiſtis, naturâ formoſior es ipſis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelorum.* Tertium eſt D. Ambroſij, ſerm: 12. de Chriſto. *Erat* (inquit) *lux vera, quæ illuminat omnem hominem; cùr non illuminaret mundum? atq; ideò dies, quæ lucem humano generi peperit, prius ipſa eiusdem lucis fulgore reſplenduit.* Et ſerm: 16. *Oriente ſaluatore, non ſolum humani generis ſalus, ſed etiam ſolis ipſius claritas innouatur: ſic ait Apoſtolus, vt per ipſum reſtauret omnia, ſiuè quæ in cælis, ſiuè quæ in terrâ ſunt: ſi enim obſcuratur Sol, cùm CHRISTVS patitur, neceſſe eſt illum ſplendidius ſolitò lucere, cum naſcitur; & ſi Iudæis mortem operantibus, effundit tenebras, cùr non MARIÆ parturienti vitam, exhibeat claritatem?* Et in Comm: ſuper Luc: cap: 1. *Nec mirum, ſi Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoauit à Matre, vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore.* Quartum eſt, D. Bernardi ſerm: 22. in Cantica. *Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laberetur, ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens: & hâc ratione fuit vtrique redemptio, ſoluens illum, & ſeruans iſtum.* Ecce redemptio ſubleuatiua, & præſeruatiua, illi homini, hæc Angelo facta. Aſt de B. Virgine neutra poteſt verificari. Licet igitur hoc loco non adducat D. Bernardus tertium genus ſalutis per Chriſtum, quia fuit dùm vixit immaculatæ conceptioni B. Virginis contrarius, tamen alibi eam prædicat omnibus Angelis ſublimiorem, & ità perfectiori ab Angelis ſalute beatam. Quintum eſt D. Dionyſij Carth: A. 5. *Hæc vniuerſis Angelicis ſpiritibus facta eſt dignior, meritis maior, mercede felicior; quæ & omnium aerearum malitiam poteſtatum, prorſus in ſe ipſâ deuicit.* Talia & his ſimilia multa obuia ſunt in SS. Patribus, ex quibus clariſſimè colligitur, Mariam nobiliore genere redemptionis, per ſanguinem Chriſti eſſe redemptam, quam Angelos.

16. Cùm igitùr conſtet de re, parùm curandum eſt de nomine huius redemptionis, quæ ſoli Matri DEI eſt peculiaris, & ab eius nomine dici poteſt non tàm redemptio, aut reconciliatio, hæc enim impropriè ſpectant ad Virginem, ſed ſanctitas Mariana, deſcendens in Mariam à ſanguine Chriſti. Tu voca vt vis, per me licèt; dummodò in nomine exprimas ſanctitatem Virginis, merito ſanguinis Chriſti in eam deriuatam, nobiliori modò, quàm in Angelos, vt potè in non obnoxiam peccato, ſicut fuerunt Angeli, ſed vt in gloriæ & ſanctitatis radicem, prout loquitur D. Epiphanius citatus ſuprà.

17. Enimuerò vt declarem hoc genus ſanctitatis Marianæ, quod illi ſoli & nulli alteri datum eſt in inſtanti ſuæ conceptionis. Suppono ex dictis tùm Decade 1mâ Reſol: 1. & 2. tùm hic Decade hac 2dâ ſparsìm, quòd ſtante hac ordinatione DEI ab æterno, quâ Chriſtus ordinatus eſt in ſanguine ſuo, in caput omnium ſaluandorum, non potuit ordinari niſi vt filius in naturâ humanâ Virgineâ, & conſequentèr vt à Matre Virgine generandus. Hinc S. Bernardinus Senenſis ſerm: 61. de relig: Chriſtianâ a. 2. cap: 6 ità determinat. *Dignitas maternitatis DEI, ſic operi incarnationis connexa eſt, quòd omninò aliter*

 non

non potuit dari. Quòd sanè S. Bernardinus profert, suppositâ hâc æternâ DEI ordinatione, in quâ nec Christum sinè Virgine Matre, nec Matrem Virginem sinè Christo, fas est considerari. Quia maternitas ista DEI, ità intrinsecè respicit filium hunc, qui est homo DEVS, vt omninò repugnet esse hominem DEVM Virginis filium, & non esse hanc Virginem Matrem. Ob hoc igitùr diximus in antecedentibus, Virginem Matrem pertinere ad caput, & esse quasi concaput cum Christo, respectu salutis omnium aliorum prædestinatorum: quia scilicet in prædestinatione DEI, simultanea est cum Christo, par illi in naturâ humanâ, & consubstantialis secundùm carnem & sanguinem: ac proindè cùmsic sit intima Christo, sequitur, quòd totum id quidquid Christus de eâ accepit, in ordine ad hoc, vt pro salute prædestinatorum exponeret per mortem, immediatè in Matrem effuderit ab æterno, vt ità sicut ipsa Mater Virgo, dedit de suo carnem & sanguinem filio DEI, etiam ipsa prima esset, quæ de omni illo merito participaret, quod processit ex oblatione in mortem istius carnis & sanguinis, ab eâ filio dati; sicque secundùm D. Ambrosium, ipsa Mater prima, fructum salutis hauriret ex pignore; & secundùm D. Epiphanium, esset penes ipsam, sicut in fieri, gloriæ radix, ità & in esse, habeaturque benedicta, nedum in mulieribus, sed & præ cunctis creaturis intellectualibus illâ, quæ vt loquitur S. Eusebius Gallicanus homil: 2 de Nat: Domini: *Mater est salutis humanæ, habitaculum immensæ Maiestatis, quæq; spem terrarum, decus sæculorum, commune omnium gaudium, peculiari munere, nouem mensibus sola possedit, initiatorem omnium rerum ex se initiauit, & profundendum pro mundi vitâ sanguinem, de corpore suo accipiendum illi obtulit, vt de eâ sumeret, quod pro eâ solueret.*

18. Et sanè hoc genus salutis perfectissimæ, debuit descendere in Mariam, si CHRISTVS est perfectissimus Saluator in sanguine suo. Non sufficit enim adesse perfectissimum Saluatorem, saluare creaturas intellectuales lapsas per restaurationem, & quæ non sunt lapsæ, lapsui tamen obnoxiæ, eas reconciliare per præseruationem; nisi accedat tertius saluandi modus alicuius creaturæ, quæ non sit lapsa, nec lapsui obnoxia vnquam, & tamen esse naturæ, esse gratiæ, & esse gloriæ, sortiatur ab influxu in se summæ illius charitatis mediatoris, quâ se obtulit DEO Patri in mortem, pro salute omnium saluandorum. Sicut enim sanguis CHRISTI, præscindendo à præuisione peccati, ex summâ & solâ charitate mediatoris, oblatus est SS. Trinitati, effundendus pro eius gloriâ si opus foret; ità necessè fuit, effectum tantæ charitatis, & istius oblationis sanguinis mediatoris, in aliquâ creaturâ intellectuali effectuari, dando tali creaturæ per istum sanguinem salutem, absque omni respectu ad peccatum præsens vel futurum.

19. Hanc ego salutem propriam Virgini Matri tribuo, quæ nec est subleuatiua, nec præseruatiua, sed vocabitur deinceps *Vnitiua*: quia in alijs creaturis intellectualibus, præcessit aliquomodò salutem disiunctio; quia iniquitas aut quæ infuit, aut quæ infuisset, diuiserat inter eas, & fontem salutis CHRISTVM: ast verò in VIRGINE gloriosâ, nulla talis præcessit salutem disiunctio, quià ex vi suæ maternitatis virgineæ, sempèr fuit CHRISTO ità coniuncta

cta, quòd exceptâ solâ vnione naturæ humanæ ad Verbum, nihil post DEVM ita erat fonti salutis CHRISTO vnitum, ac Virgo Mater.

20. Hinc est ergò, quòd SS. Patres supra citati, nobiliorem redemptionem, si tamen nomine redemptionis censenda est, agnoscunt in B. VIRGINE, quam in Angelis, quia quantò maior dignitas est esse Matrem DEI, quã esse supremum ministrum DEI, tantò nobilior salus à sanguine CHRISTI descendere debuit in Mariam, quæ est Mater CHRISTI, quam in supremum Seraphim, qui solùm est supremus ex Ministris Christi.

21. Accedit. Quòd distincta Hierarchia data est B. Virgini in gloriâ cœlesti, superans in immensum omnem etiam supremam Hierarchiam Seraphinorum; Ergò eidem hîc data est summa gratia, & summa salus, ex merito JESV CHRISTI; quia gloria est, gratia consummata.

22. Sed dices. Si B. Virgo est concaput redemptionis & salutis cum filio suo Christo, quomodò potest esse particeps eius redemptionis, cuius est caput? alias sicut Christus, qui est caput salutis, à nullo potest dici haurire suam salutem vt à capite, sed solùm à Deo liberalitèr, ita & Virgo quæ est concaput. Atque ita, non habebit B. Virgo salutem ex sanguine JESV CHRISTI, quod est contra Ecclesiam & SS. Patres. Respondeo. Quòd B. Virgo consideratur duplicitèr, aut quâ persona nobilissima in naturâ purâ intellectuali creatâ: aut vt Mater realis & vera nostri capitis Christi. Primo modo considerata, est vna creatura, estò nobilissima, tamen adhuc non habens pondus æqualitatis, imò nec proportionis ad gloriam essentialem, nisi in sanguine mediatoris, sicut & Angeli, & homines in statu innocentiæ. Et pro tanto non est concaput cum Christo, respectu salutis aliorum, sed & ipsa haurit salutem à Christo mediatore in sanguine eius. Secundo modo considerata, est iam concaput respectu nostri, vt potè Mater nostri capitis, nec vt sic accepit salutem à Christo, quia supponitur iam accepisse, quâ persona ad hanc maternitatem ordinata: implicat tamen ex hoc, quia sic ordinata ad maternitatem, maiorem gradum salutis obtinuit, quam aliæ personæ in naturis intellectualibus; quia scilicet non fuisset sibi data tanta gratia, si non fuisset sic ordinata ad hanc maternitatem, sicut data est ex hoc, quòd est sic ordinata.

23. Nec est paritas de eâ & Christo; quia à Christo vt capite, non est separabilis ratio personæ Diuinæ, subsistentis in naturâ humanâ; à Beatâ verò Virgine, est separabilis ratio personæ, à maternitate capitis nostri, quia priùs est persona hæc, quam Mater. Ast Christus nunquam præcessit vt persona, esse capitis nostri, sed simul ac subsistit in naturâ humanâ, datus est in caput nostrum à Deo, in quo oporteat nos saluos fieri; Ergò quamuis Christus non possit dici sui ipsius redemptor, potest tamen dici redemptor Virginis Matris, modo prædeclarato. Hæc de istâ secundâ Decade, dicta sufficiant.



DECAS

DECAS III.

AD complementum ædificij, ſpectare tectum, quo ſuperimpoſito, ab inclementijs extrinſecis tutum & immune permaneat totum ædificiũ, nemo diffitebitur. Hinc & nobis, poſtquàm in fundamento primæuæ Virginitatis & Spiritualitatis naturæ humanæ, ædificauimus domum aureã Immaculatæ Conceptionis DEIPARÆ, ſuperinducendum eſt tectum, quod illam tueatur ab externis iniurijs. Has porrò iniurias extrinſecas, quæ poſſent irruere in hoc ædificium, exiſtimo poſſe erumpere ex his, quæ contrà tantam conceptionis Virgineæ puritatem poſſunt adduci, vt ſunt infirmitates, & pænalitates naturæ lapſæ, quæ fuerunt in B. Virgine. Ab his ergò muniendam Virginem duximus, per ſubſequentes decem Reſolutiones. Quarum quidem ſit

RE-

RESOLVTIO PRIMA.

B. VIRGO non est decimata in lumbis Abrahæ, sicut Leui, sumendo conceptionem eius completiuè; etsi aliquomodò dici possit decimata, sumendo conceptionem eius inchoatiuè.

1.

VT manifestè appareat, quod domum hanc suam, non iam vir sapiens, sed ipsa DEI Sapientia, sic ædificauerit, supra petram virginitatis naturæ humanæ, quod licet super eam descenderint impetuosissima aduersantium flumina, & flauerint validissimi iniuriarum venti, & irruerint fortissimi procellarum spiritus, ipsa nihilominus intrepida subsistat, omnesq; propulset incommodorum conatus, ne vnquam cadere possit, cùm sit fundata supra firmam petram; assumimus negotium protegendi domum hanc, singulis huiusmodi iniurijs, viam ad eam præcludendo. Et quia tales iniuriæ præcipuum ducunt ortum ex infirmitatibus & pænalitatibus, naturam inquinatam peccato originali, consequentibus, quæ fuerunt in VIRGINE, item ex decimatione in lumbis Abrahæ, tum ex incremento gratiæ, quæ videbatur augeri in ipsâ, & ex alijs similibus fontibus, ideò ab his & eorum impetibus, VIRGO omninò vindicari debet.

2. A decimatione igitùr VIRGINIS in lumbis Abrahæ, incipiendo, pomouetur Resolutio præsens. Cuius quidem tituli, sensus est iste. An B. VIRGO fuerit obligata, ex vi propagationis, quâ ab Adam per Abrahamum ortum ducens, ad soluendas decimas pro se, quatenùs in primo instanti suæ conceptionis, subsistit vt persona completa in esse naturæ humanæ, idq; ratione seminis decisi à parentibus, ex quo corpus eius, vt de materiâ, est formatum? Obligatio enim ad talem decimam exoluendam, videtur insinuare peccatum originale inesse vel infuisse aliquandò, personæ sic obligatæ. Hoc igitùr examinando

3. Suppono ex D. Bonauenturâ in 3. distin: 3. a. 2. q. 1. Quòd decimatio potest considerari tripliciter; vel vt fuit actus moralis, scilicet donatio alicuius certæ partis, facta ijs qui sunt deputati specialitèr cultui Diuino: Vel vt fuit actus Sacramentalis, scilicet donatio alicuius certæ partis, in ordine ad curationem morbi originalis, qui sic in lege naturæ curatus supponitur: Vel vt fuit actus figuralis, scilicet donatio decimæ partis, ad præfigurationem curationis vniuersalis, quæ futura erat per oblationem CHRISTI.

Hîc non eſt ſermo de decimatione morali, quia hæc etiam modò eſt in Eccleſiâ, & pertinet non ad eos qui ſunt in lumbis parentum, ſed ad præſentes nunc viuentes. Nec eſt ſermo de decimatione Sacramentali, quia & hæc in lege naturæ ſupponebat præſentes viuentes, in peccato originali natos ex vtero, non verò vt in lumbis exiſtentes: ſolùm igitùr loquitur Reſolutio de decimatione figurali, quæ ex ratione ſuâ, quatenùs ſignatio eſt, nedùm reſpicit præſens, ſed etiam futurum. Et hoc modo dicuntur filij Abrahæ decimati in lumbis Abrahæ, quia per illam decimationem, quam Abraham obtulit Melchiſedech Regi & Sacerdoti, præfigurati ſunt omnes filij Abrahæ, fore curandi per eum, qui figurabatur per Melchiſedech, id eſt, per verum Sacerdotem Chriſtum. Hoc ſuppoſito.

4. Videtur immaculatæ conceptioni DEIPARæ VIRGINIS, obeſſe hæc Abrahæ decimatio figuralis, quâ à Melchiſedech decimatus legitur Gen: 14. Cùm enim B. VIRGO tunc fuerit in lumbis Abrahæ, ſicut & Leui, quem Apoſtolus ad Hebr: 7. dicit eſſe decimatum, tanquam curandum poſteà à morbo originali per CHRISTVM; ſequitur, quòd & B. VIRGO ſit tunc decimata; & ſi decimata, Ergò obnoxia peccato originali; quia quicunque de lumbis paternis procedit, reus eſt peccati originalis, cùm concipiatur & naſcatur ex voluntate viri, & concupiſcentiâ ſeu voluntate carnis.

5. At hæc Abrahæ decimatio, non obeſt immaculatè conceptæ VIRGINI, licet obſit omnibus alijs, quicunque tunc fuerunt in lumbis Abrahæ. Quòd oſtendo primò ſic. MARIA ex eadem tribu Leuiticâ proceſſit, ex quâ & CHRISTVS, Sed CHRISTVS non fuit decimatus in lumbis Abrahæ, quia non per propagationem libidinoſam vt cæteri, ſed caſtè & ex operatione Spiritus Sancti, proceſſit. Vti hoc aſſerit D. Auguſt: Lib. 10 ſuper Gen: dicens. *Non autem ille decimatus eſt, cuius caro indè non feruorem libidinis ſed materiam medicaminis traxit. Nam cùm ipſa decimatio, ad figurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahamo decimabatur, quod curabatur, non illud vndè curabatur.* Ergò etiam VIRGO Beata non fuit decimata in lumbis Abrahæ. Conſequentia patet. Quia ita VIRGO MARIA ſicut CHRISTVS, non per feruorem libidinis, ſed caſtè & mundè, de lumbis parentum proceſſit, ex quo materia ſeminalis parentum eius, ab omni libidine amota, & ab omni infectione defæcata fuit, vt iam ſupra probatum eſt. Ergò &c.

6. Secundò oſtendo id ipſum ſic. Beata VIRGO non curabatur à CHRISTO, medicinâ ſubleuatiuâ, quali omnes filij Abrahæ curati ſunt, & vſq; modò curantur: nec etiam curabatur propriè loquendo, medicinâ præſeruatiuâ, vt Reſol: 10 Decadis 2dæ, oſtenſum eſt. Imò abſolutè non curabatur, ſed ſolum vniebatur ſanctitate vnitiuâ cum CHRISTO, ſoli VIRGINI MATRI eius propriâ, eſto tamen hæc vnitiua ſanctitas, daretur Virgini intuitu CHRISTI, Ergò Beata Virgo non decimabatur in lumbis Abrahæ, nec conſequentèr fuit peccato originali obnoxia vt Leui. Confirmatur. Quia decimatio illa, idem erat quod præfiguratio curatio-

nis, vt

nis, vt explicauimus supra, Ergò si Virgo non indiguit curatione, certè nec præfigurabatur vt curanda, nec decimabatur.

7. Tertiò sic. Ad hoc vt posteri Abrahæ dicerentur decimati in lumbis eius, necessaria fuit institutio & ordinatio DEI, seu pactum: nisi enim actiones Abrahæ, ex Diuinâ ordinatione instituerentur ad significandum aliquid, quod postea à posteris Abrahæ omninò obseruandum esset, certè posteri illius non tenerentur obseruare illud: Sicut & posteri Adæ, non contraherent peccatum originale, nisi pactum DEI circa hoc cum Adamo præcessisset, Sed potuit DEVS eximere Virginem gloriosam, à pacto cum Adam inito, respectu Iustitiæ Originalis, vel debiti contrahendi peccatum, Ergò etiam potuit illam eximere ab ordinatione decimationis in Abraham, ita quod quamuis ortum duxerit ab illo, cum totâ tribu Leui, tamen ad onera Leui non teneretur, ex speciali priuilegio exemptionis.

8. Quartò sic. Magister sententiarum Dist: 3. lib: 3tij ex D. Augustino dat rationem, quarè CHRISTVS non sit decimatus in lumbis Abrahæ? *Quià decimatio præfigurabat futuram curationem: quia autem CHRISTVS in lumbis Abrahæ, non erat sicut curatione indigens, sed potiùs sicut medicina, hinc est, quod decimatio ad ipsum non pertinebat.* Tunc ego infero. Sed etiam Beata VIRGO non erat ibi vt curatione indigens, quia ex æternâ sui prædefinitione, ad maternitatem DEI VIRGINEAM, sempèr futura erat homo purissimus, & caro eius, vt ad assumendum Verbo ministranda, erat medicina; vt iam Decade secundâ probaui: Ergò sicut non ad CHRISTVM, ita nec ad MATREM eius VIRGINEM, illa decimatio pertinebat.

9. Quintò sic. Eâ ratione Abraham dicitur decimatus à Melchisedech, quâ fuit minor Melchisedech, Sed Beata VIRGO non fuit minor Melchisedech; Ergò non est decimata in Abraham. Maior est, tum Apostoli ad Hæbreos cap: 7. *Sinè vllâ* (inquit) *contradictione, quod minùs est, à meliore benedicitur.* tum Magistri Sententiarum in 2. dist: 3. vbi sic loquitur. *Eâ decimatione, sicut Abraham minor Melchisedech ostenditur, cui personalitèr decimas soluit; ita & Leuiticus ordo, qui in Abraham secundùm rationem seminalem erat, & ex eo per concupiscentiam carnis descendit.* Minor probatur. Quia siuè Melchisedech sumatur in se, siuè vt erat figura CHRISTI, Virgo non est minor illo; quia est indiuiduum naturæ humanæ nobilissimum, & tam ratione corporis, quàm ratione animæ, homo talis, qualem ab initio creationis intenderat DEVS, proindè Melchisedech in se sumpto, maior, & eidem vt figuram gessit CHRISTI, par; quia ipsi CHRISTO in naturâ humanâ æqualis.

10. Sextò sic. Eâ ratione Leui decimatus est in Abraham, quâ ratione per concubitum venturus erat in Matrem, mediante decisione seminis paterni, Sed B. Virgo non sic per omnia ventura erat in Matrem suam, sicut Leui: quia licèt antecesserit concubitus parentum, conceptionem B. Virginis, tamen non ex concupiscentiâ, sed ex diuinâ charitate,

contrà

contrà voluntatem carnis, vt suprà dictum est. Licèt etiam deciderint semina parentes Virginis, tamen ex illis seminibus non ita prodijt Beata Virgo, sicut solent prodire alij Adamici; quia in organizatione corporis Virginis, magis operabatur, imò totum fecit gratia, non natura, vt Decade 2dâ deduximus; Ergò Beata Virgo non est ita decimata sicut Leui. Confirmatur. Quia Beata Virgo de semine parentum orta est, potiùs ratione mysterij insertionis naturæ nostræ corruptæ in CHRISTVM, quam ratione legis carnis, Ergò non sic est decimata in Abraham, sicut omnes alij, qui secundùm legem carnis venerunt.

11. Septimò sic. Eâ ratione homo decimatur in lumbis paternis, quâ ratione posteà ex lumbis paternis egreditur, Sed non egreditur ex lumbis paternis, nisi secundùm animale: nihil enim aliud generat Pater in prole, nisi id quod est animale; vt Decade 1mâ docuimus; Ergo qui sic non egreditur ex lumbis paternis, ille non decimatur: Sed Beata Virgo non est sic egressa ex lumbis paternis; quia in eâ non est productum animale vi seminum, sed statim fuit homo purissimus, & incorruptus, & ab omni animalitate, & animâ seminali, & eam consequentibus, immunis, in instanti suæ conceptionis, Ergò Beata Virgo non est decimata, strictè loquendo, in suâ conceptione completâ,

12. Octauò sic. Quia caro CHRISTI & caro Mariæ, sunt vna caro, Ergò si caro CHRISTI, non est decimata in Abraham, sequitur, quòd nec caro Mariæ. Respondebis negando paritatem: quia caro CHRISTI non erat ibi secundùm rationem seminalem, sed benè caro Mariæ; prout expresè vult D. Augustinus, relatus à Magistro in 3. dist: 3. dicens. *Secundùm rationem seminalem ibi fuit Leui, quâ ratione per concubitum venturus erat in Matrem, secundùm quam rationem non erat ibi CHRISTI caro, quamuis secundùm ipsam ibi fuerit Mariæ caro.* Sed hæc responsio non obstat. Quia licet caro Virginis, venerit per concubitum in Matrem, hoc tamen solùm inchoatiuè, scilicet ratione mysterij insertionis naturæ nostræ corruptæ, in naturam Virgineam Christi, non verò completiuè, cum carnalitate & animalitate, sicut venerat caro Leui, quarè dictum S. Augustini solùm inchoatiuè procedit, non completiuè, de carne B. Virginis.


13. Nonò sic. Doctor Subtilis in 3. dist: 3. q. 2. sub ipsum finem, citans D. Anselmum lib: de conceptu Virg: cap: 10. & 19. dicit. Quod D. Anselmus vult, quòd *innocentiæ CHRISTI, potest poni duplex ratio; scilicet: sanctificatio VIRGINIS MATRIS, & miraculosa formatio corporis, non per propagationem communem; & vtraque per se sufficeret, vt CHRISTVS innocens nasceretur: indè patet ratio decimationis Leui, & non CHRISTI.* Hæc ille. Sed in Beatâ Virgine hoc secundùm fuit, scilicet, quia vis seminalis sic est miraculosè eleuata, vt produceret statim organicum corpus, in ordine ad solam animam intellectiuam, non verò ad animalem, quæ vi seminum suscitatur dispositiuè in nobis; & hæc causa sufficit ad

hoc,

hoc, quòd caro sic miraculosè formota, non sit decimata in Abraham, sicut caro Leui, secundùm Doctorem Subtilem vbi supra, Ergò B. VIRGO sicut & CHRISTVS, ex ratione miraculosæ formationis corporis, decimata non est.

14. Dices. Saltèm ratione seminationis, quòd scilicet B. Virgo est seminata à parentibus, quomodò CHRISTVS seminatus non est, videtur esse decimata, & ita peccato originali obnoxia, saltèm remotè. Respondeo distinguendo assumptum. Si ista seminatio sortita fuisset effectum in B. Virgine, causando in eâ corruptionem & degenerationem naturæ, concedo; sed quia non est sortita talem effectum, præueniente digito DEI, ne vi seminum, consurgeret in B. Virgine quidquam seminale, naturæ eius Virgineæ corruptiuum, iam nego.

15. Et per idem soluatur ratio in contrarium, posita paulò post principium Resolutionis. Decimatio enim, non tantùm respicit esse in lumbis, sed etiam modum essendi secundùm traductionem originalis peccati, quod non est natum traduci, nisi per animalizationem & carnalizationem naturæ prolis; quibus B. Virgo caruit.





RESOLVTIO SECVNDA.

Necessarium fuit, stante lapsu naturæ humanæ, corpusculum VIRGINIS MATRIS inchoatiuè seminari: ità tamen, vt per hoc non traduceretur in VIRGINEM, peccatum originale; id exigente mysterio nostræ reparationis.

1.



Voniam resoluimus, B. VIRGINEM, estò fuerit seminata à parentibus, non tamen decimatam fuisse in lumbis Abrahæ, eò quòd non secundùm legem carnis præcisè & completè, sed secundùm mysterium nostræ reparationis, sit seminata solùm inchoatiuè; sicque euitauerit obnoxietatem respectu peccati originalis: consequens igitùr est, vt hoc mysterium ampliùs explicemus, quatenùs luculentèr appareat, non posse inferri obnoxietatem peccati originalis in B. Virgine ex eo, quod per mysterium in eâ gestum est, & non per legem corruptæ naturæ.

2. Porrò hoc mysterium consistebat in eo, vt caro CHRISTI aliquomodò esset de massâ peccatrice, vt ità in eâ esset ratio veræ passibilitatis, & supportatio nostræ infirmitatis, ac eius per mortem destructio, nouique hominis, qui secundùm DEVM creatus erat ab initio, per resurrectionem reproductio: ad quod mysterium complendum, oportuit carnem B. Virginis Matris Christi, esse saltèm inchoatiuè de semine maledicto ab initio, vt scilicet tota natura de semine maledicto, ab Adamo vsque ad Virginem propagata, vel eo medio insereretur, quod B. Virgini non obesset, & toti massæ corruptæ naturæ, prodesset. Et hoc medium non aliud inuenit Diuina sapientia, nisi seminationem corpusculi Virginis, Matris Redemptoris & Reparatoris nostri, absque libidine tamen, & ex Diuinâ charitate, contra voluntatem viri & carnis, procedentem, & ex præuentione seu potius speciali directione & assistentiâ Diuinâ, nihil carnalitatis & animalitatis, per quam fit caro peccati, in carnem Virginis introducentem. Hoc enim medio, sapientia Diuina, & honori Matris suæ consuluit, & massam peccatricem (mediante carne Virginis, de semine vt de materiâ formatâ, manu DEI, non vi seminum: ac propterea immaculatâ & à peccato segregatâ) in se suscepit.

3. Hanc ego doctrinam haurio ex Doct: Seraph: in 3. dist: 3. a. 3. q 1. Vbi respondens illi argumento. *In Christo debuit esse maxima puritas, Sed magis purum*

purum est, quod nunquam fuit inquinatum, quàm illud, quòd aliquandò inquinatum fuit, Ergò videtur, quòd caro CHRISTI, *nec in se, nec in parentibus, subiacuerit fæditati corruptionis vel carnis.* Ita docet. *Ad illud quod opponitur, quod maxima puritas debet esse in carne* CHRISTI; *dicendum, quòd verum est, secundùm quod competit ad reparationem humani generis: sic autem intelligendo, non potest maior puritas cogitari, quàm cùm de massâ peccatrice formatur caro, omninò immunis à peccato: quòd si intelligatur caro illa, nunquam in se vel in parentibus fuisse obnoxia,* (supple peccato) *non sic cogitatur, qualis nostræ redemptioni fuerit apta, & ideò non cogitatur qualitèr & sicut debet, sed potiùs signatur qualitèr non debet.* Hæc S. Bonauentura.

4. Jam verò, quòd formari secundùm corpus manu DEI de semine, quod est seminari inchoatiuè, ratione mysterij prædicti, non obsit B. Virginis purissimæ conceptioni, ostendendum est. Proindè suppono. Duplicitèr nos posse loqui de carne B. Virginis: aut quantùm ad materiam, vndè sumpta est, aut quantùm ad formam, secundùm quam animæ coniuncta est. Iterùm quantùm ad materiam vndè sumpta est, duplicitèr; prout & materia de quâ in præsenti est sermo, scilicet semen, duplicitèr consideratur: vel purè materialitèr, quales sunt in semine partes grossæ, pertinentes ad siliquàm seminis: vel non purè materialitèr, sed cum aurâ & spiritu formatore simul, latente in siliquâ, Hoc supposito

5. DICO I. Si loquamur de carne Mariæ, secundùm materiam purè materialitèr acceptam, de quâ caro illa facta est digito DEI, sic caro illa pertinet ad massam peccatricem purè materialitèr, & sic potest dici propagata ab Adam, seminata à parentibus, decimata in Abraham. Et hoc sufficit ad implendum mysterium præfatum, non tamen obest puritati conceptionis B. Virginis. Quod sufficiat; patet ex se: quia talis caro, assumpta est à Verbo materialitèr, qualis fuit purè materialitèr in B. Virgine. Quòd verò non obsit puritati carnis B. Virginis, vt pateat: pro hoc.

6. DICO 2. Si loquamur de carne Mariæ, secundùm materiam non purè materialitèr, sed cum aurâ seminis & spiritu formatore organorum & dispositionum ad animam seminalem acceptam, prout scilicet fiunt corpora omnium Adamicorum de semine; sic caro illa non est formata de semine, nec pertinet ad massam peccatricem, nec potest dici propagata ab Adam, nec seminata à parentibus, nec decimata in Abraham. Probatur. Quia illa sola & omnis caro dicitur esse de massâ peccatrice, quæ formatur vi seminum, & aurâ formatrice illorum agente, ad introducendas in carnem de semine ortam, dispositiones naturæ corruptæ & animalizatæ; Sed caro B. Virginis; Juxtà dicta Decade 2dâ, non est formata vi seminum, cum dispositionibus ad carnalitatem, & animalitatem, sed præcisè ad recipiendam immediatè animam intellectiuam, est organizata, & disposita, eleuante manu DEI actionem seminum, Ergò &c.

7. DICO 3. Si loquamur de carne Mariæ secundùm formam, sic caro illa, nullo modo pertinet ad massam peccatricem, nec ad Adamum, aut Abrahamum, aut ad parentes proximos; sed est talis, qualis fuisset in statu innocen-

nocentiæ, de Spiritu Sancto & Virgine Matre formata, si ille status perseuerâsset. Probatur & declaratur hoc. Quia caro sic accepta, est caro in facto esse, habens iam esse completum, & ex vi nominis, non nominat materiam ipsam, sed formam perfectissimam carnis; Sed hæc forma carnis, non habetur in B. Virgine ex vi propagationis Adamicæ, sed à manu Creatoris; Ergò talis caro, non pertinet ad massam peccatricem.

8. Confirmatur. Quia illud dicitur procedere secundùm rationem seminalem, quod exit in esse secundùm virtutem & operationem naturæ corruptæ, vi seminis disponentis ad animalitatem, qualitèr illa omnia procedunt, in quorum productione, natura non solùm se habet per modum obedientis & suscipientis, sed etiam per modum agentis & dantis complectionem. Hoc enim importat, hoc quòd dico seminalis ratio, propriè loquendo. Verba sunt S. Bonauenturæ in 3 dist: 3. a. 3. q. 2. Sed corpus B. Virginis, secundùm formam, & esse suum completum, non sic processit, vt Decade 2dâ Resol: 3tiâ ostendimus, Ergò non secundùm rationem seminalem processit completiuè, & ità non pertinet ad massam peccatricem, nec ad Adamum, nec ad Abrahamum, nec ad parentes proprios. Hinc vt exactè percipiatur hæc doctrina, infero quasi.

9. Corollarium. Quòd Adam temerante virginitatem Euæ, ex æstro concupiscentiæ, de pomo comesto in vtroque illorum exortæ, statim secuta est generatio belluina, quâ generatus est V. G. Seth in carne peccati: & quia hæc generatio attenta ab Adamo, naturam totam degenerauit, hinc rursùs à Seth ad eius Filios, & ita consequentèr ad omnes alios, per propagationem naturæ vitiatæ producendos, mediante semine pertransijt; respectu quorum omnium, semen decisum à lumbis, habuit virtutem sufficientem, & non præuentam desuper ad inducendam carnalitatem, & animalitatem in carnem, cum omni dispositione ad animam seminalem. Vbi verò ventum est ad illam Personam, de quâ definitum erat ab æterno, vt Christus nasceretur secundùm carnem, qui hanc corruptionem naturæ restauraret, tùm conceptu suo de Virgine & Spiritu Sancto, tùm applicatione sui ipsius vnicuique sic Adamicè genito, in Baptismo quidem inchoatiuè, in communione verò Eucharistiæ completiuè; iàm decisis seminibus, idque sinè omni libidine à sterilibus parentibus, stetit omnis sequens hanc decisionem actio corruptæ naturæ, & loco eius successit actio supernaturalis manus DEI, quæ de semine deciso, vt de purâ materiâ, efformauit tale corpus Matri Dei futuræ, quale fuit Euæ in paradyso; eò quòd in suo esse completo tale esset, de quo ità Spiritus Sanctus formaret humanitatem Christi, sicut formasset in statu innocentiæ, de corpore Euæ, humanitatem cuiuslibet prædestinati: & hoc est quod dico, B. Virginem in esse completo corporis sui, non respicere massam peccatricem, nec Adamum pro parente.

10. Confirmatur hæc doctrina ex D. Bonauenturâ in 3. Dist: 3. A: 3. q. 2. Vbi habet hæc verba. *Quamuis in aliquo semine sit ratio seminalis, secundùm quamlibet eius partem, saltim formalem,* (ecce S. Doctor distinguit semen in duo, in purè materiale, & in formale, sicut & nos in Supponendo hìc distinximus)

mus)

mus) *vt ex eo aliquid possit fieri, tamen si DEVS aliquid faciat ex illo semine, ad quod non habebat ordinationem secundùm naturam, dicitur id fuisse in illo semine solùm secundùm corpulentam substantiam, non verò, secundùm rationem seminalem; quià semen illud, respectu illius quod DEVS educit, non habet vim sufficientèr actiuam, sed passiuam, secundùm quam subministrat corporalem substantiam.* Quæ doctrina S. Doctoris, si ad CHRISTI corpus applicaretur, prout ille ipse vult, nulla est: quià supponit, in B. Virgine fuisse semen respectu corporis CHRISTI, ità sicut est & in alijs matribus generantibus suas proles in peccato; quod tamen est plus quàm falsum. Nam Mater ista, non esset Virgo formalitèr, sed solùm materialitèr, si in matricem suam decidisset aliquomodo semen respectu prolis, estò sinè consortio viri; Virgo autem mater CHRISTI, caruit semper ità semine prolifico, ac infans, imò plus quam infans recentèr natus. Et quod dicitur de ipsâ Gen: 3. *Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen mulieris*: hoc sicut non procedit de ouis serpentum, quæ sunt semina illorum, ità nec de semine prolifico in B. Virgine, sed procedit de filijs Diaboli, & tenebrarum, quorum Diabolus seductâ Euâ, Pater effectus erat, & de filijs lucis & DEI, quorum Virgo Deipara iàm tunc destinabatur futura mater, in pariendo vnicum Filium DEI incarnatum, & nos restaurantem in Filios Dei. Tota igitùr seraphica ista doctrina, procedit de semine deciso à Parentibus Virginis, de quo Virgo solùm vt de materiâ processit, non verò vt de agente. Hæc de seminatione corporis Virginei. De mysterio verò nostræ reparationis.

11. Supponendum est primò. Triplicem fuisse obligationem in Christo vt mediatore & redemptore. Prima fuit ad redimendum ab originali peccato principalius quàm à cæteris peccatis. Et hoc colligitur ex illo ad Rom: 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam, iusti constituentur multi.* Quod de Adam inobediente & de Christo obediente vsq; ad mortem, communitèr intelligunt Sancti Patres. Idem colligitur ex Concilio Toletano 6. Vbi dicitur. *Solum filium fatemur ad redemptionem generis humani, propter culparum debita, quæ per inobedientiam originaliter contraxeramus, resoluenda, venisse.* Eiusdem sententiæ est D. Greg: in 4ti Reg: Cap: 1. dicens. *Si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram* (supple, passibilem) *non oporteret.* Id ipsum quoq; colligitur ex mente vniuersalis Ecclesiæ, quæ in benedictione Cerei Paschalis canit. *O certè necessarium Adæ peccatum, quod morte Christi deletum est!* Ex quibus habetur, quod Christus principalius obligabatur ad redimendum genus humanum à peccato originali, quam ab actualibus. Et hæc erat prima obligatio eius.

12. Secunda obligatio Christi mediatoris & reparatoris erat, ad placandum offensam DEI generi humano, non qualitercunq; sed summè. Et hoc colligitur ex illo Isa: 49. Vbi Deus appellatur, *Redemptor fortis.* Et Psal: 130. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Et ad Ephes: Cap. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis.* Ex quibus & alijs permultis patet, Christum fuisse redemptorem nostrum summo modo.

13. Tertia deniq; obligatio fuit in CHRISTO, ad redimendum plus Beatam Virginem Matrem suam, quam cæteros homines. Et hoc colligitur ex eo, quod de semetipso CHRISTVS dicebat Math: 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Et Joan: 14. *Diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et Ibid: Cap: 15. *Ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Et alijs multis ex locis. Præceptum autem Diuinum satis clarum est, de honorandis Parentibus supra cæteros Proximos; Juxtà illud Exod: 20. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, &c.* Supra quæ reflexus D. Ambrosius ait. *Sic multorum charitas inordinata est, quod in primo ponunt tertium & quartum; primò enim DEVS diligendus est, secundò parentes &c.* Et D. Hieron: Lib: 13. sup: Cap: 44. Ezech: dicit. *Post omnium Patrem DEVM, carnis quoque Pater diligatur & Mater.* Et Magister Sent: in tertio Dist: 29. ait. *Obuiat illud præceptum Legis de diligendis parentibus, ex Deuteron: 5. Honora Patrem tuum & Matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Vt quid enim specialiter illud præciperetur de Parentibus, nisi maiori dilectione forent diligendi?* Jd ipsum stringit quemlibet in lege naturæ; Juxtà illud Ioannis Gerson. *Ius naturale omnibus commune est, vt filius debeat honorare Matrem.* Ex quibus patet, quod plus obligatus fuit CHRISTVS ad redimendum à peccato originali Matrem suam, quam cæteros hominum; iam enim non benè honorata fuisset, si eam non præseruasset CHRISTVS filius suus à peccato tali. Juxtà illud præfati Gersonis Ser: de Concept: B. V. *Nullâ ratione sufficientèr honoraretur Mater DEI, si inhonestum peccatum in eâ aliquo tempore dominaretur.*

14. Supponendum est secundò. De præseruatione Virginis à peccato originali, nos hic loqui, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum. Quoad substantiam quidem, id est absolutè respiciendo immunitatem & puritatem Virginis, quâ excelluit supra omnem creaturam. Quoad modum verò, id est, includendo respectum ad peccatum à quo est præseruata redemptiuè; quarum posterior, hanc formalitatem superaddit ad priorem, quod hæc sit respectiua, illa verò absoluta; nam præseruatio Virginis quoad substantiam, fuit ad gratiam coæuam animæ Virginis sanctificatiuam illius; præseruatio autem eius quoad modum, fuit ad eandem gratiam vt vnitiuam Animæ eius cum puritate Filij. Triplicem enim esse redemptionem in vniuersum, docuimus supra, scilicet, Subleuatiuam, Præseruatiuam, & Vnitiuam, quæ est propria Virginis gloriosæ. Ex his ergò ad propositum descendendo.

15. DICO. Mysterium reparationis nostræ hoc exigebat, vt non traduceretur peccatum originale in Virginem, sed corpusculum eius purissimè seminaretur, ita quod Mater CHRISTI fuerit præseruata ab omni maculâ peccati, in carne & in Animâ, tam quoad substantiam, quam quoad modum, & tam in intentione æternâ, quam in executione temporali, idque per merita CHRISTI filij sui. Probatur. Sinè dubio Virgo præseruata fuit per merita CHRISTI à peccatis actualibus, quæ sunt minora peccato originali, & non ità exigitiua redemptionis, sicut originale, Ergò multò fortius præseruauit illam à

peccato originali, quod est maius. Antecedens definitum est per Concil: Trident: Sess: 6. Can: 23. Vbi dicitur, *Si quis dixerit, hominem semel iustificatum, posse totâ vitâ peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali DEI priuilegio, quemadmodum de Beatâ Virgine tenet Ecclesia. Anathema sit.* Id ipsum definiuit Concilium Claramontanum, & habetur ex communi Sanctorum Patrum sensu, Ergò &c. Consequens patet. Quia Christus principalius debuit redimere à peccato originali quam ab actualibus, vt deductum est modò. Ergò &c. Tum quia Christus visitauit nos ex alto per viscera misericordiæ suæ. Vt dicitur Lucæ 1. Sed si Christus non fuisset redemptor Virginis gloriosæ, iam redemptio eius non fuisset per viscera misericordiæ; Nam D. August: Lib: 9. de Ciuit: Dei Cap: 5. ait *Misericordia est, miseriæ alienæ quædam in nostro corde compassio, quâ vtiq; si possimus, subuenire compellimur.* Ergò principalius eam debuit præseruare ab omni labe peccati, quam quoscunq; alios, maximè cùm hoc subsit potentiæ eius, Ergò vel fecit quod potuit circa immunitatem Matris suæ, vel si non fecit, iam non secundùm misericordiam subuenit ipsi, quod absit dicere de Christo pientissimo & potentissimo redemptore. Tùm quia sicut Christus singularius obligabatur ad subueniendum Matri suæ, ita Mater eius singularius præ cæteris obligata est Christo Deo, ratione maioris glorificationis in cælis, & ratione incarnationis in terris, & ratione exemptionis à punitione dolorosâ in partu, & ratione abundantiæ gratiarum ac sanctitatis coæuæ sibi. Vt notat Lyranus super illud Lucæ 1. *Fecit mihi magna qui potens est* Ergò etiam debet ipsi esse obligata specialius ratione maioris redemptionis; alias magis ipsi obligarentur Angeli, qui ab omni peccato sunt præseruati; Sed non potuit esse maior redemptio quam vnitiua, Ergò &c. Tùm deniq; quia ad Ephes: 1mo dicitur. *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, antè mundi constitutionem.* Et paulò post. *Prædestinauit nos per Iesum Christum in ipso &c.* Quæ verba ex communi Sanctorum Patrum sensu, significant, Christum fuisse non solum causam finalem, sed etiam efficientem meritoriam prædestinationis omnium nostrum ad quodcunq; bonum, & multò magis Virginis Matris suæ. Vnde sic arguo Christus antecedentèr ad constitutionem mundi, & ad collationem Iustitiæ Originalis ex pacto, & ad contractionem peccati, & ad omnem prorsus legem, præuisus fuit cum omnibus suis meritis, quibus ab æterno merebatur per ipsum electio & prædestinatio nostra ad gratiam & gloriam, ita vt non subsequente lapsu primorum parentum, illi soli & omnes tunc fuissent nati, qui nunc sunt electi, Ergò secluso omni respectu gratiæ vt redemptiuæ à peccato, adhuc habuissemus perfectam sanctitatem per merita Christi, Sed à tali sanctitate non esset decens excludere Virginem Matrem Christi, Ergò mysterium reparationis nostræ omninò hoc exigebat, vt nulla macula peccati alicuius traduceretur in Virginem, sed potius decens erat, vt corpusculum eius purissimè seminaretur, & vt semper maneret Sanctissima. Ex quibus infertur

16. Corollarium. Quod Virgo Maria, in capite Libri vitæ collocari omninò debebat, siuè Liber vitæ accipiatur pro æternâ prædestinatione & electione,

ctione, siuè pro præsenti iustitiâ. Et ratio huius est. Quia prædestinatio Beatæ Virginis fuit simultanea Christo & excellentissima, vt supra docuimus: Justitia etiam ipsius erat summa, vt nullus negare potest. Quamuis igitùr cum prædestinatione aliorum post Christum & se, conueniat, ex eo vel maximè, quod ità Virginis Beatæ sicut aliorum Sanctorum prædestinatio est æterna, & consequentèr æquè hæc ac illa exposcit præuisionem propriorum meritorum, tamen prioritate ordinis & dignitatis, longè alios superat. Sicut enim stante vniformi diuisione annorum & commensuratione dierum, Diuinâ sapientiâ separatorum & circumscriptorum, dicitur dies diem superare; juxtà illud Eccl: 33. *Quare dies diem superat, & iterum lux lutem, & annus annum à sole &c.* ita stante vniformitate electionis & prædestinationis Beatorum ad gloriam, & stante vniformitate naturæ in omnibus, adhuc sortes illæ prædestinationis & reprobationis, meritorum & demeritorum varietate perplexæ, impares prorsus & inæquales reddunt homines. Quia verò Virgo Beata, omnes electos, meritorum & excellentiæ maioritate longè excelluit, vt potè quæ ad prærogatiuam maternitatis Christi disponebatur, ideò primum locum, sicut in ordine prædestinationis sanctorum hominum, ita ni capite Libri vitæ, iure merito obtinuisse censetur. Apparet ergò puritas & sanctimonia Virginis gloriosæ in puncto ortus sui, nimirùm quam longè antè suum conceptum, emundabatur per merita Christi filij sui futuri, & quam castè corpusculum eius seminabatur, Deo sic disponente, intuitu eorundem meritorum Christi. Hæc de præsenti Resolutione. Nunc sequatur



RE-

RESOLVTIO TERTIA.

Pænalitates consequentes naturã corruptam, licet in B. VIRGINE fuerunt, non tamen ex vi naturæ corruptæ, quasi hæc vt talis, fuisset in VIRGINE; sed ex alio capite.

I.



Vandòquidem inter CHRISTI & VIRGINIS naturam, est omnimoda æqualitas, ità quod sint sibi in perfectione essentiali æquales, loquendo de completis naturis; (nam vt istæ naturæ considerantur cum respectu ad suum fieri, natura CHRISTI habuit fieri nobilius, quia non de semine vt de materiâ, sed de sanguine purissimo arteriali immaculatæ MATRIS VIRGINIS, operatione Spiritus Sancti, producta est; Natura verò B. VIRGINIS, de semine Parentum sumpsit initium & fieri suum) hinc est, quòd vniformitèr nobis de istis duabus naturis & sentiendum & loquendum est, siuè consideremus eas secundum perfectiones & dignitates, siuè ipsas spectemus secundùm infirmitates & pœnalitates. Esto non nihil intercedat discriminis, inter istas naturas, ex respectu ad fieri illarum: quia enim caro VIRGINIS MATRIS, proximè respicit massam peccatricem, caro autem CHRISTI, remotè, & nonnisi per carnem VIRGINIS MATRIS, ideò est quasi maior obnoxietas in carne Beatæ VIRGINIS ad pœnas, quàm in carne CHRISTI; & benè sequitur. Si CHRISTVS sustinuit pœnalitates, in naturâ suâ sumptâ de VIRGINE MATRE, operatione Spiritus Sancti, eò quòd aliquomodò, licet valdè remotè, respiceret massam peccatricem, à fortiori ipsa VIRGO MATER, debuit sustinere similes pœnalitates in naturâ suâ, licet VIRGINEA per essentiam, eò quòd quasi propiùs accessit ad massam peccatricem, vt potè initiatiuè formata de semine, vt de materiâ.

2. Porrò quia in istis duobus indiuiduis, scilicet CHRISTO & VIRGINE Matre eius, natura humana, secundùm esse suum completum considerata, est incorrupta, & talis, qualis à DEO in Paradyso instituta erat, scilicet VIRGINEA per essentiam, immunis ab animalitate & carnalitate, etiam in actu primo; ideò non omnes pœnalitates, quæ consequuntur naturam animalizatam, sustinuerunt isti duo homines, sed solùm illas, quæ erant compossibiles cum perfectione tantâ naturæ, & per quas destrueretur omnis respectus ad massam peccatricem in illis naturis: & vno verbo, nullam isti duo pœnalitatem

tem habuerunt, quæ irruit in naturam humanam ex appulsu animæ seminalis. Hinc de pœnalitatibus CHRISTI & MARIÆ, vt aperiam meam sententiam.

3. Dico. saluâ tamen correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, quam subire me paratum esseProtestor. Quòd pœnæ consonæ dignitati CHRISTI & VIRGINIS Matris eius, inflictæ sunt illis à DEO ob hoc, quod natura humana in eis respiceret, licet non includeret in se, massam peccatricem DEO exosam; non quòd de nouo voluntas diuina infligeret has pœnas istis naturis, sed quòd illis ex massâ corruptâ aliquomodò desumptis, congruebat derelinqui à DEO in pœnis massæ corruptæ vernaculis, in ordine ad hoc, vt per mortem & alias pœnalitates, etiam respectum ad massam corruptam, eluerent.

4. Hoc ita sonare videntur plurimæ authoritates Sacræ Scripturæ, quæ dicunt. CHRISTVM propter scelus populi à DEO punitum, vt Jsaiæ 53. *Propter scelus populi mei, percussi eum.* Et ibidem. *Vidimus eum quasi leprosum, & percussum à DEO, & humiliatum.* Et Psal: 81. *In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.* Et Apostolus ad Rom: 8. *Proprio filio suo non pepercit DEVS.* & multa similia. Ex quibus habetur, CHRISTVM pœnalitatibus subiectum, in odium massæ peccatricis, cuius similitudinem præsferebat. Et quia magis è vicino B. Virgo hanc massam peccatricem contigit secundùm carnem, ideò & ipsa ijsdem pœnalitatibus obnoxia fuit, quibus & Christus; imò magis.

5. Jam verò, cùm hi soli duo homines, post Adæ lapsum, in primo statim conceptionis suæ instanti, fuerint actu intelligentes & volentes; teneo, quòd conspicientes acie mentis suæ, hanc in se obnoxietatem ad pœnas, ex similitudine carnis Adamicæ, eas liberè acceptauerunt, vt potè sibi & toti Ecclesiæ vtiles, præsertìm ad hoc eos inclinante summâ gratiâ, quam in primo illo instanti animationis acceperunt sibi infusam, & per eam constituta voluntas eorum in actu primo perfecto, respectu operationis meritoriæ, non potuit non exire in actum secundum meriti, per conformationem sui ad Diuinam voluntatem, volentem eos pati, & itá exutâ etiam similitudine carnis peccati, venire in gloriam, vtque ex his passionibus & pœnis istorum, thesaurus Ecclesiæ sumeret initium.

6. Accedit congruitas triplex, quam S. Bonauentura in 3. dist: 15. a. 1. q. 1. ex parte CHRISTI assignat, quæ etiam ex parte Virginis procedit, ob paritatem hinc indè, ob quam decuit istos duos homines pati in carne passibili, estò virgineâ & incorruptâ. Prima est, propter pretium nostræ salutis. Quæ congruitas, licèt videatur propriè spectare ad Christum, quatenùs ille ex nimiâ charitate, proposuerat nos redimere, non corruptibilibus auro & argento, sed preciosissimo sanguine suo, & positione animæ per mortem pro animabus nostris; ad quod non fuisset idoneus, si naturam deficientem & passibilem non assumpsisset. Et hoc totum verum est de personâ Christi solâ, & non habet locum in Virgine. Tamen loquendo de animâ Christi, in primo instanti suæ conceptionis, has pœnalitates præsciente, & acceptante, in ordine ad nostram redem-

redemptionem, videtur esse paritas in hoc & de animâ Virginis, quæ etiam in primo instanti suæ conceptionis, summâ charitate flagrauit, & videns se in corpore simili carni peccati, absque peccato tamen, omnes pœnalitates sibi possibiles acceptauit, conformando se voluntati Diuinæ, cum hâc resolutione & resignatione, vt DEVS merita indè consurgentia, applicaret ad finem sibi cognitum. Et ità indirectè per talem resignationem sui, concurrebat B. Virgo in illo instanti primo, etiam vt adiutorium simile, ad nostram redemptionem.

7. Sed si hoc tibi non placet, quod tamen non videtur aliquam continere repugnantiam, ex parte illius tàm perfectæ & minimè tunc impeditæ animæ, saltèm aliæ duæ congruentiæ, optimè procedunt ità de animâ B. Virginis, sicut & de animâ Christi; scilicet: quòd in primo instanti, istæ animæ acceptauerunt pœnalitates, ob exemplum virtutum, & humilitatis, patientiæ, pietatis, &c. Et propter fulcimentum nostræ fragilitatis; ad quæ duo, tolerantia pœnarum in corpore simili carni peccatrici, exigebatur.

8. Patet igitùr, quòd pænalitates consequentes naturam corruptam, non fuerunt in B. Virgine ex vi naturæ corruptæ, & obnoxiæ peccato originali, sed solùm ex similitudine carnis peccati, ob quam solam DEVS has duas naturas, Christi scilicet & B. Virginis, dereliquit in pœnis naturæ corruptæ vernaculis, estò non omnibus, vt iam dixi, quia non in his quæ surrexerunt ex animâ seminali, introductâ in naturam, quæ in Christo & B. Virgine nequaquam fuit: & etiam ex summâ charitate, quâ istæ animæ, pœnas istas acceptauerunt.

9. Dices. Istæ pœnalitates, ratione respectus massæ corruptæ, arguunt in patientibus fuisse peccatum. Respondeo, negando assumptum: quia ibi non fuit res massæ corruptæ, sed tantum similitudo & respectus, ideòque Christus vt hanc similitudinē, quam portauit, Adami terrestris & hominis veteris, exueret, tantùm debuit sustinere: & quia etiam Virgo Mater erat adiutorium simile sibi, similitèr portans imaginem Euæ veteris, ideò & ipsa tantum debuit sustinere, vt veteris Euæ etiam similitudine exutâ, fieret noua Eua.

10. Si dicas. Sancti Patres & cum illis Magister, docent Christum sustinuisse istas pœnalitates, ex solâ voluntate miserationis, transferendo in se nostras infirmitates cum carne passibili voluntariè, Ergò non ob respectum similitudinis carnis peccati. Respondeo negando consequentiam; quia vtrumque est voluntarium in Christo, nam & voluntariè pœnalitates suscepit cum carne passibili, & tamen ob respectum similitudinis carnis peccati, quia istud est voluntarium ex se, & illud ex isto: ille enim qui voluntariè assumpsit similitudinem carnis peccati, consequens est, quod & pœnalitates hanc consequentes similitudinem, assumeret: sed quia non erat ibi res ipsa carnis peccati, sed tantùm similitudo, ideò etiam non omnes carnis peccati infirmitates suscepit Christus, sed solum illas, (vt iam dixi,) quæ cum dignitate naturæ, in se incorruptæ & purissimæ, erant compossibiles, & cum hoc, ipsi ad tollendam etiam

simi-

similitudinem carnis peccati, & nobis ad redemptionem à carne peccati, vtiles. Non sic tamen istæ pœnæ fuerunt voluntariè in B. Virgine, sed solùm ex acceptatione consequente, vt iam dixi.

11. Sed adhuc instabis. Si istæ pœnalitates ex similitudine carnis peccati inerant Christo, Ergò necessariò, non voluntariè; quia quasi ex causâ. Respondeo negando illarum: quia in Christo, ipsa assumptio similitudinis carnis peccati, fuit libera, ideò & pœnæ eam consequentes, etiam liberæ fuerunt; quia vbi acceptatur liberè causa, ibi & effectus procedens necessariò à causâ, liberè acceptatur. In B. tamen Virgine non est tanta voluntarietas; quia in eâ non præcessit electio, & assumptio spontanea, sed solùm post formationem sui corporis, in similitudinem carnis peccati, libera acceptatio, & in Diuinam voluntatem resignatio, vt iam dictum est, concomitata est.

12. Sed iam de istis pœnis in speciali aliquid determinandum est. Et quidem de morte Christi & B. Virginis, quòd fuerit specie distincta à morte nostrâ, quia fuit per voluntariam animæ positionem, non verò per seminalis & caducæ animæ extinctionem, vt contingit mors nostra, & Brutorum. Restat tamen pro nunc declarandum, quomodò mors corporalis Virginis gloriosæ, non aduersetur immaculatæ conceptioni eius, ita quod licet de facto mortem subierit, quæ mors videtur esse pœna peccati originalis, tamen ex hoc non potest argui fuisse obnoxia tali peccato vel debito eius. Pro resolutione ergò huius difficultatis

13. Supponendum est primò. Infallibilitèr teneri debere, quod mors corporalis in nobis, est peccati supplicium. Hoc enim habetur ex illo Gen: 2. *In quâcunque die comederis, morte morieris.* Tum ex illo ad Rom. 5. *Per vnum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et paulò inferiùs. *Vnius delicto, mors regnauit, & regnauit peccatum in mortem.* Et ad Rom: 6. *Stipendia peccati, mors.* Et ibid: Cap: 8. & 10. *Corpus propter peccatum mortuum est.* Et alibi sæpè. Quæ omnia ad literam esse intelligenda, docet D. August: Lib: 1. de peccat: & remiss: Cap: 2. dicens. *Puto quod non expositore sed tantum lectore opus habet, tam clara & aperta sententia. Corpus, inquit Apostolus, mortuum est, non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ puluere factum est, sed propter peccatum. Quid amplius quærimus?* Et idem Cap: 6. ibidem ait. *Mirum, si aliquid quæritur hac manifestatione liquidius. Cùm dixit Apostolus, Corpus mortuum propter peccatum, quid aliud quam merito peccati, intelligere debèmus aut possumus, si apertissimum Scripturæ sensum, non pro arbitriò peruertere ac detorquere conamur?*

14. Sed & ipsum vocabulum mortis, perpendens idem D. August: Ser: 101. de Temp: dicit. *Mors à Morsu, nomen accepit, quia generi humano, morsu antiqui serpentis acciderat.* Quandò autem mors transfusa est ab Adam in omnes posteros eius, innuit idem Doctor 13. de Ciuit: DEI Cap: 14. dicens. *In quo vno fuimus omnes, quandò omnes fuimus ille vnus.* id est. Quia in Adam, tanquam in vno omnium nostrum capite naturali & morali, inclusi fuimus, ideò omnes mortem ab illo vno traximus. Id ipsum docent multi SS. Patres, vti

Cyrillus Alex: Lib: 1. in Joan: Theodoretus Dialog: 3. ad principium Tom. 2. Chrysostomus Hom: 17. in Gen: Beda in Cap: 5. ad Rom: Bernardus Ser: ad milit: templ: & planè omnes Doctores Scholastici. Hoc etiam confirmat Concil: Mileuitanum, condemnans oppositam sententiam Pelagianorum, Canone 1. cuius tenor est. *Quicunq; dicit, Adam primum hominem, mortalem factum, ita vt siuè peccaret, siuè non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ. Anathema sit.* Vndè hoc ita certum est in Ecclesiâ nostrâ, vt D. Athanasius Lib: 3. contra Arian: Mortem, peccati assèclam, vocauerit; quasi mors, transgressionis sit sequella, nec præuaricationem primi parentis antecesserit, sed sequatur. Tamen in re tam certâ, illud est incertum, quomodò peccatum sit causa mortis, & an homines potuerint fuisse mortales aliundè quam à peccato. Pro quo

15. Supponendum est secundò. Quod licet peccatum primi parentis, absq; dubio induxerit mortem in Adam & totam posteritatem eius, tamen non fuit per se causatiuum mortis, sed solum erat remotiuum illius quo defenderemur à morte. Quia enim tota structura hominis, ex limo terræ & spiraculo vitæ compacta erat, quæ sunt partes naturalitèr contrariæ; imò & ipsum corpus, ex contrarijs coaluerat, nimirùm ex calore naturali & humido radicali, mutuò se depascentibus: & ex principijs Elementaribus, sibi inuicem aduersantibus, vt communis fert sententia, ideò ex congenitâ talium partium pugnâ, & ex modicâ conuentione Spiritus cum terrenâ substantiâ, debuerat homo tendere ad terram, tanquam fragilis suæ structuræ originem. Verùm hanc litem, prudentissimè voluit dirimere optimus Opifex, pro illo statu innocentiæ. Tribuerat enim homini, virtutes & superexcellentes qualitates, per quas partes inferiores, in debitâ subiectione continerentur ad partes superiores, & præparauerat contra naturales corporis defectiones, ex actione & repassione contrariarum qualitatum sequendas, Lignum vitæ, per quod homo à mortis necessitate prohiberetur, atq; in iuuentutis flore teneretur. Vt dicit D. August: 13. de Ciuit: DEI Cap: 23. & Beda in Cap: 2. Gen: Vbi ait. *Lignum hoc, homo diuinitùs acceperat, vt qui ex eo manducaret, corpus eius stabili sanitate firmaretur, ne vel ætate in deterius, vel infirmitate in occasum, dilaberetur.*

16. Contra pericula etiam ab extrinseco oriunda, optimè illos homines primos muniuerat DEVS, nam dederat illis plenum dominium supra quæuis Animalia, ita vt illa quæ modò nobis aduersantur, tunc fuissent mitissima & obsequentia nutibus nostris. Nec hostilitas inter ipsos homines reperta fuisset, quia status innocens, nullum compatiebatur nocentem. Similitèr contra Dæmonum insidias, habuerunt, vel Angelorum custodiam, vt dicit D. Thomas, vel peculiarem DEI protectionem & præcautionem, vt vult Doctor Subtilis. Juxtà illud D. Bernardi Ser: 2. de Annunc: B. V. *Summam eis addidit pacem, manus benignissima Creatoris, pacem vtiq; duplicem; vt nec intus pugnæ, nec foris timores, id est, nec caro concupisceret aduersus spiritum, nec esset eis creatura vlla formidini.*

17. Cùm ergò primus homo, pro statu Innocentiæ, tam ab intrinseco,

quam ab extrinſeco, præſeruaretur à morte; ex ſe verò erat defectibilis, vt deductum eſt hic, ſequitur, quod erat mortalis à conditione naturæ, ſed immortalis à gratiâ conditoris, quam dùm amiſit per peccatum, ſtatim amouit ſe à defenſionibus gratuitis, & præbuit acceſſum facilem morti ad ſe, factusq; eſt mortalis ex ſe. Iuxta illud D. Aug: Lib: 6. in Gen: ad litteram Cap: 25. dicentis. *Quodammodò creatus eſt homo immortalis, quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ. Mortalis erat, de conditione corporis animalis: immortalis, beneficio conditoris. Non enim immortale erat, quod omninò mori non poſſet, quod non erit, niſi cùm fuerit ſpirituale.* Et Hugo victorinus clarius id ipſum exprimit Lib: 1. Erudit: Theolog: Par: 7. Cap: 18. dicens. *Factus eſt homo in animam viuentem, id eſt, vitam corpori dantem, tamen per ſuſtentamenta ciborum; & tunc erat corpus mortale, quia poterat mori, & poterat non mori.*

18. Ex his ergò patet, quod totam immortalitatem, habebat homo in ſtatu innocentiæ, ex arbore vitæ; quæ (ſecundum Cornelium à Lapide, in Gen: Cap: 2.) ideò dicebatur Arbor vitæ, quia vitam ſeruabat, prorogabat, reddebatq; perpetuam, donec corpus animale fieret ſpirituale, & quod ex intrinſecis principijs erat mortale, tranſiret in ſpiritualem immortalemq; ſtatum, niſi mortem corporis animalis, peccando meruiſſet. Vt docet Fulgentius Lib: 1. de Incarn: & Gratiâ Chriſti Cap: 12 Et hoc facilè colligi poteſt ex illo Gen: 3. Vbi DEVS poſt peccatum Adæ, ſpolians protoparentes donis gratuitis, & de Paradyſo eijciens, ſtatuit Cherubim ad cuſtodiendam viam ligni vitæ; *Ne fortè mitteret manum ſuam & ſumeret de ligno vitæ, & comederet, & viueret in æternum.* Hunc enim locum ſenſui noſtro accommodant SS. Patres & Doctores. Quamuis autem Caietanus, in oppoſitum trahat Diuum Thomam, quaſi ille putauerit hominem pro ſtatu innocentiæ fuiſſe immortalem ab intrinſeco, innixus authoritati D. Auguſtini Lib: Quæſt: veteris & noui teſtamenti Cap: 29. dicentis. *Ipſe homo ſibi eſſet author vitæ.* Tamen hoc in vanum aſſumit. Nam primò compertum eſt, authoritatem citatam, non eſſe D. Auguſtini, ſed incogniti authoris. Secundò, mens D. Thomæ clarè nobis conſtat 1. par: Q. 97. Art: 1. Vbi ex profeſſo voluens hanc Quæſtionem. An Adam corpus immortale habuit, an verò mortale? Dicit. *DEVS hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipſe ſibi eſſet author ad vitam aut ad mortem; vt cuſtodiens ſe à peccato, labore ſuo gauderet, & eſſe ſe immortalem: negligens verò factus, ipſe ſibi imputaret, quia cœperat eſſe mortalis.* Ex quibus verbis apertè conſtat, quod Adam debuerat ſibi fuiſſe author vitæ, non quia in ſe habebat principium indefectibilitatis, ſed quia tamdiu erat dignus edere de arbore vitæ, quamdiu manſiſſet ſub lege Creatoris, quâ transgreſsâ, impediuit ſibi acceſſum ad lignum vitæ, & factus eſt mortalis. A primo ergò ad vltimum patet, quodpeccatum primorum parentum, non fuit per ſe cauſatiuum mortis, ſed ſolum remotiuum illius gratiæ, à quâ tunc homo habuit, poſſe non mori. Nunc ad propoſitum redeundo

19. Dico. Mors corporalis Virginis glorioſæ, non aduerſatur immaculatæ conceptioni ipſius, nec inuoluit debitum peccati originalis in ipſam, ſed

accidit

accidit illi, non in pœnam Adamici aut personalis peccati, verùm ex conditione mortalis & destitutæ naturæ. Probatur primò Bullis Pontificijs, præcipuè Pij 5ti & Gregorij 13. qui condemnantes Propositiones in illis Bullis recitatas, ex mente quorundam, hanc etiam in ordine Septuagesimam ponunt, & damnant. Cuius tenor est. *Nemo præter Christum est absq; peccato Originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesq; eius afflictiones in hac vitâ, sicut & aliorum iustorum, fuerunt vltiones peccati actualis vel originalis.* Quam Propositionem vnâ cum alijs ibi positis, erroneam, suspectam, temerariam, scandalosam, & piarum aurium offensiuam, vocant ibi Pontifices maximi. Quamuis autem non desint qui hanc Propositionem emundare vel eximere à condemnatione satagant, tamen nullâ ratione id efficere valent, cùm aperta sit damnatio, includens omnes Propositiones ibi enumeratas, vt videre est in Bullario. Probatur secundò authoritate vniuersalis Ecclesiæ, quæ in Oratione Vigiliæ Assumptionis B. V. Mariæ, hæc ponit verba. *Quam etsi pro conditione carnis, migrasse cognouimus &c.* Quibus verbis satis clarè innuitur, Mortem Virgini contigisse, non in pœnam peccati, sed ex conditione fragilis & destitutæ naturæ, Ergò &c. Probatur tertiò, authoritatibus SS. Patrum. Nam D. August: Tract. de Assumpt: Virg: in Appendice Tomi 9. Cap: 2. ait. *Memores conditionis humanæ, mortem illam subijsse temporalem, dicere non metuimus, quam idem certè eius filius, qui & DEVS & homo est, lege sortis humanæ sustinuit.* Et ibidem Cap: 4 subdit. *Quid ergò, si in tantâ diuersitate, eam dicimus humanæ sortis mortem subijsse, nec tamen eius vinculis retineri, per quam DEVS voluit nasci, & carnis substantiam communicare?* Idem dicit D. Damasc: Orat: 1. de dormit: Mariæ. *O quonam pacto fons vitæ ad vitam interiectâ morte migrauit! O quemadmodum ea, quæ in partu naturæ leges excesserat, nunc ipsius legibus subest, atq; immaculatum corpus morti subijcitur! Oportebat enim illud exutâ mortalitate, incorruptionem induere, præsertim ne cùm ipse quidem naturæ Dominus, mortis periculum facere recusarit.* Id ipsum sentit Andreas Cretensis Ser: 1. de dormit: Mariæ Cap: 2. dicens. *Naturæ seruiens legibus, vitæ finem accepit.* Et idem Ser: 2. Cap: 3. *Quod vsque ad nostram quidem processerit mensuram, quæ fuit habita in tantâ admiratione, & commune exoluerit debitum, est proprium naturæ.* Idem habet noster Bernardinus Senensis Tom: 3. Ser: 11. de Assumpt: Virg: Art: 1. Cap: 1. Vbi dicit. *A generali sententiâ mortis, Christus Dei filius non exemit Matrem, quia ab illâ nullus, nec ipse voluit esse alienus, ac per hoc mortuus est filius, mortua est & Mater.* Id ipsum sustinet B. Amadæus Lib: Reuelat: Raptu 4. dicens. *Nihil mirum, si culpâ inhærente Beatæ Virgini, mors & passio ei inhæserit, quia in eâ conditiones sunt naturæ.* Idem asserit Guericus Abbas Discipulus S. Bernardi, qui Ser: 2. de Assumpt: inducens Angelos discurrentes cum ipsâ Virgine Beatâ de morte eius, hæc in personâ Virginis fatur. *Non sum ita delicata aut superba, vt quod Filius dignatus est pati, ego quantulàcunq; ex parte pati non possim aut nolim; & ille quidem misericordi voluntate, ego autem naturali necessitate.* Idem sentiunt, Epiphanius, Cyprianus, Gerson, Petrus Canisius, Michael Glycas, Constantius Sarnanus, Joannes Baptista de Lezenâ, Fulgentius, & alij multi, qui passim do-

cent,

cent, ita Mariam ſicut Chriſtum obijſſe, quamuis Chriſtus acerbiſſimè & vt caput, Maria iucundè & vt concaput, Ergò ſicut mors Chriſti, non in pœnam peccati actualis aut Originalis facta eſt, ita mors Mariæ, non in pœnam peccati contigit. Probatur deniq; Concluſio quartò rationibus. Non alio fine mors permiſſa eſt in homines, ac partus doloroſus: quia vtrobiq; acerbitas grauis dominatur, maximè dum ambo in pœnam peccati exoluuntur, Ergò qualitèr ſe habuerunt in Primis parentibus & in poſteris eius tales pœnæ, ita debebant ſe habere in Virgine glorioſâ, ſi in pœnam peccati ipſi accidiſſent, Sed neutrum horum intulit aliquam vel leuiſſimam moleſtiam aut acerbitatem Virgini; Nam ex communi Eccleſiæ & SS. Patrum ſententiâ, partus Virginis fuit abſq; omni dolore, Mors etiam fuit leuiſſima, ad inſtar ſoporis cuiusdam; Vt docent Patres Græci, & Laurentius Iuſtinianus Ser: de Aſſumpt: Albertus Magnus Lib: de laud: Virg: Cap: 171. Hugo de S. Victore in miſcellaneis eruditionibus Lib: 2. Tit: 125. Guerricus Abbas, & alij multi. Imò ipſa Virgo reuelauit hoc B Birgittæ Lib: 6. Reuelat: eius Cap: 62. dicens. *Cùm quadam die animus meus ſuſpenſus eſſet, in admiratione diuinæ charitatis, tunc Anima mea, in ipſâ contemplatione, repleta fuit tantâ exultatione, quod vix ſe capere poterat, & in ipſâ conſideratione, Anima mea à corpore fuit ſoluta.* Ergò ſicut partus Virginis glorioſæ, nullam intulit ipſi acerbitatem, ita nec mors eius corporalis, conſequentèr neutrum horum contigit ipſi in pœnam peccati, ſed potius ex conditione deſtitutæ naturæ. Tum quia, pœna dicitur à pendendo, quia per illam, ſupplicium delicto debitum, penditur: Et eſt vindicta noxæ. Vt docent Legiſtæ. Sed B. Virgo nullum contraxit delictum actuale; Vt firmitèr tenet Concil: Trident: ſupra citatum; Igitùr deberet tale ſupplicium pati ab originali peccato, Sed etiam per aduerſos, Virgo ſtatim poſt inſtans conceptionis ſuæ, fuit emundata à peccato originali, per ſanctificationem, Ergò nullum ſupplicium ei reſtabat ſoluendum per mortem, conſequentèr mors ipſi accidit non in pœnam peccati. Tum quia mors, quæ pœnæ causâ infertur, eſt purgatio peccati ipſius pro quo infertur. Vt docet Origenes Hom: 14. in Caput 25. Leuitic: Sed Virgo Beata nullum peccatum antè mortem habuit, Ergò &c. Tum deniq; quia pœna generatur per reſpectum iræ & vindictæ, Vt docet D. Ambr: in Cap: 4. ad Rom: Sed horrent aures dicere, Deum fuiſſe aliquandò iratum Virgini glorioſæ, & appetijſſe vindictam ex eâ, aut ipſam aliquid habuiſſe, per quod iram Dei & vindictam mereretur in vitâ, hoc enim nec ipſi aduerſi dicere poſſunt, Ergò à primo ad vltimum patet, quod mors corporalis Virginis glorioſæ, non aduerſatur immaculatæ conceptioni eius, nec inuoluit debitum peccati originalis in ipſam, ſed accidit illi, non in pœnam Adamici aut perſonalis peccati, verùm ex conditione mortalis & deſtitutæ naturæ in ſtatu pœnali.

20. Dices. D. Auguſt: Lib: de Prædeſtin: & Gratiâ Cap: 3. ait. *Quia in omnes homines mors pertranſiit, in omnes neceſſe eſt pertranſiiſſe peccatum.* Et Proſper Diſcipulus eius Lib: contra Pelagianos docet, ex peccato originali emanaſſe mortem. Verba ſunt eius. *Patet culpa, vbi non latet pœna, & ſocietas peccati*

cati conuincitur de communione supplicij, vt quod est humanæ miseriæ, non de institutione Creatoris, sed de retributione sit Iudicis. Idem sentiunt multi Sancti Patres, iudicantes repugnare Diuinæ iustitiæ, vt tam acerbam inferat pœnam, vbi nihil est culpæ; Ergò secundum Sanctos Patres, hæc infallibilis est sequella; Vbi aliquid est pœnæ, ibi præcessit aliquid culpæ, ideóq; in Virgine debuerat omninò præcessisse peccatum originale, vel saltìm debitum actuale, contrahendi illud, ex quo de facto mortua est. Respondeo. Sanctos Patres loqui de paruulis propagatis ab Adam vt à capite naturali & morali, ad hos enim ordinariè deriuatur pœna peccati à primo Parente commissi, & consequentèr mors est pœna peccati in eis. Nobis autem negantibus Virginem fuisse aliquomodo filiam Adæ, hoc non contrariatur, proindè negatur Consequentia.

21. Instabis. Sancti Patres ordinariè ex hoc fonte argumentantur contra Pelagianos, negantes peccatum originale dari in paruulis, quia (inquiunt) necessaria est connexio pœnæ cum culpâ, Ergò vbi est pœna, ibi omninò culpa præcessisse debuit. Respondeo concedendo totum. Aliud est enim loqui de pœnâ & culpâ paruulorum & propagatorum ab Adam, & aliud de morte Virginis gloriosæ, quam negamus esse propagatam ab Adam concupiscibilitèr, & ex consequenti dicimus, mortem ei contigisse non in pœnam peccati. Sed & in alijs Sanctis facilè videre est, eos appetijsse mortem, non quâ pœnalitatum significatiuam, sed quâ illarum amotiuam. Vndè Sancti Patres sæpè fatentur, Martyres subijsse mortem, vel in testimonium fidei, vel ob exercendam patientiam, vel ad augendum iustitiæ meritum, vel ad examen virtutis, vel ad assequendum præmium, vel deniq; propter firmitatem fidei, ne infideles iudicarent, ex eo Christianos esse fæliciores se, quod per Baptismum fiant immortales, & sic delicatius crederent in Christum, propter amouendam mortis pœnam, culpæ originali debitam. Atq; sic mors in Virgine Beatâ, non fuit pœna peccati, sed conditio deprauatæ naturæ. Per eandem rationem remouentur à Christo & Mariâ, morbi & languores, quia in eis non fuit radix & causa morborum, scilicet Anima seminalis cum suis phantasijs & idæis.

22. Porrò fames, sitis, lassitudo, dolor, fuerunt in istis pro eo, quòd habuerunt corpus simile carni peccati; & quia corpus ex vi creationis suæ, factum est potens mori, & deficere, (propterea enim creata erat in paradyso arbor vitæ, vt eius fructu comesto, à defectu præseruaretur,) ideò ex ratione corporis sibi dimissi, ista eis toleranda erant. Imò colligo ex Joannis 8. vbi Judæi Christo trigesimum tertium annum agenti, obijciunt, quod sit quasi quinquagenarius, dicentes. *Quinquaginta annos nondùm habes, & Abrahamum vidisti.* Quòd Christus quoad corpus, ità fuerit incommodis varijs conquassatus, & confractus, quòd speciem propè quinquagenarij in anno trigesimo tertio ætatis, intuentibus se exhibuerit. Quod idem & de Beatissimâ eius Matre, tot semper ærumnis pressâ dùm vixit, sentiendum est.

23. At verò ignorantia, cùm præcisè in naturam humanam irruerit, ob appulsum in eam animæ rationalis, & discursiuæ, quæ in nobis Adamicè genitis intellectum obscurauit, remouetur procul à Christo & Matre eius; sicut

& ab Adamo in ſtatu innocentiæ, de conſenſu omnium Theologorum; Juxta illud D. Aug: 3. de lib: arb. *Approbare falſa pro veris, non eſt naturæ inſtitutæ, ſed deſtitutæ.* Jam verò in Chriſto & B. Virgine, fuit talis natura, qualis erat à Deo inſtituta, Ergò non fuit in eis ignorantia, quæ poſſet ducere in errorem.

24. De triſtitiâ etiam concordant Theologi, quòd fuerit verè in Chriſto, & apertè id in varijs locis clamat Euangelium; tamen nunquam contrà aut præter imperium intellectus & mentis, prout ſunt in nobis maniæ, melancholiæ, & triſtitiæ abſorptiuæ; ſed iuxtà dictamen mentis, ita quòd de nullo vnquàm contriſtatus fuerit Chriſtus inuoluntariè, & quaſi inuitus, ſed ipſe ſibi imperabat triſtitiam de obiectis nolitis, & tamen accidentibus ſiuè ipſi ſiuè nobis; quale obiectum ipſi ſemper præſens & nolitum fuit, naturæ noſtræ corruptio, & mortalitas, ærumnæq; multiplices, ob quæ frequentiſſimè triſtabatur, & fleuit; vt ſuper ciuitatem Jeruſalem, ſuper Lazarum mortuum &c. in horto etiam de futurâ & imminente paſſione, & in cruce de iam præſente; quæ omnia in Chriſto fuerunt conditionatè nolita, & tamen præſentia ipſi, quod ſufficit ad prouocandam triſtitiam; vt docet D. S. in 3. diſt: 15. q. vnicâ. Et ſimilitèr dicendum de Matre Virgine.

25. Deniq; de irâ, fueritnè in iſtis, dubium eſt: ſed poteſt dici, quòd ira, quædam eſt in parte ſenſitiuâ, ex quâ conſurgunt ità in nobis ſicut & in brutis, pugnæ, rixæ, contentiones, diſſenſiones, æmulationes &c. Et talis ira nec in Chriſto nec in B. Virgine fuit; quædam autem eſt ira in parte intellectiuâ, quæ potiùs dicitur zelus bonus cum ſcientiâ coniunctus, per quem inſurgimus in peccata, & ea quæ dedecent, vel contrà honeſtatem Dei, vel proximi honorem, militant; & talis fuit in iſtis. Jam igitùr conſtat, quomodò in B. Virgine pœnalitates & ipſa mors, non arguunt naturam fuiſſe corruptam, & conſequentèr nec exindè poteſt inferri, quòd B. Virgo fuerit originali peccato obnoxia.



RE-

RESOLVTIO QVARTA:

Nihil acceſſit B. VIRGINI in puritate & perfectione, tùm naturæ tùm gratiæ, per totam vitam hanc, quod non præfuerit in eâ, in primo inſtanti conceptionis, exceptâ maternitate DEI actuali.

I.



Non defuerunt, imò nec deſunt viri magni nominis & doctrinæ, qui B. VIRGINEM in ſuâ conceptione, nedum in eſſe gratiæ, ſed etiam in eſſe naturæ, imperfectam fuiſſe putauerunt; adeptam autem eſſe perfectiſſimum complementum, in conceptione CHRISTI filij ſui. De talium numero ſunt, qui cenſent, in conceptione ipſius VIRGINIS, non fuiſſe totalitèr ſublatum fomitem ſecundùm eſſentiam in eâ, ſed ſolùm remanſiſſe ligatum: poſtmodùm verò in ipsâ conceptione filij DEI, ex prole tantâ, redundaſſe in eam omnimodam perfectionem; ità quòd & fomes totalitèr ſit ſubtractus. Qui etiam tenent, per abundantiam gratiæ, quam in ſanctificatione B. VIRGO recepit, & etiam perfectiùs per Diuinam prouidentiam, ſenſualitatem eius ab omni inordinato motu fuiſſe prohibitam. Iam verò qui ſic de B. VIRGINE ſentit, cogitur fateri, ipſam in ſuâ conceptione non fuiſſe ſummè puram, nec complementum perfectionis tam in eſſe naturæ quàm in eſſe gratiæ habuiſſe, donec in conceptione filij DEI perficeretur quoad vtrumque. Videatur D. Thomas 3. p. q. 27. a. 3. ſic de B. VIRGINE ſentiens.

2. Sed quantùm ad eſſe naturæ attinet; iſti ſatis videntur confutati per hoc, quod docuimus tùm Decade 1mâ quaſi per totam Decadem, & maximè Reſolutione 3. 4. 5. 6. tùm Decade 2dâ Reſol: 4. & 5. de naturâ à DEO inſtitutâ, qualis fuerit, & quàm perfecta ac virginea, ſinè admixtâ animalitate, & ſenſualitate, ex ſemine & animâ ſeminali procedente, quam vt talem B. Virgini in primo inſtanti conceptionis collatam, ne ab Adamo & Euâ perfectione naturæ vinceretur, docuimus Reſol: 3tiâ Decadis 2dæ; ità quòd B. Virgo, talis manu DEI fabricata ſit in eſſe naturæ completæ & perfectæ, in inſtanti primo ſuæ conceptionis, qualis fuit Eua in inſtanti primo ſuæ creationis de coſtâ Adæ. Proindè in conceptione filij DEI, nihil ei potuit accedere in puritate & perfectione naturæ humanæ, ſed ſolùm actus ille primus naturæ VIRGINEæ, exiuit in actum ſecundum communicandi eandem naturam

VIR-

VIRGINEAM CHRISTO, eâ ſanè ratione, quâ Eua VIRGO exiſtens in actum ſecundùm generationis Abelis iuſti, illæsâ virginitate ſuâ, ſi Adam propagationem humanam in ipſo fonte & origine ſuâ non peruertiſſet.

3. Hinc & Theologi docent, cum quibus & Doctor Subtilis in 3. diſt: 4. q. 1. Beatæ VIRGINI nihil ſupernaturale eſſe ſuperadditum diuinitùs ad hoc, vt conciperet de Spiritu Sancto prolem hanc, ſed fuiſſe veram & naturalem Matrem tantæ prolis, quoad rem ipſam maternitatis.

4. Nec ille ſcrupulus D. Thomæ, huic piæ ſententiæ poteſt obeſſe, quaſi inconueniens eſſet dicere, quòd antè CHRISTI carnem, in quâ nullum fuit peccatum, caro VIRGINIS Matris eius, vel cuiuſcunque alterius, fuerit abſque fomite, qui dicitur lex carnis, ſiuè membrorum. Quia (quid ſit de alio quocunque) in VIRGINE MATRE CHRISTI, quid hoc fuit nedum congruum, ſed & neceſſarium, vt ſinè omni fomite, id eſt, ſinè omni imperfectione, quæ acceſſit naturæ humanæ ex peccato, formaretur ipſius caro, vt deindè talis prodiret in actum ſecundum, generando VIRGINEAM humanitatem CHRISTI, qualis ipſa natura VIRGINIS factà eſt in actu primo, in inſtanti ſuæ conceptionis completæ. Quod iam declaraui Reſolutio 9na Decadis 2dæ hic. Ad nihilum ergò valet, dicere, B. VIRGINEM cum ſenſualitate fuiſſe conditam, loquendo de ſenſualitate vt eſt effectus animæ ſeminalis in naturâ corruptâ, & per DEI prouidentiam vel gratiæ abundantiam, poſitum fuiſſe impedimentum, ne hæc ſenſualitas in eâ in actum vel motum inordinatum proſiliret. Cùm meliùs & perfectioni naturæ VIRGINIS conformiùs ſit aſſerere, nullam in eâ talem ſenſualitatem, & conſequentèr nullum fomitem fuiſſe. Sed ne in æquiuoco laboremus, circa hunc fomitem

5. Supponendum eſt. Fomitem, quantum ad quid nominis, dici à fomentando ſeu à fouendo, quia nimirùm fomentat, fouet, & nutrit ignem in materiâ ſiccâ. Quantum autem ad quid rei, Fomes, iuxta D. Anſelmum Lib: 1. de concep: Virgin: Cap: 27. eſt pronitas, propenſio, & procliuitas quædam in appetitu rationali, ſcilicet in voluntate, ad concupiſcendum immoderatè delectabilia ſenſuum inferiorum, & ad condelectandum appetitui ſenſitiuo, cui coniungitur. Iſte autem Fomes, nihil poſitiuum ponit in voluntate, ſed eſt ſola nuditas illius, ex carentiâ Juſtitiæ originalis, inducta. Si enim homo Juſtitiam originalem haberet, tunc nunquam effrænatè delectaretur Obiectis minus delectabilibus, nec condelectaretur appetitui ſenſitiuo, ſed ſemper dirigeretur in DEVM, tanquam in obiectum ſummè delectabile, & Ens perfectiſſimè quietatiuum; quia Juſtitia Originalis eſſet ipſi pro fræno, reſpectu minus delectabilium, & pro ſtimulo, reſpectu ſummè delectabilis.

6. In homine igitur lapſo, Fomes carnis, eſt languor naturæ & nutrimentum malorum. Vocaturq; Lex carnis, ſeu Lex membrorum, quia per eum caro noſtra incitatur ad malum. Vocatur etiam Tyrannus, quia per illum pars ſenſitiua dominatur deſpoticè potentiæ Intellectiuæ. Et deniq; vocatur Pondus in carne, quia mouet ſenſus ad delectandum Obiectis minus delectabilibus, & ſtimulat voluntatem ad condelectandum illis, retrahendo il-

tam ab Obiecto summè delectabili. Et tandem Fomes peccati, vocatur Concupiscentia, quia plerumq; hæc duo pro synonimis reputantur. Quamuis autem Caluinus putet, Fomitem seu Concupiscentiam esse peccatum mortale, & remanere in renatis per Baptismum, ita quod Gratia baptismalis nihil illis adferat, nisi non imputationem peccati. tamen hoc falsum est: quia rebellio carnis ad spiritum, quam inuiti patimur, est nobis connaturalis, ita sicut Brutis, nec subest voluntati nostræ; fuisset enim etiam in statu Innocentiæ, nisi per Justitiam Originalem fuisset impedita.

7. Dum autem adducit Caluinus pro se, locum illum D. Pauli ad Rom: 7. *Concupiscentiam nescirem, nisi mihi Lex diceret, non concupisces.* Et ibidem. *Si autem quod nolo malum, hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.* Tunc ista loca, non debent intelligi de rebellione connaturali, sed potius de rebellione liberâ & voluntariâ, quæ tunc fit, dum opera carnis spontaneè exercemus, hæc enim est prohibita & peccaminosa, illa verò non. Juxtà illud D. Jacobi in suâ Canonicâ Cap: 1. dicentis· *Vnusquisq; tentatur à Concupiscentiâ suâ abstractus & illectus; deindè Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum &c.* Vndè patet, quod Concupiscentiâ vt concupiscentia, non est peccatum, sed solum vt concipit deformitatem actus illiciti, parit peccatum, ita quod ipsa sit quasi Mater, partus verò eius, ex consensu pleno & deliberato ortus, est peccatum. Atq; sic non solum homo peccator, sed etiam homo in puris naturalibus constitutus, haberet fomitem. Nunc igitùr ad Virginem gloriosam descendendo

8. Dico. In Virgine Beatâ, non fuit fomes peccati, ita quod nec ligatus, nec extinctus, sed absolutè nullus. Probatur. Maiori abundabat gratiâ Virgo Beata, quam Adam Justitiâ Originali: in illâ enim erat plenitudo gratiæ, in Adam non, Sed justitia originalis in Adam, tollebat omnem fomitem ab eo, vt communis fert sententia, Ergò &c. Tum etiam quia gtatia finalitèr consummata in patriâ, auferet totalitèr fomitem à Beatis, vt nemo sanæ mentis negare potest, Sed multi Beati habebunt minorem gratiam in Patriâ, quam Beata Virgo habuit in viâ: illa enim habuit plenitudinem gratiæ ab instanti conceptionis suæ, Beati verò tot gradus habebunt in patriâ, quot meruerunt in viâ, Ergò si minor gratia præstat hoc Beatis, vt nullum habeant fomitem, à fortiori præstitit hoc Virgini gloriosæ, plenitudo gratiæ. Videantur pro hoc authoritates SS. Patrum, adductæ hic Decadis Secundæ Resolutione quintâ. Hæc quantum ad esse naturæ Virginis.

9. Quantum autem ad esse gratiæ pertinet; etiam in hoc puncto, Doctores videntur esse Beatæ VIRGINI contrarij, dum docent; ipsam per gradus ascendisse ad summam puritatem; ita quod eam non simul sed successiuè acquisierit, donec in ipsâ filij DEI conceptione, summam gratiæ plenitudinem obtinuerit. Sed hos meminisse oportebat, VIRGINEM iam fuisse gratiâ plenam, quandò Angelus annuntians ei conceptionem filij DEI futuram, eam salutauit, dicens; Aue gratiâ plena.

10. Itaque teneo resolutionem meam; quòd videlicet B. VIRGINI

nihil gratiæ gratum facientis accessit, in totâ vitâ eius, & etiam in ipsâ actuali conceptione filij DEI, quod non præhabuerit quoad rem gratiæ, in primo instanti suæ conceptionis. Moueor vt hoc sentiam, doctrinâ Magistri sententiarum in 3. dist: 18. de plenitudine gratiæ CHRISTI sic concludentis. *Christus etiam ab ipsâ conceptione, ex quo homo factus est, per charitatem & iustitiam & alias virtutes, in quarum plenitudinem fuit secundùm hominem conditus, sibi tantùm meruit, quantùm post martyrij tolerantiam: tanta enim plenitudo spiritualium charismatum in eo fuit, quod in eo proficere non potuit, & ideò melior ipsius anima fieri non potuit, quàm ab initio suæ conceptionis extitit, quia proficere in meritis non valuit.* Hæc Magister. Et quia posset quis fortè instare, per illud Luc: 2. *IESVS proficiebat ætate & sapientiâ, coram DEO & hominibus.* Ideò huic tacitæ instantiæ respondet Magister, allegans pro se D. Gregorium, dicentem; *Non profecit CHRISTVS secundùm animæ meritum, quantùm ad virtutem meriti, profecit tamen, quantùm ad numerum meritorum; plura enim merita habuit in passione, quàm in conceptione, sed maioris virtutis non extiterunt in merendo plura, quàm ante fuerunt pauciora.*

11. Hanc porrò doctrinam Magistri, acceptauerunt omnes Theologi, & declarans eam Doctor Seraphicus Sanctus Bonauentura in 3. dist: 18. a. 1. q. 2. distinguit triplex mereri, sic inquiens: & loquitur de merito de condigno, tale enim solùm habet locum in CHRISTO. Verba eius sunt. *Mereri* (inquit) *de condigno, contigit tribus modis. Vno modo, ex indebito facere debitum; vt cùm quis meretur sibi gratiam infundi, quæ ipsi non erat debita. Alio modo, de debito facere magis debitum; vt cùm quis meretur augmentum gratiæ, & profectum de virtute in virtutem. Tertio modo, de debito vno modo, facere debitum alio modo; vt cùm quis habens summam gratiam sibi debitam, ratione alicuius dignitatis & excellentiæ, ad quam assumitur, adhuc operatur cum eâ actus heroicos, & supererogatorios. Et hoc solùm tertio modo* (inquit ille) *meruit CHRISTVS sibi post conceptionem: Ipse enim non potuit facere sibi de indebito debitum, cùm omni bono esset dignus: nec potuit facere de debito magis debitum, cùm omni gratiâ ab ipsâ conceptione esset plenus; sed quod erat debitum vno modo, fecit debitum pluribus modis; & ita solùm meruit secundùm tertium modum dicendi meritum, non propter imperfectionem à parte meriti, sed propter perfectionem à parte merentis: & hoc est quod dicitur in literâ Magistri: non profecit Christus secundùm meritum, quantùm ad virtutem meriti, profecit tamen quantùm ad numerum meritorum.*

12. Sed etiam tota hæc doctrina procedit de Beatâ VIRGINE, quatenùs ad dignitatem & excellentiam Matris DEI ab æterno destinatâ, & in tempore manu DEI ita formata est, vt esset tanti filij idonea Mater: accepit enim & ipsa, non ex merito suo, sed ex merito CHRISTI, & DEI liberalitate, plenitudinem totius gratiæ, quæ in CHRISTO fuit, adhuc in instanti conceptionis suæ, vt Decade secundâ Resolut: sextâ conclusimus: & statim tunc meruit, ex summo & possibili suæ voluntatis conatu, adeò vt tunc anima eius tam bona statim euaserit, vt deinceps melior esse non posset, esto proficeret quoad numerum meritorum, seu extensiuè,

non

non verò intensiuè: debebaturque illi gratia summa & æqualis cum CHRISTI gratiâ, ex vi maternitatis DEI, ad quam erat præuisa, & ad quam in vtero, digito DEI formabatur, & præparabatur; juxtà phrasim Ecclesiæ dicentis ad DEVM de eâ; *Omnipotens sempiterne DEVS, qui gloriosæ VIRGINIS MATRIS MARIÆ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritus Sancto cooperante præparasti.* Et propterea, non potuit sibi facere de indebitâ gratiâ debitam; quia ex hoc respectu Maternitatis DEI futuræ, omni bono erat digna. Nec potuit facere de debitâ magis debitam; quia etiam ex eodem respectu, debuit habere in instanti conceptionis, gratiæ plenitudinem: solùm igitùr & ipsa, prout & CHRISTVS, debitam sibi gratiam, ex eò quòd esset futura Mater DEI, & iam datam, faciebat debitam pluribus modis alijs, eliciendo actus virtutum variarum, & tolerando infirmitates, in quibus à DEO derelicta erat, cum omni patientiâ. Atque sic, non profecit in totâ vitâ quantùm ad virtutem meriti, sed solùm quantùm ad numerum: nec gratia ipsius augmentum potuit accipere, cùm summo nihil possit addi, sicut nec infinito; Ergò nihil ei accessit in puritate & perfectione, tum in conceptione CHRISTI, tum in reliquâ totâ vitâ, quod non præhabuerit intensiuè in conceptione suâ, istò loquendo extensiuè, plura merita habuerit in progressu vitæ suæ, quàm in ipso conceptionis instanti.

13. Confirmatur hoc authoritate S. Anselmi, lib: de conceptu Virg: sic de VIRGINE loquentis. *Decens erat, vt eâ puritate, quâ sub DEO maior nequit intelligi, VIRGO illa niteret, cui DEVS Pater vnicum filium suum, quem de corde suo, æqualem sibi genitum, tanquàm seipsum diligebat, ità dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idemque communis DEI Patris & VIRGINIS filius, & quam filius specialiter sibi in Matrem eligebat, & de quâ Spiritus Sanctus volebat & operaturus erat, vt conciperetur & nasceretur ille, de quo ipse procedebat.* Vbi talibus verbis S. Anselmus fatetur, B. VIRGINI datam esse summam puritatem sub DEO, intuitu maternitatis DEI præuisæ & futuræ, non verò in actuali filij DEI conceptione; atque ita sentit ille, in ipsâ conceptione, de quâ in illo libro ex professo loquitur, Virginem ita à tribus personis sanctissimæ Trinitatis esse dotatam, vt postea absq; vllo superaddito, fieret Mater DEI, descensu solùm sancti Spiritus in eam interueniente, non ad ampliùs eam gratificandum, sed ad opus conceptionis filij DEI, illæsâ Virginitate, perficiendum in eâ, ad quã, nouæ gratiæ gratũ facientis infusio, in animã Virginis iam gratiâ plenam, non requirebatur, vt de se patet.

14. Hùc facit & Alberti magni, tractatu super Missus est, resolutio. Vbi propositâ illâ quæstione: an B. Virgo puritatem in summo successiuè vel simul acceperit? respondet sic. *Dicimus, quòd hæc puritas, scilicet in summo, est ab originali, non dico distantia, sed segregatio, & ad primam lucem, quantùm possibile est, puræ creaturæ Deiformis, approximatio; vnde secundùm rem, nihil aliud est hæc puritas, nisi peccati originalis deletio, fomitis extinctio, gratuitarum perfectionum vltimatio.* Hæc ille. Vbi palàm est, eum de instanti conceptionis loqui, in quo solo à peccato originali fuit segregatio, atq; ità & ad primam lucem summa proximatio, & gratuitarum perfectionum vltimatio, ne vltrà possent crescere intensiuè, licèt benè extensiuè, vt iam dictum est.

RESO-



RESOLVTIO QVINTA.

Ità DEVS in primo instanti conceptionis, firmauit se in VIRGINE, vt nunquàm VIRGO ab eo auerti, & ità nec peccare posset.

I.



Oc manifestè docuit Psalmus 45. dicens. *Sanctificauit tabernaculum suum Altißimus, DEVS in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam DEVS manè diluculo.* Omnes enim fermè Doctores, & sancti Patres, hæc verba de B. VIRGINE, in suâ conceptione ab altissimo sanctificatâ, & in tabernaculum, in cuius medio DEVS residens, non commoueatur etiam per veniale peccatum, efformatâ, intelligunt. Vndè S. Thomas 3. p. q. 27. a. 4. pientissimè docet; quòd B. VIRGO, per sanctificationem suam, id est, per immaculatam conceptionem, consecuta est, vt nunquàm etiàm venialitèr peccaret. Quomodò autem hoc priuilegium in suâ conceptione B. VIRGO obtinuerit, docet Spiritus Sanctus per os Dauidis, dicens. *DEVS in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam DEVS &c.* Quod vt intelligatur.

2. Supponendum est primò, ex Doctore Subtili in 4. dist: 49. q. 6. §. Dico ergò quòd causa &c. Quòd impeccabilitas quæ est in Beatis, quatenus v. g. Michaël manens beatus, non habeat potentiam & possibilitatem ad peccandum; potest intelligi duplicitèr. Vel per aliquid sibi intrinsecum, quod excludit potentiam talem. Vel per causam extrinsecam, quæ excludit potentiam propinquam ad peccandum à Michaële v. g. Loquendo primo modo, nulla est causa intrinseca in voluntate Beati, per quam excludatur ab eo potentia ad peccandum: sed loquendo secundo modo, iam per causam extrinsecam fit potentia Beati impossibilis ad peccandum, videlicèt per voluntatem DEI præuenientem voluntatem Beati, vt sempèr continuet actum fruendi, nec potestatem peccandi reducere posset ad actum; siquidem nunquàm causa secunda, præuenta à causâ superiore, agente ad vnum oppositum, potest potentiâ propinquâ exire in aliud oppositum.

3. Non procedit ergò Resolutio præsens, de impeccabilitate Virginis gloriosæ ab intrinseco, quia contrarium huius docent omnes planè Theologi, præcipuè D. Subt: vbi supra & in 2do Dist: 23. Quæst: vnicâ. Vbi ex professo concludit. DEVM non posse facere, voluntatem creaturæ rationalis impeccabilem per naturam, alias illa Creatura esset DEVS, cùm hoc solius DEI sit

sit priuilegium; sed procedit de impeccabilitate ipsius ab extrinseco, nimirùm ex Gratiâ præueniente, excitante, & cooperante ad omne bonum, ac præseruante ab omni malo, vel etiam ex alijs præsidijs contra peccatum.

4. Supponendum est secundò. Impeccabilitatem illam dici, per quam homo peccare non potest. Ista autem impotentia peccandi, promanat ex quadruplici fonte. Primò. Ex ratione naturæ inobliquabilis de se. Et hoc modo, solus DEVS est impeccabilis, qui cùm omnia possit, peccare non potest, quia est intrinsecè bonus, nec datur in eo aliqua potentia deficiendi. Secundò. Ex ratione vnionis hypostaticæ Verbi Diuini, cum naturâ obliquabili. Et hoc modo, CHRISTVS non potuit peccare, quia in ipso erat vnio naturæ Diuinæ cum humanâ, proindeque hæc facta est impeccabilis propter illam. Tertiò. Ex ratione medij ita coniuncti cum naturâ obliquabili, vt ex naturâ sui non possit separari ab illâ, absque inuersione status illius in quo est. Et hoc modo Beati in patriâ, non possunt peccare, propter lumen gloriæ, quo adiuti, continuò & clarè vident summum bonum: & propter habitum charitatis, quo continuò amant illud summum bonum. Quartò denique prouenit impotentia peccandi, ex ratione medij conjuncti cum naturâ obliquabili, ita quod etsi de naturâ sui sit separabile ab illâ naturâ cui coniungitur, tamen cùm non habeat contrarium repugnans, vel resistens, aut impediens, redditur à tali naturâ inseparabile saltim ab extrinseco. Et hoc modo Virgo gloriosa erat impeccabilis, ob plenitudinem gratiæ, collatam sibi in instanti conceptionis.

5. Rursùs impotentia peccandi hoc vltimo modo, ex multiplici ratione prouenire potest in vitâ mortali. Vel enim prouenit ex gratiâ sanctificante. Vel ex illuminatione Intellectus, ad cognoscendum quid agere, quiduè cauere debeat homo. Vel ex carentiâ aut ligamine fomitis. Prout fuit in Virgine sanctissimâ. Vel ex Diuinâ manutenentiâ, quâ DEVS potest non concurrere cum homine ad substratum peccati, sed cooperatur ipsi suauitèr ad operandum bona, saluâ tamen libertate arbitrij eius. Sicut fuit in Ieremiâ & Joanne Baptistâ. Vel denique ex collatione præsidiorum contra lapsum, & auxiliorum ad vincendas tentationes in habentibus fomitem. Vti fuit in Apostolis post confirmationem per Spiritum sanctum. Vel ex alio quouis beneficio extraneo. Ex quibus, aliqua videntur præuenire libertatem arbitrij, vt vnio hypostatica, visio beata, ablatio concursus generalis, & alia huiusmodi; aliqua verò non.

6. Nos igitùr, volentes conseruare libertatem arbitrij in Virgine gloriosâ, & tamen illam impeccabilem fuisse, demonstrare, illa omnia quæ ipsi vim inferre viderentur, procul ab eâ repellimus, ita vt non propter aliquid horum, scilicet non propter vnionem hypostaticam, nec propter aliquid intrinsecum sibi, ponamus impeccabilitatem in eâ, sed solùm ab extrinseco, nimirùm propter plenitudinem gratiæ, carentiam fomitis, præsidia diuina, & propinquitatem ad naturam per se inuertibilem, scilicet ad naturam Diuinam; adeò vt Virgo non fuerit impeccabilis per impossibilitatem peccandi anteceden-

tem, videlicet per aliquam coactionem liberi arbitrij, ita illud determinando ad vnum, vt voluntas nequeat operari oppositum, sed per impossibilitatem peccandi consequentem, nimirùm per illa quæ libertatem voluntatis non lædunt, sed integram intactamque relinqvunt. Ex his ergò ad propositum.

7. Dico. Virgo Beata, quamuis non fuerit impeccabilis ab intrinseco, fuit tamen impeccabilis ab extrinseco; idq; à primo instanti conceptionis suæ. Et quod non fuerit impeccabilis ab intrinseco, facilè probatur. Quia non erat vnita DEO per vnionem hypostaticam. Tum quia erat viatrix. Impeccabilitas autē simplicitèr, non conuenit etiā Beatis in patriâ, vbi vident DEVM facie ad faciem, & sunt Comprehensores. Tum denique quia erat in plenâ libertate arbitrij, consequenter in statu merendi vel demerendi, Ergò non fuit impeccabilis ab intrinseco. Quod autem fuerit impeccabilis ab extrinseco, probatur primò authoritatibus SS, Patrum. Nam D. Augustinus relatus à S. Bonauenturâ in speculo Cap. 14. ait. *Quis dubitare potest, omninò in charitatis affectionem transiisse viscera MARIÆ, in quibus ipsa quæ DEVS est charitas, nouem mensibus corporalitèr requieuit?* S. etiam Ildephonsus Orat. 1. de Assumpt. Virg dicit. *MARIAM, velut ignis ferrum, Spiritus Sanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit, ita vt in eâ Spiritus Sancti flamma tantum videatur, nec sentiatur nisi tantum ignis amoris DEI.* Id ipsum sentiunt alij permulti. Tunc ego. Sed vbi est tantus feruor charitatis in DEVM, ibi sunt maxima præsidia contra peccatum, Ergò Beata Virgo fuit maximè custodita à peccato, & sic impeccabilis extrinsecè.

8. Probatur id ipsum secundò rationibus. Virgo Beata erat plenè immunis ab omni peccato actuali, tam mortali quam veniali, vt vult Concil: Trident: Sed vbi nullum vnquam infuit peccatum, ibi signum est fuisse maxima præsidia contrà peccatum, Ergò ibi fuit impeccabilitas saltìm ab extrinseco. Tum quia talis impeccabilitas non minùs decuit Virginem, quam carentia peccati originalis: Sicut enim peccatum originale amouemus ab illâ, ex ratione prærogatiuæ Maternitatis CHRISTI, ita potentiam peccandi extrinsecam, debemus amouere ab illâ, ex eadem ratione prærogatiuæ Maternitatis CHRISTI. Nam quod conuenit CHRISTO filio eius, ex naturâ vnionis hypostaticæ, hoc conuenire dicimus MARIæ, ex priuilegio, Ergò, &c. Tum denique quia in Virgine gloriosâ, fuit carentia fomitis, & vsus rationis perfectissimus, & continua contemplatio DEI, & gubernatio Spiritus sancti, quâ dirigebatur in cunctis agendis vel cauendis, vt jam deduximus suprà, Ergò in Virgine gloriosa, fuit impeccabilitas ab extrinseco.

9. Huc spectat, quod Deipara Virgo, statim in primo instanti completæ conceptionis suæ, fuit adjuta à DEO, manè diluculo, id est in ipso suo conceptu, per infusionem plenitudinis gratiæ, elicuit intensissimum actum charitatis DEI, illi se acceptam referendo: & DEVS ab hoc tempore, sempèr ità præueniebat illam voluntatem, suo concursu speciali, sicut præuenit in Beatis, vt sempèr continuaret actum amandi DEVM intensissimè, & nunquam se à DEO auerteret, & ità neque venialitèr peccare posset. Ergò &c.

10.

10. Accedit. Quod ex sententia Alberti magni super Missus est; B. Virgo in totâ vita hac, habuit medium statum inter statum simplicis viatoris, & statum simplicis comprehensoris, ità quòd cum beatis peccare non potuit, & tamen cum viatoribus potuit mereri; Ergò non fuit inconueniens, DEVM ità procedere cum eius voluntate, quoad excludendam potentiam ad peccandum etiam venialitèr, sicut procedit cum voluntate Beatorum in patriâ, & sicut processit cum voluntate creatâ CHRISTI.

11. Addo ex S. Bonauenturâ in 3. dist. 12. a. 2. q. 1. Quod sicut Christus habuit aliquid suprà hominem, & ideò decuit, quod sibi fieret aliquod speciale priuilegium, vt scilicet esset in eo liberalitas obsequij, sinè vertibilitate arbitrij, ad contrarium obsequio DEI; ita cùm & B. Virgo habuerit aliquid, nedum suprà hominem, sed & suprà Angelos, scilicèt ordinabilitatem sui passiuam in DEI Matrem, oportebat vt etiam sibi tale fieret priuilegium, vt liberalitèr & inauertibilitèr DEO sempèr deseruiret.

12. Prætereà. Non posse peccare, est proprium naturæ per se inuertibili, qualis natura est sola Diuina, Ergò quantò aliquid magis accedit ad naturam inuertibilem, tantò dicitur minùs potens peccare. Tunc vltrà. Sed Christus maximè inter creaturas intellectuales accessit ad naturam inuertibilem; tùm quia summè illi est coniunctus coniunctione beatifica, ex DEI liberalitate, in instanti conceptionis; tùm quia natura humana in eo vnita est personalitèr naturæ inuertibili: post Christum autem B. Virgo, itidem naturæ inuertibili proximè vnita est, quia etiam in instanti conceptionis habuit visionem beatificam, licèt transeuntem, & fruitionem viatoris permanentem, & perfectissimam; tùm quia isti naturæ humanæ, quæ in Christo est coniuncta Verbo, ipsa est concorporea & consanguinea; tùm quia per plenitudinem gratiæ, adhuc in ipso conceptionis instanti, ab omni impuritate est elongata, & quasi cum Beatis æquiparata, Ergò in medio eius sic sibi coniunctæ, Deus non potuit commoueri, etiam per veniale peccatum. Quod est propositum. Contra hæc tamen

13. Obijcies. Gloriosiùs est, posse peccare & non peccare, quam non posse peccare. Iuxtà illud Apostoli. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Ergò potius concedenda est Virgini gloriosæ potentia peccandi, quam impotentia. Respondeo negando Antecedens. Nam peccare, non dicit potentiam sed impotentiam, ac proindè imperfectionem. Secundùm illud D. Augustini Lib. de Symbolo dicentis. *Posse peccare, non est aliquid posse, imò aliquid non posse.* Sicut igitùr gloriosiùs est, habere potentiam ad resistendum hosti corporali, quam esse impotentem, & facilè succumbere, ita gloriosiùs est esse impeccabilem, quàm peccabilem. Proindè negatur Consequentia.

14. Dices. A quo Christus non eximitur, ab illo non est fas Virginem eximi; Sed Christus non eximitur à potentiâ peccandi; Quia omnia assumpsit, quæ ipse in naturâ nostrâ plantauit, & sic debuerat assumpsisse Liberum arbitrium, quo possumus eligere malum æquè ac bonum, & prosequi illud respuendo hoc. Vt docet D. Damascenus. Ergò, &c. Respondeo negando Mino-

do Minorem. Quamuis enim Christus assumpserit omnia contenta in naturâ humanâ, & consequentèr Liberum arbitrium, non tamen deprauatum, quale sibi ipse homo fecit. Et sic licèt Christus habuerit in carne potentiam, quâ ordinariè peccatur in statu hoc pœnali, non tamen habuit potentiam peccandi; quia Liberum arbitrium, non est potentia peccandi formalitèr, alias causa peccati esset DEVS, à quo Liberum arbitrium habetur, quod non est dicendum. Similitèr de Virgine gloriosâ discurrendum est.

15. Instabis. Virgo Beata fuit aliquoties reprehensa à Christo, maximè in templo Ierosolymitano, dum inter Doctores sederet, & in medio illorum inuentus esset; ac etiam in Cana Galilææ, Sed non fuisset reprehensa frustra & absque omni peccato, aliàs fieret ipsi injuria à Filio, Ergò proptèr aliquod peccatum, consequentèr Virgo fuit peccabilis saltem venialitèr. Respondeo negando assumptum. Quia reprehensio illa, non erat vera reprehensio, non enim dirigebatur à Christo in peccatum aliquod Virginis Matris, sed potiùs ordinabatur ad demonstrandam gloriam suam. Vt patet ex verbis Christi Lucæ 2. dicentis. *Nesciebatis quod in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. &c.* Ad manifestandum ergò gloriam suam videbatur Christus reprehendisse Matrem suam, non ob peccatum eius, alias dato opposito huius, iam deberet poni in Virgine de facto aliquod peccatum actuale saltim veniale, quod est contra decretum Concilij Trident: Cùm igitùr nullum vnquam fuerit peccatum actuale in Virgine commissum, sequitur nunquam eam fuisse reprehensione dignam, nec verba asperiora Christi, dici posse veram reprehensionem, sed potiùs mysterij communis sibi cum Patre æterno, manifestationem. Ex quibus quasi pro coronide Resolutionis.

16. Infertur. Virginem gloriosam, longè maioribus præsidiis fuisse munitam à DEO, contra omne peccatum, quam cæteros Sanctos. Nam licet aliqui illorum fuerint in vtero Matrum suarum sanctificati; sicut Joannes Baptista, & Jeremias, aliqui verò postea confirmati; vt Apostoli per receptionem Spiritus Sancti; tamen à peccato originali non fuerunt immunes. Imò etiam venialitèr peccare poterant. Juxtà illud Joan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* In Virgine autem, nullum vnquam infuit vel inesse potuit peccatum, ob plenitudinem gratiæ & alia præsidia, proindè intrepidè eam dicimus fuisse impeccabilem ab extrinseco.

Hæc de istâ Resolutione.



RESO-

RESOLVTIO SEXTA.

Sanctitas B. VIRGINIS in conceptione, incomparabilitèr est maior, & perfectior, Sanctificatione Diui Ioannis Baptistæ, S. Ieremiæ, & S. Ioseph.

1.



Licet primâ facie, videar esse superfluus, dùm hanc Resolutionem propono, de quâ ob vnanimem Authorum, qui de Conceptione Virginis scripserunt, consensum, nulla ampliùs videtur esse controuersia: tamen quia novum volo aliquid afferre, pro disparitate sanctitatis Marianæ in vtero, & sanctitatis D. Ioannis, S. Ieremiæ, ac S Ioseph, putabor veniâ dignus. Non igitùr hic loquor de maiori gradu gratiæ, quo Virgo in suâ conceptione superauit Joannē si & Jeremiam. Nec de anticipatione tēporis, quòd scilicet Virgo, multò citiùs t præuenta à gratiâ, quam illi. Non item de modo sanctificationis, quòd scilicet B. Virgo sanctificata sit præseruatiuè, illi sublevatiuè: ipsa in puncto suæ animationis, illi post animationem, estò vnus altero citiùs, videlicet D. Joannes, Jeremiâ: in his enim omnibus, superauit B. Virgo alios omnes sanctificatos in vtero, vt Theologi, tùm ex dignitate Matris DEI, tùm ex Authoritate SS. Patrum, iam concluserunt. Et esset verè superfluum, his immorari.

2. Est igitùr aliquid aliud, cujus ostendendi gratiâ, hanc Resolutionem proposui. Nempè redintegratio naturæ humanæ Virgineæ, quæ in solâ B. Virgine, manu Dei facta est, dùm conciperetur, quæ nulli sanctificatorum in vtero matrum, contigit. Quod vt intelligatur.

3. Sciendum est primò. Quod omnes, quos diuinæ Maiestati placuit sanctificare in vtero matrum suarum, ordinabantur ad Christum totius sanctitatis fontem, vt eum aut patientem exprimerent, aut præsentem ostenderent, aut parvulum nutrirent. Proindè, quantò aliquis propiùs accessurus erat in vitâ suâ ad Christum, veracitèr sanctum, tantò perfectiore sanctificatione, adhuc in vtero matris suæ dignabatur. Jeremias igitùr, quia Christi innocentis passionem & horrendam persecutionem ac contradictionem, quam à Judæis pro veritate & justitiâ, & maximè à Principibus eorum & Scribis, sustinere debebat, in se figurauit, multa ob veritatem à Judæorum Principibus & Scribis passus, & tandem occisus, ideò fuit sanctificatus in vtero, paulò

antè ortum ex vtero, vt perhibet ſcriptura, Jeremiæ 10. *Antequam exires de ventre ſanctificaui te, & Prophætam in gentibus dedi te.* Jam verò Joannes Baptiſta, quia Chriſtum præſentem oſtenſurus erat incredulis Judæis, & antè eum in ſpiritu & virtute Eliæ præcurſurus, & corda Jſraël ad eum agnoſcendum & recipiendum præparaturus, quod officium vtique proximiùs ad Chriſtum ordinabatur, quàm officium & perſecutio Jeremiæ, quæ ſolùm in figurâ contingebat illi. Et quod maius eſt. Quia Chriſtum tangere, & verticem capitis eius aquâ abluere, per Baptiſmum debebat, ideò nobiliorem & celeriorem ſanctificationem in vtero accepit, quæ multiplici capite præcelluit ſupra ſanctificationem Jeremiæ; tùm anticipatione temporis, quia hic ſexto menſe, ille nono: tùm ex parte ſe ſanctificantis, ſcilicet ipſiuſmet Saluatoris, jam in vtero Virginis incarnati, & cum Virgine Matre eum viſitantis, adhuc in vtero Eliſabethæ recluſum: tùm maiori abundantiâ gratiæ, quæ etiam & in matrem Eliſabetham redundauit, imò in vtrumque Parentem, vt canit Eccleſia: *Hinc Parens nati meritis, vterq; abdita pandit.* His duobus in vtero ſanctificatis, de quibus expreſsè id tradit Sacra Scriptura, adnumerant Sancti Patres aliqui, & iam communitèr omnes recentiores Theologi, S. Joſephum, Sponſum B. Virginis, qui quia adhuc magis videtur approximaſſe Chriſto, ità vt eius Parens & Pater in Euangelio pronuncietur, quia ità communitèr putabatur, vt adnotauit S. Lucas cap. 3. dicens; *IESVS vt putabatur filius Ioſeph.* Ideò ob tantam ad Chriſtum vicinitatem, rectè cenſetur eſſe in vtero ſanctificatus, & quis ſcit, ſi non æquali cum Ioanne Baptiſtâ, vel adhuc ampliori ſanctificatione.

4. Sciendum ſecundò. Quod iſti omnes ſanctificati in vtero matrum, erant verè concepti in peccato originali, ità quòd & parentes Adamicè generantes, deciderunt ſemina cum libidine, & ſemina deciſa, ſecundùm naturam ſuam agere ſunt dimiſſa, vt producerent in eis carnem peccati, & quidquid eſt Adamicum, ſcilicèt diſpoſitiones ad animam ſeminalem, in quarum vltimò inſtanti, DEVS eam concedit, & tandem animam intellectiuam, dando ipſam, ad eſſe hominis Adamici determinauit. Et cùm illos deindè ſanctificauit, tùnc nihil aliud fecit circa illos DEVS, niſi quod gratiam gratum facientem, ex opere operato, ſeu ſacramentalem, in illorum animam infudit, ac infudiſſet poſt natiuitatem ipſorum ex vtero, in circumciſione vel Baptiſmo. Sicq; iſti, verè concepti in peccato originali, & carne peccati, mundati ſunt.

5. Eſtò non improbabilitèr dici poſſit, eos longè maiorem gradum gratiæ ſanctificantis accepiſſe, quàm illos, qui circumcidebantur, vel modò baptizantur: cùm deceat DEVM anticipatiuè ſanantem, etiam abundantiùs & perfectiùs ſanare.

6. Ratio autem, quarè iſti dimiſſi ſunt naturæ ſeminum, agenti ad productionem animalitatis in eis diſpoſitiuè, hæc poteſt eſſe. Quia ad iſta munia exequenda, per quæ ordinabantur aliquomodò ad CHRISTVM, poterant eſſe idonei, etiam cum carne peccati, dummodò ſemper eſſent in gratiâ gratum


tum faciente, & castè in virginitate tali, qualis est possibilis homini Adamico, totam vitam ducerent, vt sic saltem per accidens, ad virgineam CHRISTI naturam, accederent aliqualitèr. Hinc est ergò, quòd eis adhuc in vtero matrū existentibus, collata est gratia sanctificans eos, & à peccato originali emundans, idque secundùm magis & minus, iuxta illorum propiorem ad Christum ordinabilitatem, derelinquebantur tamen in carne verâ peccati, estò per abundantiam gratiæ, minueretur fomes & concupiscentia in eis, vel etiam ita tolleretur, vt nunquàm posset exire in actum.

7. Et in hâc refrenatione fomitis, ego credo potissimam rationem sanctificationis in vtero istorum sanctorum, sitam fuisse. Quod ex eo colligo; quòd nullus ex ipsis, generationi Adamicæ vacauit, totâ vitâ suâ. Cùm enim sancti Patres doceant, fidelibus in baptismo minui concupiscentiam, ita vt maior sit concupiscentia non baptizatorum quàm baptizatorum; videtur, quòd DEVS ab istis quos anticipatiuè adhuc in vtero matrum sanctificauit, totalitèr concupiscentiam abstulit; ita eos magnitudine gratiæ munerando, adhuc in vtero, ac aliquem Sanctum, qui in se iam concupiscentiam subegit, & carnem subiecit Spiritui. Sicut legitur de S. Thomâ Doctore Angelico, cui dum Angelus in somnis constrinxit lumbos, ita deinceps castus vixit, quòd nullos concupiscentiæ motus, in totâ vitâ reliquâ senserit. Proindè de Sancto Joanne Baptistâ, in Reuelationibus S. Birgittæ, legitur dixisse Christus, eum sibi esse præ cæteris sanctis specialitèr dilectum, ideò quòd ex ipso seminarius humor nunquam exiuerit. De Jeremiâ etiam constat ex Sacrâ Scripturâ, Jerem. 16. quòd prohibitus sit à DEO ne duceret vxorem, illis verbis. *Factum est verbum Domini ad me dicens: non accipies vxorem, & non erunt tibi Filij & Filiæ in loco isto.* Denique de sancto Josepho Sponso B. Virginis, habet traditio SS. Patrum, eum fuisse alienum à coniugio: propterea enim, iam in adultâ, imò vt aliquibus videtur, prouectâ ætate, cælebs vixit, donec iussus fuit in templum virgam suam cum cæteris de domo Dauid adolescentibus afferre, idque ex DEI reuelatione, in ordine ad hoc, vt eius solius virgâ florente, in signum sanè virginitatis illibatæ, quam hactenùs seruauerat, Beatissima Virgo illi in sponsam, vt Virgo Virgini, traderetur. Legatur de hoc D. Hieronymus in vitâ S. MARIÆ, & in Epistolâ ad Chromatium & Helindium.

8. Nunc iam ad B. Virginem transeamus. quæ sicut proximè & immediatissimè ordinabatur ad CHRISTVM, tanquam ea, quæ eum saluâ virginitate paritura erat; ita præ omnibus sanctificatis in vtero, maiorem sanctitatem accipere debuit, per quam tanto muneri exequendo, digna & idonea redderetur. Non poterat autem esse idonea, nisi in eâ redintegraretur natura, & sortiretur virginitatem per essentiam, in quâ creata erat Eua in Paradyso, ad hoc, vt de Spiritu sancto, saluâ virginitate conciperet, & pareret prolem humanam. Quòd probo. Quià effectus, sempèr sequitur debiliorem partem suæ causæ, Ergò si B. VIRGO non fuisset reducta in suâ conceptione, ad statum integræ naturæ, qui fuit illa virginitas per essentiam,

iam

iam eius proles CHRISTVS, debuisset prodire non integer, nec totalitèr Virgineus, sed aliquid de animalitate Adamicâ, ex matre participans. Quia actus secundus, impossibile est vt exeat, absque influxu actus primi, cui conformetur; Ergò B. VIRGO in suâ conceptione, prodijt in naturâ redintegratâ, quoad actum primum, vt ità esset idonea Mater CHRISTI. Atque ità sanctitas conceptionis MARIANÆ, excelluit præ sanctificatione aliorum sanctificatorum in vtero, nedum gratiæ magnitudine, sed etiam redintegratione naturæ humanæ Virgineæ, si saluâ virginitate, paritura erat florem virginitatis CHRISTVM, ita vt ex hoc solo capite, videatur mihi ponenda in virgine, naturæ humanæ redintegratio, & ità, absque Adamicâ animalitate, purissima conceptio.



RESOLVTIO SEPTIMA.

Non requirebatur ad redintegrationem carnis B. VIRGINIS, vt CHRISTI caro, prius tempore prodiret integra.

I.

HÆc Resolutio ponitur, propter D. Thomam 3. p. q. 27. A. 3. ponentem in B. VIRGINE fomitem, licet ligatum, eò quòd putauerit, derogari dignitati CHRISTI, si aliqua caro, priùs quam caro ipsius, sinè fomitè prodijsset. In quo sanè D. Thomas suis principijs, quibus asseruit, non venturum fuisse CHRISTVM nisi Adam peccasset, valdè conformitèr loquitur: si enim CHRISTVS solùm venisset vt restaurator naturæ humanæ lapsæ, consequens erat, vt nullus antè eum, appareret in carne immuni à fomite.

2. Ast mihi cum Doctore meo oppositum sentienti, in hoc puncto doctrinæ, D. Thomas deserendus venit. Quarè vt efficacior sim in adstruendâ meâ Resolutione, contrà D. Thomam. Pono eius verba, vbi suprà scripta, quæ sunt ista. *Quamuis hæc positio,* (scilicet, quæ aufert totalitèr fomitem à VIRGINE in eius conceptione, seu vt ipse loquitur, in eius primâ sanctificatione) *ad dignitatem VIRGINIS Matris pertinere videatur, derogat tamen in aliquo, dignitati CHRISTI, absq; cuius virtute, nullus à primâ damnatione liberatur: & quamuis per fidem CHRISTI, aliqui antè CHRISTI incarnationem, sint secundùm spiritum ab illâ damnatione liberati, tamen quòd secundùm carnem, aliquis ab illâ damnatione liberetur, non videtur fieri debuisse, nisi post incarnationem eius, in quâ primò debuit immunitas damnationis apparere. Et ideò sicut antè immortalitatem carnis CHRISTI resurgentis, nullus adeptus fuit carnis immortalitatem; ita inconueniens esse videtur dicere, quòd antè CHRISTI carnem, in quâ nullum fuit peccatum, caro VIRGINIS Matris eius, vel cuiusq; alterius, fuerit absq; fomite, qui dicitur lex carnis, siuè membrorum.* Ità D. Thomas.

3. Sed quàm ista nihil penitus officiant puritati & redintegrationi, etiam secundùm carnem, naturæ humanæ in B. VIRGINE, ex ipsismet istis S. Thomæ rationibus, volo ostendere. Et iam sic arguo. Ipsemet S. Thomas hìc fatetur, digniorem futuram fuisse DEIPARAM, si in eius conceptione, seu vt ille vocat, primâ sanctificatione, penitus sublatus fuisset fomes, quàm si tantùm esset ligatus; Ergò ipsemet S. Thomas docet, in B. VIRGINE, ex

 digni-

dignitate maternitatis DEI, debere poni redintegrationem naturæ, etiam secundùm carnem. Antecedens probatur. Nam qui asserit, positionem auferentem totalitèr fomitem à carne Virginis in eius conceptione, ad dignitatem Virginis Matris pertinere, ille docet, digniorem futuram fuisse DEIPARAM, si in eius conceptione sublatus fuisset ab eâ fomes, quàm dùm tantum est ligatus. Consequentia patet. Quia sublatio totalis fomitis in carne, nihil aliud est, nisi positio in aliquo talis carnis, qualis fuit antè peccatum in statu innocentiæ; Atqui ista est carnis redintegratio; Ergò, &c.

4. Sed opponit sibi sic sentienti, D. Thomas illis verbis. *Derogat tamen hæc positio in aliquo, dignitati CHRISTI, absq; cuius virtute, nullus à primâ damnatione liberatur.* Ast hæc oppositio, nedùm nihil obtinet, sed potiùs subministrat mihi materiam, ad promouendam integritatem carnis Virginis, antecedentèr ad apparitionem carnis CHRISTI integræ.

5. Suppono enim: quòd D. Thomas nominans hîc primam damnationem, intelligit illam, quâ natura humana, per Adæ peccatum damnata est, in carne ad fomitem, & concupiscentiam, quam damnationem innuit Concilium Tridentinum sess. 5tâ in Decreto de peccato originali, dùm determinat, *totum Adam, etiam secundùm corpus, esse in deterius commutatum.* De hac enim præcisè damnatione primâ carnis, est ibi sermo. Tunc hoc supposito, pro Resolutione meâ.

6. Arguo sic. Quod fiebat eo fine præcisè, vt in CHRISTVM realissimè & consubstantialitèr atque identicè transferretur in eius incarnatione, illud si fiebat purissimum & à primâ damnatione remotissimum, nedùm non derogabat dignitati CHRISTI, sed omninò promouebat eius dignitatem, si purissimum producebatur; Sed caro B. Virginis, in conceptione suâ, eo fine fiebat manu & digito DEI, vt non iam mysticè sed verè, & realissimè, & consubstantialitèr, ac identicè, (istæ enim sunt phrases SS. Patrum, loquentium de vnitate carnis MARIANæ cum CHRISTI carne, vt iam Decade 2dâ hic patuit) transferretur in CHRISTVM, in ipsius incarnatione; Ergò si fiebat purissima & ab omni fomite aliena, nedùm non derogabat dignitati CHRISTI, sed omninò auxit eam.

7. Accedit. Quòd non absque CHRISTI virtute (vt supponit S. Thomas) caro Virginis in conceptione, à primâ damnatione est liberata; (si tamen ita fas est loqui de carne Virginis, quæ nunquam fuit damnata, vt potè nec in intentione DEI, nec in ipsâ executione suæ passiuæ formationis, ab Adamo dependens, in ratione patrationis, vt abundè iam declaratum suppono) imò dico absolutè: CHRISTI, (vt ab æterno præuisi & ordinati à DEO, in illud nomen, præter quod non est aliud nomen datum naturis intellectualibus, in quo oporteat eas saluas fieri, vt suprà iam stabiliui) virtute & merito, carnem Virginis euitasse hanc communem totius carnis Adamicæ damnationem, eò quòd vnitiuè ad ipsam carnem CHRISTI pertinebat: quomodò nulla alicuius hominis caro, spectauit ad CHRISTVM. Vnitiua autem salus, quam stabiliuimus virtute sanguinis & mortis CHRISTI, respectu solius Virginis Ma-

Matris, Resolut: 10. Decad. 2dæ, excludit nedùm damnationem, sed & possibilitatem damnationis.

8. Et si vim ponit D. Thomas in eo, (vt obseruauit Caietanus hic) quòd priùs omninò debuit apparere CHRISTVS in carne immuni à damnatione, quàm aliqua alicuius alterius caro, etiam Matris, eò quòd, sicut immortalitas carnis, nulli contigit antè immortalitatem carnis CHRISTI resurgentis, ità nec immunitas à fomite, debuerit alicui, etiam Matri, concedi antè immunitatem carnis CHRISTI. Ista doctrina, estò fortè de omni alio Indiuiduo, in naturâ humanâ Adamicè genito, procedat, sed nequaquam de VIRGINE MATRE, quæ vt talis, ab æterno præuisa, Adamicâ generatione non est cum alijs comprehensa. Imò potiùs est iste discursus pro nobis; quia audactèr dico

9. Quòd nisi caro VIRGINIS in eius conceptione apparuisset immunis ab Adamico fomite, caro CHRISTI ex eâ sumpta, non apparuisset immunis, quantùm est ex parte Matris. Quod probo ex mente ipsiusmet S. Thomæ, qui hîc tenet, à B. VIRGINE sublatum esse totalitèr fomitem, in conceptione filij DEI, & non antè. Hoc enim docens D. Thomas, iam vel inuitus concedit, priùs apparuisse carnem VIRGINIS immunem à primâ damnatione, quam carnem CHRISTI: quia ista ablatio fomitis, omninò debuit antecessisse actum conceptionis CHRISTI; aliàs si in ipsâ conceptione actiuâ filij DEI, vel simul cum ipsâ, in eodem instanti, fuisset fomes, licèt ligatus, sequeretur, carnem VIRGINIS, translatam esse in carnem CHRISTI cum fomite, qui in eâ fuit, licèt ligatus. Nec licèt hîc fugere ad prioritatem naturæ, distinguendo illud vnicum instans temporis, in duo instantia naturæ, & dicendo, quòd priùs naturâ Spiritus sanctus purgauit à fomite carnem VIRGINIS, quam illam transtulit in carnem filij DEI; licèt vtrumque in vnico instanti temporis fuerit. Non licet inquam. Tùm quià hic loquimur de reali apparitione carnis CHRISTI, mundæ antè carnem VIRGINIS Matris; prioritas autem naturæ, solùm notat præintellectionem vnius antè aliud, non verò realem antecessionem veram. Tùm quia mihi abundè sufficit, quòd concedat sic respondens, saltèm priùs naturâ, carnem in B. VIRGINE esse emundatam à fomite, quam carnem Christi. Ex hoc enim habetur contra D. Thomam, quòd non à carne Christi, descenderit puritas in carnem B. Virginis, sed potiùs è contrà, à carne Virginis Matris, in Christi carnem, ceu veri filij & Matri consubstantialis. Et si hoc necesse est concedere in Christi conceptione, cùr anteà caro Virginis, imò statim in primo instanti completæ conceptionis suæ, pura & immaculata esse non debuerit? prorsùs ignoro.

10. Accedit. Quòd loquendo realitèr, præposterus est ordo in naturâ, vt ex prole conceptâ in vtero, redundet in Matrem puritas carnis, aut sanitas, aut similia aliqua naturæ bona; Ast iam ostendi Decade 1mâ, hanc puritatem & à fomite immunitatem, esse & fuisse in statu innocentiæ, ex DEI primæuâ intentione, donum naturæ, homini, quatenùs homo à DEO creatus erat spiritualis & perfectus, proprium & vernaculum; Ergo illud potiùs à Matre Virgine, in hanc prolem deriuari oportebat, non è contra.

11.

11. Porrò, quòd adducit D. Thomas de immortalitate carnis; hoc eum hîc non iuuat, ob disparitatem. Licet enim verum sit, neminem in carne apparuisse immortalem, antequam Christus apparuerit post resurrectionem immortalis; hoc ideò est; quia carnis immortalitas, strictè & propriè accepta, qualis est in patriâ, propriè & præcisè pertinet ad terminum, ad quem decebat primogenitum ex mortuis, antè omnes ingredi: nec tamen ipse propterea Christus apparuit statim in incarnatione suâ, immortalis secundùm carnem, sed solùm in resurrectione, quandò iam factus fuit omninò extrà viam, & absolutè in termino. Ast verò immunitas à fomite pertinuit ad viam, si Adam peccando non corrupisset naturam. Vndè sicut si Adam non peccasset, fuisset in omnibus electis viatoribus: ita ipso peccante, remansit in ijs ex DEI ordinatione, qui præuisi sunt Adamicam naturam lapsam restauraturi, etiam viatoribus, idque eo ordine, quo transijsset à matribus in proles, si status innocentiæ perseuerasset, non è contrà.

12. Præterea. Ex hoc quod dicit D. Thomas; quamuis per fidem Christi, aliqui ante Christi incarnationem, sint secundùm spiritum ab illâ damnatione liberati; tamen quòd secundùm carnem, aliquis ab illâ damnatione liberetur, non videtur fieri debuisse, nisi post incarnationem eius, in quâ primò debuit immunitas damnationis apparere: ita arguo à maiori ad minùs affirmatiuè. Nihil derogatum est dignitati animæ Christi per hoc, quod millies millenæ animæ, sanctificatæ sunt meritis eius præuisis, antequam ipsa anima Christi existeret: imò id ad gloriam eius magnoperè conducit; Ergò multò minùs derogatum est carnis Christi dignitati per hoc, quòd vnica Mariana caro, de quâ carnem ipse Christus assumpturus erat, sit antè ipsam, intuitu tamen meritorum Christi, emundata à fomite. Consequentia patet. Quia dignior est anima sanctificante gratiâ mundata, quam caro à fomite libera; quia & dignior pars hominis, & nobiliori qualitate, vt potè supernaturali gratiâ ornata; Ergò si non erat inconueniens, animas Patrum antè aduentum Christi sanctificari, nec à fortiori erit inconueniens, carnem Mariæ, de quâ caro Christi procedere omninò ex DEI ordinatione debuit, antè incarnationem, à fomite immunem fieri; maximè cùm B. Virgo nullam habuerit obnoxietatem contrahendi in carne fomitis, quâ prior Adamo, & absolutè futura independentèr ab illo.

13. Accedit. Quod honor Matris, in Filium redundat; Ergò non derogatur Christi personæ pet id, quòd in personâ matris præhonoratur. Confirmatur hoc per Caietanū hic, licet inuitum, qui sic ad hunc locum D. Thomæ, dicit. *Consentaneum rationi est, vt sicut salus spiritus, per spiritalem modum fit, per fidem scilicet, quæ est etiam futurorum; ita salus carnis, carnalitèr quoque fiat, ac per hoc à carne sanctâ, suâ ipsâ naturâ, qualis est absque dubio secundùm omnes, sola CHRISTI caro.* Hæc Caietanus. Tunc ego infero. Si sic est, quòd salus carnis carnalitèr debuit fieri, & non alitèr decuit naturam per carnalem propagationem vitiatam restaurari, nisi carnalitèr, scilicet propagando

eandem carnem ſpiritualitèr; vt vndè ſurrexerat carnalis & animalis, indè ſurgeret ſpiritualis & integra; Ergò Mater CHRISTI, à quâ CHRISTVS propagari debuit ſecundùm carnem ſpiritualitèr, debuit eſſe in carne ſpiritualis, & ita abſque omni carnalitate ſeu fomite, vt ità reſtauraretur natura in CHRISTO, & ſic reſtaurata, nobis applicaretur per Sacramenta Eccleſiæ. Patet igitùr veritas Reſolutionis noſtræ, quâ concluſimus, quod non requirebatur ad redintegrationem carnis B. VIRGINIS, vt CHRISTI caro prius tempore prodiret integra. Ex hâc Reſolutione ſequitur.





RESOLVTIO OCTAVA.

B. VIRGO, etsi fuerit sic integra, in esse Virgineæ naturæ humanæ; tamen si antè CHRISTVM mortua fuisset, ianuam cœli non intrasset.

1.



QVia dictum est Resolutione præcedenti, antè resurrectionem CHRISTI, nemini concessam fuisse immortalitatem carnis, loquendo rigorosè de immortalitate, eo quòd talis immortalitas sit præcisè patriæ; neminem autem antè primogenitum decuit ingredi patriam; hinc meritò sequitur, neminem ex hominibus, esto redintegratum in naturâ, potuisse in cœlum ad illam immortalitatem ingredi, nisi priùs ipse primogenitus ingrederetur, & ità nec ipsam Beatissimam Virginem. Cuius ratio à priori non est alia, nisi voluntas DEI, nobis per illud verbum CHRISTI Joh 3. manifestata. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Ille enim solus debuit multos filios ad gloriam adducere, per quem & in quo, omnes electi facti sunt filij DEI; Juxtà illud Cyrilli Hierosolymitani Decade primâ Resolut: 3tiâ. *Quia filij per filium, imago DEI, & similitudo.*

2. Teneo igitùr. Quòd non præcisè ratione peccati originalis, clausa erat ianua cœli, & introitus regni cœlestis vetitus hominibus, quia & in statu innocentiæ si perseuerasset, nullus fuisset ingressus gloriam, antè CHRISTI incarnationem. Imò si DEVS modò de nouo crearet hominem aliquem de terrâ, hic vtique esset absque peccato originali, & temen si antè CHRISTI in cœlum ascensionem mortuus fuisset, ianuam cœli intrare nequiuisset. Sicut igitùr non sequitur necessariò; quòd quicunque absque peccato originali conceptus est in naturâ integrâ, ille mortuus antè passionem CHRISTI, debet omninò introire in Regnum DEI, quia talis innocentia à peccato isto, non est præcisa ratio apertionis ianuæ regni DEI; ità etiam non sequitur, quod quicunque non potuit antè CHRISTI mortem mortuus, ingredi ianuam regni, fuerit ab eâ exclusus ob peccatum originale; quia peccatum originale, non est causa præcisa clausionis ianuæ cœli.

3. Erat igitùr alia causa præcisa istius, scilicet ordinatio diuina, quâ DEVS Pater, ob reuerentiam singularem filij sui, per quem omnes homines electos, in filios adoptabat, & hoc tàm in statu innocentiæ, quam post lapsum

lapſum intercedente redemptione, noluit quenquam, etiam ſanctiſſimum & innocentiſſimum, ad regnum admittere, niſi priùs ille, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, intraret. Et ità, & in ſtatu innocentiæ, debuit Adam & tota electorum corona, exſpectare CHRISTVM glorificatorem, cum quo & per quem fuiſſent omnes ſimul translati in gloriam. Patet igitùr, quòd ſtante integritate naturæ humanæ in Virgine, ſi mortua fuiſſet, adhuc antè filium in regnū non introiſſet, & tamen non obcontractum originale peccatum.

4. Hæc eſt etiam mens Doct: Subtilis in 3. diſt: 3. q. 1. ſub finem §. Si quæratur &c. Vbi ità hanc difficultatem reſoluit. *Si quæratur, vtrum ſi B. Virgo fuiſſet mortua antè paſsionem filij, fuiſſet beata? dici poteſt: quòd ſancti Patres in Lymbo, purgati fuerunt à peccato originali, & tamen clauſa fuit ianua, vſq; ad ſolutionē pœnæ debitæ: ità enim determinauerat DEVS, quòd licet acceptaret paſsionem Chriſti præuiſam, ad remittendum culpam originalem omni credenti, & credituro illam paſsionem; non tamen remittebat pœnam illi peccato debitam, ſcilicet carentiam viſionis diuinæ, propter paſsionem præuiſam, ſed propter ipſam exhibitam; & ideò ſicut illis patribus non patuit ianua, quouſq; paſsio Chriſti fuit exhibita, ità probabile eſt, quòd nec B. Virgini.* Ita Doct: Subt: Quæ verba, licet videantur ſonare cauſam clauſionis ianuæ regni, fuiſſe peccatum originale, quòad pœnam ſe conſequentem, quouſq; ſatisfieret DEO per paſſionem Chriſti exhibitam; tamen non verificantur, niſi de ſanctis patribus in Lymbo detentis, quibus ſicut peccatum originale cauſa fuit mortis corporalis, antè aduentum Chriſti glorificatoris in carnem, ità & illius detentionis in lymbo, vſq; ad Chriſti reſurrectionem: ſed hoc fuit per accidens, quia non fuiſſet ſic in ſtatu innocentiæ. Aſt verò per ſe loquendo, talis occluſionis ianuæ, cauſa præciſa fuit, diuina ordinatio, quam Chriſtus manifeſtauit Joannis 3tio. Propter quam & Patres illi, per ſe loquendo, & ipſa DEI genitrix, ſi mortua fuiſſet antè reſurrectionem vel aſcenſionem Chriſti, debuit exſpectare ingreſſum primogeniti.

5. Dicunt tamen aliqui, quos allegat & approbare videtur Bernardinus de Buſto ſui Marialis p. 1. ſer: 2do. Quòd ſicut Deus præſeruauit ſpecialitèr B. Virginem ab originali peccato; ità ſi mortua fuiſſet antè Paſſionem filij, ſpecialem ei deputaſſet locum, in quo glorificata eſſet, etiam antè ingreſſum cæli Empyræi: ſicq; eſſet Beata, licet cum hoc expectaſſet triumphum Chriſti reſurgentis, & in cœlum aſcendentis. Quod eſt valdè probabile: quia cùm B. Virgo fuerit beata in viâ, etiam in inſtanti conceptionis completæ, vt ſuprà oſtendimus, indignum videretur, eam in tali caſu, poſt mortem retardari à viſione & fruitione DEI beatificâ.

6. Sed Reſolutioni iſti non eſt cùr debeam immorari; videtur enim eſſe vana & nulli vſui: quia illa æterna ſapientia DEI, quæ ſuauitèr omnia diſponit, etiam circa hanc matrem filij DEI, ab æterno prælectam, ita diſpoſuit, & ordinauit, vt nihil ipſi indecens, & incongruum, in eam cadere poſſet. Quarè & vitam eius mortalem, quam ſummoperè, vt potè excellentem diligebat, decreuit tamdiu continuandā, donec filius eius in regnum ipſi præiuiſſet, eam in ſoliū gloriæ introducturus, & in regni miſericordiæ, totiusq; creaturæ, Monarchiæ excellentiam, & diſtinctam à cæteris omnibus hierarchiam, euecturus. RE-

RESOLVTIO NONA.

Beata VIRGO, inter filios DEI adoptiuos prima, & adoptionis cæterorum metrum, idea, ac forma.

I.



QVoniam adoptio est quædam filiatio, imitans vel supplens filiationem naturalem in aliquo; ideò sicut filiatio naturalis, fundatur in naturâ simili naturæ generantis naturalitèr; ità & (transferendo huc nomen adoptionis à Iuristis) adoptio, seu filiatio nostra adoptiua ad DEVM, fundatur quoque in naturâ simili creanti, quatenùs illa natura, est imago creantis, similitudine naturali, & cum hoc similitudine gratiæ, quâ ipsa vt natura intellectualis, potest attingere ad hæreditatem adoptantis DEI.

2. Ex quâ descriptione adoptionis, habetur. Quòd sicut in adoptione legali, quâ homo carens naturalitèr genito filio, acceptat extraneum aliquem, in naturâ sibi similem, ex gratiâ in hæreditatem, concurrunt tria; scilicet extraneitas, gratia seu gratuita voluntas adoptantis, & bonum ad quod præordinatur ex istâ gratiâ, scilicet, hæreditas, ad quam incipit habere ius succedendi ex adoptione; ità & in adoptione hâc supernaturali, quâ creatura intellectualis, similis aliqualitèr creanti, vt imago eius, assumitur ex gratiâ ad æternam Regni cœlestis hæreditatem, eadem tria concurrere debent, vt quis verè dicatur Dei filius adoptiuus. Hæc est doctrina tàm Doctoris Subtilis in 3. dist: 10. q. vnicâ, quam Doctoris Seraphici in 3. dist: 10 a. 2. q. 1.

3. Porrò Doctor Subtilis vbi supra, rigidè trutinat hanc extraneitatem. Vel enim extraneitas est, à generatione naturali. Vel à gratiâ. Rursùs extraneitas à gratiâ; vel est extraneitas contraria, quæ attenditur penes peccatũ habitum siuè in se siuè in parentibus, ob quod inest carentia gratiæ: vel est extraneitas negatiua, quæ est sola carentia gratiæ mera, & consequentèr iuris in hæreditate naturali, absq; vllo tamen peccato suo vel parentum. Sic enim extraneus vt plurimùm adoptatur; sed extraneus contrariè seu inimicus, siuè in se siuè in parentibus, communitèr non adoptatur. Adhuc extraneitas ista negatiua, quæ consistit in carentiâ merâ iuris ad hæreditatem, consideratur & consurgit duplicitèr. Aut ex hoc, quod in instanti generationis naturalis, nõ habeatur ius in hæreditatem, ita quòd sic extraneus, priùs saltèm naturâ, habeat solùm esse naturale, secundùm quod sit extraneus, estò in secundo instanti na-

ti naturæ habeat gratiam, per quam adoptatur. Aut ex hoc, quòd etiam in illo primo inſtanti naturæ, quo generatur vel creatur, habeat neceſſariò aliquid concomitans, quod ſit diſpoſitio de congruo, conferens illi neceſſariò ius ad hæreditatem; ita quòd etiamſi ex vi generationis, videatur eſſe quaſi extraneus, tamen præuenitur in eodem inſtanti naturæ omninò primo, ne ſit verè extraneus; non iam per gratiam, quia ſic non poſſet in primo inſtanti naturæ præueniri, cùm in illo abſtrahat ſeu præſcindat à grato & non grato, ſed per conditionem ſinè quâ non gigneretur naturalitèr; qualis conditio eſt in ſolâ naturâ humanâ Chriſti, ſcilicet, vnio hypoſtatica ad Verbum, ita quod propter hanc conditionem vnibilitatis ad Verbum, quæ in doctrinâ Doctoris Subtilis, præcedit infuſionem gratiæ, natura humana Chriſti, etiam in omninò primo inſtanti ſuæ generationis temporalis vel creationis, accepta, nequit dici extranea negatiuè; atque ita nequit dici adoptata, nec Chriſtus ſecundùm eam, filius Dei adoptiuus.

4. Jam verò omnes Electi alij à Chriſto, verè ſunt filij Dei adoptiui: & hoc ob multiplicem extraneitatem, ex quâ per gratiam Dei in filios Dei aſſumuntur. Inprimis enim habent extraneitatem à generatione naturali: homines quidem; quia vel per creationem, vt Adam, vel per generationem humanæ propagationis, vt cæteri omnes, producti ſunt & producuntur in naturâ humanâ: Angeli verò, per creationem in naturâ Angelicâ; quæ naturæ ſunt vtique extraneæ naturæ Diuinæ, vt de ſe patet. Deindè habent extraneitatem à gratiâ, & conſequentèr à iure ad hæreditatem. Alij quidem negatiuè, in primo ſaltèm inſtanti naturæ, cùm creabantur, vt Angeli & Protoparentes, ſuppoſito quòd in gratiâ creati ſint; alij autem etiam poſitiuè, nedùm in inſtanti primo & ſecundo naturæ, in quo generantur, ſed etiam in tempore; vt nos omnes filij Adæ, qui tàm in parentibus, quam in ſe, habemus peccatum, & ſumus inimici; licet ex Dei liberalitate & ſummâ miſericordiâ, adhuc adoptemur in filios; aliqui quidem citiùs, & adhuc ex vtero materno, vt Jeremias, Joannes Baptiſta, & S. Joſeph; aliqui verò, imò omnes præter iſtos, tardiùs, ſcilicet poſt natiuitatem ex vtero per Sacramenta: ità ergò eſt de nobis.

5. Aſt verò B. Virgo, de quâ hic potiſſimùm nobis eſt ſermo, ſola inter omnes Angelos & homines, minimam habet extraneitatem, videlicèt à generatione naturali ſolùm. Quæ extraneitas eſt ei communis cum Chriſto; ita tamen, quòd Chriſtus proptèr eam nec eſt, nec poteſt dici filius Dei adoptiuus; Beata autem Virgo, proptèr hanc ſolam extraneitatem, eſt verè filia Dei adoptiua. Cuius ratio eſt. Quia natura humana Chriſti, ſtatim in primo inſtanti naturæ, dum generabatur à Virgine, implicabat conditionem ſeu diſpoſitionem de congruo ad gratiam gratum facientem, ſcilicet vnibilitatem immediatam ad Verbum, quæ diſpoſitio excluſit à naturâ humanâ Chriſti, etiam in illo omninò primo inſtanti naturæ, extraneitatem. Aſt verò natura humana B. Virginis, in illo primo inſtanti naturæ, caruit hâc diſpoſitione vnibilitatis immediatæ ad Verbum, & proptèr hoc fuit verè extranea, cum hoc

tamen, non ità valdè ſicut Angeli vel protoparentes, ſed minùs. Et hoc ideò: quia Angeli, in primo inſtanti naturæ quo creabantur, nullum reſpectum vnibilitatis futuræ ad Verbum habuerunt. Protoparentes verò, etſi habuerunt talem reſpectum, ſed valdè remotum. At verò natura humana B Virginis, ſtatim in omninò primò inſtanti naturæ quo fiebat, habuit reſpectum vnibilitatis proximæ, licet mediatæ, ad Verbum: quia B. Virgo etiam in omninò primo inſtanti naturæ, producebatur manu DEI, vt Mater DEI futura, & per hanc maternitatem, ſuam naturam CHRISTO communicatura, vt in CHRISTO Verbo vniretur. Hinc igitur factum eſt, quòd dùm B. Virgo conciperetur, habuit ſtatim ex vi iſtius maternitatis futuræ, ius ad gratiam gratum facientem, ſibi in ſecundo inſtanti naturæ infundendam, quo iure caruerunt Angeli & protoparentes.

6. Dices. Ergò tunc fuit grata, & ita non extranea. Reſpondeo. Quod in illo inſtanti naturæ omninò primo, nec erat grata nec non grata, ſed erat tantùm hæc natura, & ità adhuc negatiuè extranea à generatione naturali; quod ſufficit. Et ratio eſt. Quia ſicut nec ipsa, vnio actualis ad Verbum, neceſſariò ponit gratiam in naturâ ſic vnitâ, vt ſubtilitèr docet noſter Doctor in 3. diſt: 2. ità multò minùs ordinabilitas mediata ad talem vnionem futuram, ponit in illo inſtanti, gratiam in naturâ B. Virginis; eſtò benè implicet ius ad gratiam, in ſecundo inſtanti naturæ infundendam.

7. Itaque ob hanc tàm modicam extraneitatem, B. Virgo eſt verè filia DEI adoptiua: & quia minùs inter omnes extranea, imò quaſi domeſtica filio DEI naturali, vt potè Mater eius, ideò prima inter omnes adoptiuos, & præſtantiſſima, gaudens meliori iure ad hæreditatem, quam omnes alij, nedùm ex gratiâ, vt omnes alij præcisè, ſed etiam ex reſpectu maternitatis Diuinæ, ad quam etiam in primo inſtanti naturæ, quo concipiebatur, diſponebatur, vt eſſet Virgo per eſſentiam. Sicque eſt metrum cæterorum omnium adoptiuorum, vt potè primum & præſtantiſſimum, in hoc adoptabilium genere.

8. Eſt etiàm idea & forma adoptionis aliorum. Quia certum eſt, quòd omnes electi, ſunt filij DEI adoptiui per CHRISTVM, ſiuè ly per, dicat cauſam efficientem, ſiuè cauſam meritoriam; vt deducit S. Bonauentura in 3. diſt: 10 a. 2. q. 2. Sed B. Virgo, inter omnes electos ſola immediatè attingit CHRISTVM, naturam ſuam humanam ei communicando per maternitatem, & hæc ipſa B. Virgo, dependit in fieri ſaltèm inchoatiuè, à maſsâ perditionis; Ergò adoptio facta per CHRISTVM, ſiuè vt cauſam efficientem, ſiuè vt meritoriam, ſi primò cecidit in B. Virginem, etiam concomitantèr cadere debuit & in eos, à quibus proceſſit B. VIRGO per lineam generationis, ſaltèm inchoatiuè.

9. Confirmatur hoc primò. Quia B. VIRGO, in primo illo inſtanti naturæ, quo concipiebatur, implicabat hanc conditionem de congruo, ſcilicet vnibilitatis ſuæ naturæ ad Verbum, mediante communicatione eiuſdem naturæ Verbo: per quam communicationem etiam tota maſſa perditionis, vt potè in eâdem naturâ humanâ ſymbolizans, tranſibat de hâc extraneitate, in ius

in ius adoptionis, loquendo de prædestinatis: Ergò dùm B. VIRGO, ex hoc respectu, ab extraneitate vindicabatur, etiàm omnes electi, quos illa respiciebat in suo fieri, saltèm inchoatiuè, transibant ab extraneitate, & ita adoptatâ primo B. VIRGINE, adoptati sunt concomitantèr & alij electi.

10. Confirmatur secundò. Quia CHRISTVS, ideò de Matre VIRGINE accipiebat naturam vniendam Verbo, vt totam massam corruptam, de quâ VIRGO inchoatiuè processit, in se transferret, & ita restauraret, cæteris tamen paribus: Ergò in illâ naturâ acceptâ de VIRGINE, etiam totam naturam in ius hæreditatis transtulit. Consequentia patet. Quia quæ sunt ità connexa ad inuicem, vt vnum in fieri dependeat ab altero, si vltimum illius coordinationis necessariæ, attingit immediatè perfectionem aliquam, jàm & reliquum, à quo hoc vltimum necessariò dependet, attingit mediante illo, eandem perfectionem; Sed tale vltimum, dependens à massâ peccatrice, est in naturâ humanâ B. VIRGO, quæ ex adnexâ sibi indiuisibilitèr conditione maternitatis DEI, attigit hanc perfectionem adoptationis in filiam DEI, inter omnes primam; Ergò ipsâ transeunte in adoptionem DEI primò & immediatè, etiam tota massa perditionis, pro solis tamen prædestinatis sumpta, à quâ VIRGO hæc necessariò dependit inchoatiuè, transiuit in adoptionem filiorum DEI. Sicque B. VIRGO est idea, & forma, ac norma, adoptionis in naturâ humanâ, quod est propositum.

11. Et quia adoptio nostra, nedùm est per filium DEI vt incarnatum, sed etiam per Spiritum sanctum eos glorificantem; docente id Apostolo ad Rom: 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Et S. Bonauenturâ in 3. dist: 10. a. 2 q. 2. *Ad nostram* (inquit) *adoptionem duo concurrunt: scilicet redemptio, quæ facta est per filij missionem, & gratificatio, quæ facta est per missionem Spiritus sancti.* Etiàm B. VIRGO ex hâc ratione, scilicet per comparationem ad Spiritum sanctum nos gratificantem, est metrum, & idea, ac forma nostræ adoptionis. Cùm enim in eam in instanti conceptionis effuderit Spiritus sanctus plenitudinem gratiæ, ipsam in summo glorificando, eo ipso fecit ab eâ in nos descendere gratiam; Juxtà illud D. Bernardi. *De plenitudine eius, accipiunt vniuersi, iustus gratiam, peccator veniam, &c.* Et sic fecit Spiritus sanctus, replens gratiâ VIRGINEM, vt in totam massam naturæ humanæ, ab eâ descenderet gratia adoptionis.


12. Accedit. Quòd dùm posteà idem Spiritus sanctus, superueniens rursùs in eam, eam fœcundauit, vt nobis proferret redemptionis pretium, scilicet CHRISTVM de vtero Virgineo, iam hoc ipso eam fecit promotricem nostræ adoptionis, quia adiutricem redemptionis. Vndè Apostolus ad Galat: 3. *Misit DEVS filium suum factum ex muliere, vt adoptionem filiorum reciperemus.*

13. Addo etiam quasi pro Corollario. Quod adoptio, præsupponit filiationem veram in eâdem naturâ, in similitudinem naturæ, aut saltèm, si adoptans sit naturæ superexcellentis & supersubstantialis, vt in proposito est

DEVS

DEVS reſpectu noſtri, in eius imaginem; Atqui antè B. VIRGINIS immaculatam conceptionem, non fuit vera filiatio in naturâ humanâ; non enim generabamur in ſimilitudinem & imaginem DEI, ſed in ſimilitudinem & imaginem beſtiarum; ſola autem VIRGO MATER, in ſuâ conceptione, prodijt vera filia in naturâ humanâ, manu DEI ſic fabricata, vt verum filium deindè conciperet & pareret CHRISTVM, & in ipsâ primò apparuit vera imago DEI, non conſpurcata, nec obnubilata animalitate. Iam verò adoptio, præſupponit, vt dixi, filiationem veram; Ergò conceptâ B. VIRGINE in ratione veræ filiæ, tunc primum ſecuta eſt vera adoptio, quaſi initiatiuè; quæ deindè in CHRISTO, ab hâc VIRGINE, in veritate filiationis paſſiuæ progenito, eſt completa.

Hæc de iſtâ Reſolutione. Sequitur eam, & iam totum Opus hoc occludit



RE.

RESOLVTIO DECIMA.

Canonizatio, quâ Ecclesia canonizauit festum conceptionis B. MARIÆ VIRGINIS, conuincit sanctam & immaculatam fuisse eius conceptionem, ità vt hæc sententia possit esse de Fide, & inter Martyres connumerandus sit, qui pro eâ se morti exposuerit.

1.



CAnonizationem in Ecclesiâ, nedùm de Sanctis, sed etiam de festis fieri, nemo sanæ mentis diffitebitur. Sicut enim canonizare Sanctum, nihil est aliud, nisi Ecclesiam decernere, personam illam fuisse sanctam, & animam illius esse in gloriâ; ità canonizare festum, nihil est aliud, nisi Ecclesiam definire, illius mysterij, cuius commemoratio eo die recolitur, sanctitatem, quam & proponit ità fidelibus celebrandam, sicut & sanctitatem Sancti regnantis in gloriâ: ità quòd hæ canonizationes, non differant in re, nisi penes connotata; quòd scilicet ibi, connotatur persona, hîc mysterium factum circà personam. Declaratur hoc inductione. Quia enim natiuitas D. Joannis Baptistæ, ex vtero sancta fuit & mysteriosa, ideò eam Ecclesia canonizauit pro tali, & celebrandam fidelibus proposuit. Quià vinculatio S. Petri, primò ab Herode Jerosolymis, deindè Romæ à Nerone, fuit sancta, & mysteriosa apparuit in Ecclesiâ, cùm duæ distinctæ catenæ, ad inuicem se indissolubilitèr vnierunt; ideò Ecclesia, canonizauit hoc mysterium, festo S. Petri ad vincula. Quia amicitia SS. Apostolorum Petri & Pauli, fuit in se sancta, & toti Ecclesiæ proficua; ideò commemorationem S. Pauli, post festum S. Petri instituens Ecclesia, eam canonizauit. Quia conuersio S. Pauli, & miraculosa, & mysteriosa, & toti Ecclesiæ vtilissima, extitit; ideò eam Ecclesia canonizauit, & à fidelibus speciali festo & cultu, venerandam voluit. Idem dicendum de natiuitate B. MARIæ VIRGINIS. Idem de præsentatione in templo. Idem de annunciatione. Idem de visitatione. Idem de purificatione. Idem de assumptione. quæ festa Beatæ VIRGINIS, ideò Ecclesia canonizauit, & celebranda solennitèr à fidelibus voluit, quia hæc omnia in B. VIRGINE, & circà ipsam, dùm fiebant, erant sancta, & mysterijs plena. Si itaque (vt ad propositum iam descendam)

ideò ista festa B. VIRGINIS, Ecclesia instituit, & canonizauit, quia ista quæ fiebant circà B. VIRGINEM, quorum in istis festis recolit memoriam, fuerunt sancta; sancta videlicèt natiuitas, sancta præsentatio, sancta annunciatio, sancta imò & sanctificans Joannem visitatio, purissima & mysteriosa purificatio, triumphalis & gloriosissima assumptio, & si quæ sunt aliæ in Ecclesiâ DEI, B. VIRGINIS solemnitates, vt est festum expectationis partus, festum traditionis Scapularis Generali Carmelitarum, festum Rosarij approbati à B. VIRGINE, approbatione tali factâ ipsi S. Dominico; omnia inquam ista sunt sancta, & vt talia ab Ecclesia canonizata. Cùr & festum conceptionis, quod Ecclesia instituit & canonizauit, indulgentijs cumulauit, confraternitatibus firmauit & stabiliuit, non debeat sicut supponere, ità & inferre sanctitatem conceptionis B. VIRGINIS, non video?

2. At solent vim istius lucis declinare nycticoracum oculi, & opponere (si DEO placet) vmbram istam, dicendo: quòd Ecclesia colens festum conceptionis Deiparæ, solùm gratias agit DEO pro conceptâ personâ B. VIRGINIS, vt potè iam immediatè ordinatæ ad incarnationem Verbi, ex ratione futuræ maternitatis Verbi incarnati, non autem intendit per hoc determinare, sitnè concepta in originali, vel absq; eo? O stulta responsio! ex quâ sequitur, quòd festum conceptionis non est festum conceptionis, sed dies gratiarum actionis. At audi qui sic respondes. Si dies conceptionis est solùm dies gratiarum actionis, cùr Ecclesia non præcipit, vt votiua de SS. Trinitate eo die cantetur, sicut solet cantari in alijs diebus, quibus solùm agit DEO gratias pro aliquo beneficio? aut cùr per omnia simile officium concinnauit, & omnibus fidelibus dicendum proposuit, in festo conceptionis, ac in festo natiuitatis B. MARIæ, mutato solùm nomine natiuitatis in nomen conceptionis, vt patet intuenti Breuiarium Romanum? per quod sanè declarauit, nedùm se colere diem gratiarum actionis DEO, pro conceptâ personâ Deiparæ, sed etiam ipsam conceptionis tantæ personæ sanctitatem.

3. Accedit. Quòd intentio S. Matris Ecclesiæ est, per tale festum honorandi ipsam VIRGINEM; in eius enim honorem hoc festum instituit, vt ipsa in suâ conceptione à fidelibus honoretur, ità sicut honoratur & in natiuitate, visitatione, assumptione, & alijs suis festiuitatibus adeò vt S. Bernardus Epist: 174. resolutè hæc pronunciauerit. *Ego quod ab Ecclesiâ accepi, securus teneo & trado. Accepi sanè ab Ecclesiâ, illum diem cum summâ veneratione colendum, quo assumpta est de sæculo nequam; sed & ortum Virginis didici in Ecclesiâ, & ab Ecclesiâ, indubitantèr haberi festiuum &c.* Sed etiam hoc fælici sæculo nostro, Ecclesia solenniter celebrat Festum immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ, & nobis eundem diem cum Octauâ celebrandum tradidit; Ergò contra mentem Ecclesiæ esset, dicere, quòd tali festo, solùm gratiæ agantur DEO, de hâc personâ conceptâ, cùm etiam eo festo, ipsa VIRGO in suâ conceptione sancta, honoretur. Cùm autem temerarium sit asserere, Ecclesiam in hoc errare, cùm Ecclesia errare non possit, & sit columna veritatis; Ergò tunc fuit B. Virgo omninò sancta; licèt nondùm sit de fide.

4. Præ-

4. Præterea. D.Thomas 3. p, q. 27. A. 1. Volens probare, B. VIRGINEM fuisse sanctificatam in vtero, robustissimum assumit argumentum ab authoritate Ecclesiæ, colentis solemnitèr festum Natiuitatis eius. Verba sunt S. Thomæ vbi suprà. *Ecclesia celebrat Natiuitatem B. MARIÆ VIRGINIS, non autem celebratur Festum in Ecclesiâ, nisi pro aliquo sancto, Ergò B. VIRGO, in ipsâ suâ natiuitate fuit sancta, fuit ergò in vtero sanctificata.* Ità ille. Ex quibus verbis, sic ad propositum arguo. Ex Festo Natiuitatis ab Ecclesiâ instituto, infert S. Doctor sanctificationem B. VIRGINIS in vtero; Ergò ex festo conceptionis, si ipsius tempore ità fuisset institutum in Ecclesiâ, sicut modò est, absque vllâ hæsitatione, intulisset sanctitatem eiusdem B. VIRGINIS in suâ conceptione. Consequentiam probo. Quia apud D. Thomam, nedùm instituta Ecclesiæ formalia, sed etiam consuetudines, ingentem & maximam habent authoritatem, ad conuincendum aliquid; ita vt 2.2. q. 110. A. 12. in hæc proruperit verba. *Dicendum est, quòd maximam habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ est in omnibus æmulanda; quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum, ab Ecclesiâ authoritatem habet; vndè magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunq; Doctoris.* Ergò si S. Doctor sanctitatem Natiuitatis B. VIRGINIS supponit ex eo, quod eius Natiuitas ab Ecclesiâ colatur; à fortiori, si modò viueret, ex tantâ solemnitate, cum quantâ colit Ecclesia Conceptionem B. VIRGINIS, conclusisset eiusdem conceptionis sanctitatem. Cùm autem nos hæc felicia tempora attigerimus, in quibus per totum orbem, ista Conceptio ab Ecclesia canonizata, indulgentiis cumulata, & maximis fauoribus exornata, vbique gentium à fidelibus colitur: quid aliud indè inferre & possumus & debemus, nisi quod sancta & immaculata sit, conceptio B. Mariæ Virginis.

5. Audiatur etiam Seraphicus Doctor, de hoc ita loquens in 3. dist: 3. A. 1. q. 1. *Statuta vniuersalis Ecclesiæ, de sanctorum celebritatibus, omnia fundata sunt super sanctitatem, vt nullo die pro aliquo sancto solemnizet, in quo vel pro quo, persona Sancta non fuerit, cui honor ille defertur.* Tunc ego subsumo Minorem. Sed iam à ducentis fermè annis, ex statuto vniuersalis Ecclesiæ, celebratur solennitèr dies conceptionis B. Virginis; Ergò B. Virgo in suâ conceptione fuit Persona sancta, & ipsi vt tunc Sanctæ, iste honor defertur. Quod est propositum. Et subdit ibidem S. Bonauentura. *Quidam dicunt, quòd hæc solennitas, celebrari non cæpit humanâ inuentione, sed diuinâ reuelatione: quod si verum est; sinè dubio bonum est, solemnizare in eius conceptione; sed quia hoc authenticum non est, non compellimur credere: quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare.* Aurea profectò verba tam sancti Doctoris. Ex quibus sic ad propositum procedo. Tempore S. Bonauenturæ, solùm iactabatur inter aliquos deuotos, reuelatio facta de celebrando festo conceptionis Virginis, cui tamen licèt adhuc non authenticæ, tantùm tribuit S. Doctor, vt resolutoriè concluserit; sinè dubio bonum esse, solemnizare in eius conceptione; Ergò cùm modò tàm solennitèr hæc Reuelatio authenticata sit per vniuersalem Ecclesiam; institutione festi conceptionis pro omnibus fidelibus; iam non solùm

bonum,

bonum, sed & necessarium est, solemnizare in istâ conceptione; & si necessarium ex obedientiâ respectu Ecclesiæ præcipientis, ergò necessariò venit iam credenda sanctitas conceptionis B. Virginis, estò adhuc non sit id de fide. Plura pro hoc attulimus hic Decadis 2dæ Resol: primâ.

6. Sed hoc punctum Canonizationis festi B. Mariæ immaculatè conceptæ, iam exactè trutinauerunt alij Doctissimi Viri, inferentes indè sanctitatem conceptionis Marianæ. Legatur fusè de hoc scribens, noster Carthagena hom: 19. primi libri, de arcanis B.Mariæ, in eius conceptione latentibus. Et Ægidius lib: 3. de concept: q. 6. a 1. §. 9. Mihi hæc quæ attuli ex D. Thomâ & Bonauenturâ, duobus præcipuis luminaribus militantis Ecclesiæ, pro Canonizatione festi conceptionis, abundè pro nunc sufficiunt. Restat tamen videre, an sententia nostra, quâ eximimus Virginem Beatam ex omni parte, à peccato originali, possit esse de fide? Pro quo

7. Supponendum est. Non esse intentionis nostræ, factum declarare, vel temeritate vitiosâ, bilem oppositæ sententiæ mouere; sed solum volumus exploratum habere statum, in quo modò subsistit sententia nostra, in ordine ad definitionem eius sub Articulo fidei. Certum enim est, hactenùs indecisam esse materiam hanc, nec alterutram Opinionem hæresi vel censurâ aliquâ innodatam esse, prout ipsi Pontifices protestantur in Bullis suis in fauorem huius vel alterius partis, editis; sed quid fieri possit, ex communi planè tot sæculorum, Doctorum, Pontificum, & Conciliorum mente, inuestigare proponimus. Itaq;

8. Dico. Beatam Virginem Mariam, in ipso conceptionis seu animationis suæ instanti, fuisse præseruatam à peccato originali, per infusionem gratiæ sanctificantis, potest esse de fide. Probatur hoc primò authoritate S. Scripturæ. Nam Cant: 4. dicitur. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quæ verba, grauiores Interpretes, ad originalem Virginis innocentiam accommodando, robur ponunt in illâ particulâ Ecclesiæ authoritate additâ; *Et macula originalis non est in te.* Constat enim apud Doctores, quod quidquid Ecclesia circa Scripturæ loca disponit, applicando ea alicui sancto, per additionem, detractionem, vel immutationem, illud firmitèr est tenendum, quia Spiritu Sancto dictante hoc factum esse creditur. Juxta illud D. Bernar: Ser: 3. de Vigil: Natiu: Domini, dicentis. *Quandò Ecclesia, in Scripturis Diuinis verba alterat vel alternat, fortior est illa compositio, quam positio prima verborum, & fortassis tantò fortior, quantum distat inter figuram & veritatem, inter lucem & vmbram, inter Dominam & ancillam.* Et D. August: Lib: cont: Epist: fundam: Cap: 5. ait. *Ego Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ authoritas commoueret.* Sed vbi est tam apertus Ecclesiæ sensus, illud potest ab eâ determinari, vt sit de fide, Ergò Virginem gloriosam, totam fuisse pulchram, immaculatam, & à noxâ originali præseruatam, ac proindè semper amicam Dei, potest esse de fide.

9. Probatur secundò assertio nostra rationibus. Quarum prima sit hæc. Vbi adest proxima dispositio, & conditiones requisitæ, ad definiendum Articulum

culum de fide, ibi potest esse definitio talis Articuli, sed in casu adsunt hæc omnia, Ergò &c. Maior est absque controuersiâ. Minor probatur. Et primò de dispositione sic. Dispositio proxima ad determinandam aliquam difficultatem, sub articulo fidei ab Ecclesiâ, ex eo vel maxime patet; quandò Ecclesia, præuio diligenti examine, & ex controuersijs partium serijs ac diuturnis, præfert vnam partem alteri, illi adhæret, piam deprædicat, fauoribus cumulat, indulgentias pro decertantibus contra oppositam sententiam, & pro defendentibus suam, ac etiam pro deuotis in eam populis, erogat, Festo solenni colere, Ecclesias, Sacella, Altaria, sub titulo sententiæ sibi placitæ, erigere, Officia componere, Confraternitates, & Religiones eo nomine fundatas, approbare, augere, & per omnia promouere, non dedignatur: oppositæ verò sententiæ, nihil hujusmodi impertitur, imò perpetuum silentium imponit. Sed hæc omnia præstitit semper, & hactenùs præstat Ecclesia, sententiæ nostræ, vt jam satis probauimus Decadis 2dæ Resol: 1. Ergò, &c. De conditionibus etiam sic. Conditiones ad hoc ipsum requisitæ, numerantur potissimùm quinque. Prima. Vt sententia definienda, habeat Ecclesiæ authoritatem. Secunda. Vt habeat consensum Summorum Pontificum. Tertia. Vt habeat eruditorum & sapientium virorum judicium. Quarta. Vt habeat populi piam credulitatem. Quinta denique Vt sit diuinitùs per miracula vel reuelationes insinuata aut inspirata. Juxta illud D. August: Lib. contra Epist: fundam: Cap. 4. dicentis. *Eruditorum & sapientium iudicium, cæteræ turbæ pia credulitas & vnanimis consensus, Ecclesiæ authoritas, & in eadem fide & sententiâ, tot Pontificum continuata successio. Hæc omnia tot ac tanta Christiani nominis clarissima vincula, rectè tenent hominem in Ecclesiâ Catholicâ, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissime ostendat.* Sed hæ omnes, non desunt piæ nostræ sententiæ. Ergò &c. Probo per singulas sigillatim.

10. Et primò non deesse sententiæ nostræ primam conditionem, ad definiendum eam de fide, patet ex cultu quo vniuersalis planè Ecclesia, veneratur & celebrat Immaculatam Conceptionem Virginis; non sub nomine sanctificationis, quod totalitèr abrogat, nec sub titulo conceptionis spiritualis sed suo nomine veræ & realis conceptionis eius. Tum ex eo quod assertoribus piæ hujus sententiæ, amplissimum concedit campum, scripto & voce deprædicandi eam, oppositam verò opinionem, intra priuatos parietes recludit, implicitè ingerens illud Tertulliani Lib. 1. ad Vxo: Cap. 3. dicentis. *Non propterea appetenda sunt quædam, quia non vetantur, etsi quodammodò vetantur, dùm alia illis præferuntur: prælatio enim superior, dissuasio est infirmiorum.* Ergò pia nostra sententia, habet Ecclesiæ authoritatem.

11. Non deest etiam sententiæ nostræ, consensus Summorum Pontificum. Nam à temporibus Apostolorum, vsque ad moderna tempora, plurimi explicitè, vix non omnes implicitè, in hanc partem inclinarunt, tot Bullis, Diplomatibus, Extrauagantibus, & Decretis, illam firmantes, colentes, defendentes, & promouentes Vti hoc jam satis superq; deduximus hic Decadis 2dæ. Resol primâ.

12. Stat quoque pro nobis, eruditorum & ſapientium virorum iudicium. Etenim præter grauiſſimos Doctores, tùm antè, tùm poſt tempora Doctoris ſubtilis florentes, adſunt integræ Vniuerſitates, quæ iurant in defenſionem immaculatæ Conceptionis B. Virginis Mariæ, nec quempiam Laureâ Doctorali inſigniri, vel ad aliquam dignitatem ſcholaſticam euehi permittunt, niſi ſpondeat, ſe vſq; ad mortem, piam hanc ſententiam defenſurum. Adſunt tot Imperatores, Reges, Duces, Barones, qui ſolennibus votis ſe ſtringunt, ad tenendam & defendendam hanc ſententiam; vt videbimus mox. Ergò habemus pro nobis, eruditorum & ſapientium virorum iudicium.

13. Habemus & piam populi credulitatem. Nam omnes planè omnium Regnorum Catholicorum populi, non fallacijs ſeducti, non priuatis commodis allecti, non cognationis vi adacti, non metu perculſi, non potentiæ humanæ viribus, aut quibusuis artibus impulſi, ſed DEI inſtinctu permoti, acerrimè defendunt immunitatem Mariæ à peccato originali: in oppoſitam autem ſententiam, quomodò rudes etiam & impoliti homines inuehantur, experiantur illi qui eam ſuſtinent. Iam verò tanta eſt vis communis conſenſus in partem aliquam, vt D. Bernardus, ex vnanimi populorum conſenſu, probauerit Innocentium Secundum, verum ac legitimum eſſe Eccleſiæ Vniuerſalis Paſtorem, ſic rem decidens Epiſt: 126. *Iam DEVS iudicauit, iudicauit autem operis euidentiâ, non decreti ſententiâ: Velociter currit ſermo eius, in conueniendo populos in vnum, & vt Domino Papæ Innocentio ſeruiant & obediant, DEI eſſe iudicium ſenſerunt & conſenſerunt.* Pari modo, ex communi Summorum Pontificum, Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Imperatorum, egum, Principum, ac vniuerſi Cleri populiq;, in ſententiam noſtram conſenſu, argumentandum eſt. Ergò habemus pro Virginis innocentiâ, piam populi credulitatem.

14. Non deſunt deniq; ad roborandam ſententiam noſtram, tot miracula & reuelationes, quas videre eſt hic Decadis 2dæ Reſolut: 1. proindè alia huiuſmodi congerere, vel illa hùc transferre, ſuperfluum videtur, cùm etiam aſſiduitas illorum, per vniuerſum pateat orbem. Ergò diſpoſitio præuia, & conditiones enumeratæ, ſtringunt nos, vt intrepidè aſſeramus, ſententiam noſtram poſſe eſſe de fide. Vlterius tamen id ipſum probandum eſt.

15. Hæc Propoſitio. Virgo Beata eſt immaculatè & ſinè peccato originali concepta; ita ſolidis nititur fundamentis, ſicut aliæ Propoſitiones nitebantur tunc, dùm non erant definitæ, Ergò ſicut illæ iam modò ſunt de fide, ita hæc poteſt eſſe. Antecedens patet. Quia multis temporibus agitabatur in Eccleſiâ DEI, An mendacium ſit licitum ex fine bono? An Angeli antè hunc mundum viſibilem fuerint conditi? An Anima, ex ſemine parentum ortum ducat? An animæ iuſtorum, viſuræ ſint eſſentiam Diuinam antè diem iudicij? Et multæ aliæ propoſitiones. Et tamen poſt modum definitum eſt ab Innocentio tertio; Mendacium ob quamcunq; cauſam, eſſe illicitum. Sic etiam Angelos creatos eſſe poſt creationem mundi, definiuit Concilium Lateranenſe. Pari modo, Animam à DEO immediatè creari ex nihilo, definitum

nitum est à Leone nono. Similitèr, Animas iustorum, antè diem iudicij beari clarâ DEI visione & perfectâ eius fruitione, diffiniuit Benedictus duodecimus. Sic cum multis Propositionibus Origenis, Tertulliani, & aliorum Classicorum Doctorum, factum est. Sed & assumptio Virginis diutius ventilata, tandem definita. Quia Ecclesia sensim illuminatur. Iuxtà illud Gregor: Nazianz: Orat: 5. de Theologiâ, dicentis. *Vides illuminationes paulatìm nobis affulgentes, Theologiæq́ ordinem, quem nobis quoq́ tenere præstiterit Christus Dominus; vt non repentè atq́ confestim omnia in lucem offeramus.* Et S. Epiphanius Hæresi 75. ait. *Singulæ res, non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis, ea quæ ad necessariorum perfectionem referantur, parabantur.* Ergò etiam Immaculata Virginis conceptio, diutius iam ventilata, tandem definiri potest sub articulo fidei.

16. Probatur id ipsum vltimò. Illud aliquandò definiri sub Articulo fidei, congruum est, cuius oppositum sensìm debilitatur, ita vt vix aliqua nota ipsius maneat, opposito altero maius ac maius robur continuò sumente, Sed ita est in proposito, Ergò &c. Minor patet. Quia Opinio maculans conceptum DEIparæ, nullum hactenùs promeruit in Ecclesiâ DEI cultum. Nec enim Officium de contaminatione Virginis Beatæ, à quodam compositum, Ecclesia absolui permisit. Vt refert Bernardinus de Bustis Ser: 9, de Concept: Virg: Nec sanctificationi Mariæ aliquandò erecta sunt Templa, vel Altaria fundata, vel Aræ dicatæ, vel Sacella fabricata, cùm nec intra priuatos parietes id facere quispiam præsumat. Nec indulgentiæ & fauores aliquorum Pontificum, pro parte illâ emanarunt. Nec in Academijs publicis, huiusmodi opinio acceptatur vel doceri permittitur. Nec deniq; securum est, talem sententiam inter rudiores spargere populos, insurgente cæco impetu, vili etiam plebeculâ, in contrarium, & sinè graui scandalo, doctrinam talem non recipiente. Vti ipsæ BullæPontificiæ testantur. Ex quibus constat, quomodò dicta sententia debilitatur. Sed inter partes oppositas, quò magis vna debilitatur, eò maius robur sumit altera, Ergò stante tali debilitate oppositæ sententiæ, sequitur roboratio nostræ, consequentèr eam aliquandò sub articulo fidei definiri ab Ecclesiâ DEI, congruum & possibile est, In oppositum tamen

17. Obijcies. Cuius oppositum sentiunt Sancti Patres, illud non potest determinari de fide, Sed in casu, multæ habentur sententiæ Sanctorum Patrum, maculantes conceptionem Virginis Beatæ, Ergò &c. Respondeo negando maiorem. Nam etiam multi Sancti Patres putabant, Virginem gloriosam, aliquâ maculâ peccati venialis actualis, contaminatam fuisse. Sic Origenes Hom: 1. in Gen: asserebat, Virginem incredulam voci Angelicæ extitisse. Sic Tertull: Lib: de carne Christi Cap: 7. putabat, ipsam non adhæsisse Filio patienti. Sic S Athanasius Ser: 4. contra Arianos, induit eam aliquâ notâ curiositatis in Canâ Galileæ, proindè reprehensam fuisse à Filio dicit. Sic D. Chrysost: in Psal: 13. ait, Mariæ animam, gladium dubitationis pertransijsse, tempore passionis Christi. Quæ omnia aliquam notam

peccati

peccati venialis actualis, ponunt in Virgine. Et tamen hoc non obstante, definiuit Concil: Trident: Sess: 6. Can: 23. Virginem Mariam, nullo vnquam tempore, etiam leuissimo peccato veniali, fuisse contaminatam. Ergò similitèr modò, cùm de peccato originali eiusdem agitur, potest Ecclesia determinare, immaculatam conceptionem ipsius de fide, quamuis aliqui Sancti Patres, oppositum aliquandò videantur sensisse. Ex eo vel maximè, quod sententiæ illorum, minimè pugnabant contra communem Ecclesiæ sensum, quia tunc conceptio immaculata Virginis, non erat in tantâ dispositione ad decernendum, sicut modò.

18. Dices. Quod non est definitum per Concilia, illud non potest definiri à Summo Pontificè, Sed nullum Concilium definiuit, Beatam Virginem fuisse immunem à peccato originali, Ergò &c. Respondeo negando maiorem. Quia Patres in Concilijs nihil aliud suis suffragijs præstare conantur, quam proprias sententias in re dubiâ aperire, & communiorem Ecclesiæ sensum patefacere, desudando vel maximè contra prauitatem hæreticam. Sed potestatem discernendi veram doctrinam à falsâ, omnes planè Patres concedunt Summo Pontifici. Juxta illud D. Gregorij epist: 52. ad Episc: Galliæ, scribentis. *Si quam contentionem, quod longe faciat Diuina potentia, de fidei causâ, euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens fortasse sit dubietas, & iudicio Sedis Apostolicæ indigeat, pro sui magnitudine, examinata diligentius veritate, relatione suâ studeant ad nostram perducere rationem, quatenus à nobis valeat congruâ sinè dubio sententiâ terminari.* Id ipsum tenet D. Thomas 2dâ 2dæ Quæst: 1. & Quæst: 11. Art: 3. Caietanus Opusc: de potestate Papæ Cap: 9. Petrus Soto. Et alij permulti, firmitèr tenentes, posse Papam absq; Concilio definire circa bonos mores & res fidei, dummodò nihil falsitatis talibus rebus subsit. Et sic multæ materiæ de facto sunt definitæ à Summis Pontificibus sinè Concilijs, vt videre est in Decretalibus, Clementinis, Extrauagantibus, & Bullis. Sed & in propositâ materiâ, ipsi Summi Pontifices declarant, suæ potestati subesse definitionem sententiæ nostræ sub articulo fidei. Subdunt enim vbique. *Donec huiusmodi difficultas à sede Romanâ definiatur.* Vt patet legenti Bullam Greg. 15. quæ incipit. *Eximij ac singulares fructus &c.* Et Bullam nouissimam felicis recordationis Alexandri 7. quæ incipit. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum &c.* Vbi expressè habetur. *Cùm à Romanâ Ecclesiâ & ab Apostolicâ sede, nondum fuerit hoc decisum.* Ergò speratur aliquandò decidendum, consequentèr resolutâ mente & sinè formidine de opposito tenemus, plenam esse potestatem penes Romanos Pontifices, determinandi quamlibet difficultatem dubiam, sub Articulo fidei, seruatis seruandis; sic etiam propositam materiam potest Summus Pontifex definire, quatenùs vniuersalis Ecclesia, tandem de fide teneat, Virginem Mariam fuisse immaculatè & absq; peccato originali conceptam. An autem inter Martyres connumerandus sit ille, qui pro immaculatâ Virginis conceptione, morti se exposuerit? Pro hoc

19. Supponendum est. Martyrium, in communi sententiâ, esse testimonium, quo morte ipsâ testificatur quis, aliquam fidei veritatem, in seipsâ,

vel

vel in aliquo virtutis opere, relucentem. Et hæc definitio, itá benè quadrat Martyrio, vt ipse D. Thomas 2dâ 2dæ Quæst: 124. Art: 5. ei subscripserit, docens; Omnium virtutum opera, quatenùs refunduntur in DEVM, esse fidei protestationes, per quas innotescit nobis, DEVM à nobis huiusmodi opera deposcere, ac pro eis nobis præmia dilargiri. Falsò ergò supponeret aliquis, martyrij palmam pro solis articulis fidei se consecuturum, alias nec Sanctus Thomas Cantuariensis, nec noster S. Stanislaus, nec Sancti quinq; Fratres Martyres Poloni ad Casimiriam in Maiori Poloniâ, veri Martyres dici deberent, cùm primus eorum, pro immunitate Ecclesiæ, alter pro patrijs legibus, reliqui pro eleemosynis sibi à pio Rege oblatis, trucidati sint, pro nullo articulo fidei decertantes. Sed de hoc legatur Martyrologium, ibi enim facilè deprehendetur, vix non plures, pro bonis iustitiæ & virtutis, quam pro Articulis fidei, occubuisse, & tamen pro veris martyribus ab Ecclesiâ DEI habentur & prædicantur Hoc supposito

20. Dico. Ille qui mortem subiret pro immunitate conceptus immaculati Virginis purissimæ, verè inter martyres connumerari deberet. Ita sentit Aluarus de Palacios Discur: 2. de immac: concept: Virg: Ægidius de Præsentat: Lib: 3. de præseruat: Virg: Quæst: 8. Granado de Concept: Disput: 3. Cap: 31. Ludouicus de Torres in selectis Disput: Par: 2. Disput: 31. Dubio 1. qui refert Conclusionem hanc, aliquoties ventilatam esse in supremo Senatu Sanctæ inquisitionis, & concessam esse facultatem promouendi illam in publicis actibus. Id ipsum planè omnes nostrates sentiunt. Cum quibus iam probo Conclusionem meam. Ille verus martyr censendus est, qui pro aliquâ veritate fidei, vel pro quopiam virtutis actu, mortem subire non dedignatur; Sed immaculatam Virginis conceptionem, ex Cathedris & Pulpitis publicè edocere, est actus virtutis, Ergò ille qui pro hac veritate & doctrinâ, mortem subiret, verè martyr censendus esset. Minor in quâ est vis, probatur. Quia immaculati conceptus virginei assertio & propugnatio, est apta materia ad vota & iuramenta emittenda, cùm tot Doctores & Vniuersitates, imò Regna & Imperia, continuis planè iuramentis se obligent ad defendendam vsq; ad mortem, immaculatam conceptionem Virginis gloriosæ, idq; non temerè, sed cum plenâ notitiâ & assensu Summorum Pontificum. Vti hoc fecit Academia Parisiensis, quæ sub annum 1330 legem condidit, ne vllus ad Magisterij, Doctoratus, vel alios dignitatis literariæ gradus, conscenderet, quin prius in publico theatro votum emitteret, se nullo vnquam tempore edocturum, Beatam Virginem Mariam, peccato originali subiacuisse. Hoc autem fecit, mota grauissimis rationibus Doctoris Subtilis, qui paulò antè, ducenta argumenta contra immunitatem Virginis proposita, tam felici memoriâ repetijt, tantâ soliditate soluit, tantâq; vbertate ingenii, suam sententiam probauit, vt omnes ad suam partem mirabilitèr aut potius miraculosè traxerit, adeò vt à grauissimis Theologis, in facie Ecclesiæ, Victor antonomasticè, fuerit proclamatus.

21. Exemplo Academiæ Parisiensis edocta Vniuersitas Coloniensis, simile

mile confecit Statutum sub anno 1494. Idem vouit Academia Valentina & Barchinonensis, ad annum 1618. Idem Moguntina, ad annum 1501. Idem Hispalensis, Complutensis, Salmanticensis, & Eborensis, ad annum 1617. ac planè omnes imperio Hispanico subiectæ. Sed nouissimè Vniuersitas Viennensis, votum solenne ad hunc finem fecit anno 1649. ex speciali Summi Pontificis consensu, præsente Ferdinando tertio Romanorum Imperatore, totoq; Senatu, Clero, & Populo; quo etiam tempore, Virgo immaculatè concepta, in Patronam Austriæ electa est. Pari zelo promouent talem cultum Prouinciæ Italicæ, & aliæ collaterales. Nec languidè tractat hoc idem, inclyta patria nostra Polonia, quæ in dies auget in se deuotionem maiorem, in immaculatum Virginis purissimæ conceptum, vota votis accumulando, vt tandem hoc mysterium, per Ecclesiam definiatur. Tunc ex his omnibus, hanc formo minorem. Sed vota & iuramenta, non solum in rebus fidei, verùm etiam in quocunq; bono communi, in ordine ad honorem DEI facta, sunt actus virtutis, & refunduntur in DEVM, vt nullus negare potest, Ergò qui pro eis mortem subiret, verè martyr dici deberet. Hoc probo vlterius

22. Actus affirmans exemptionem Virginis Beatæ à peccato originali, siuè concipiatur ex parte Obiecti materialis, siuè ex parte Obiecti formalis, siuè etiam ex parte Intellectus, semper continet bonitatem virtutis, Ergò nihil ipsi deest, quo minus non sit vera materia martyrij. Antecedens probatur quoad singula. Nam inprimis ex parte Obiecti materialis, talis actus retinet bonitatem virtutis. Quia non posset esse materia festi instituendi & indicendi per vniuersalem Ecclesiam, nec esset capax fauorum & indulgentiarum, cuius tamen oppositum habemus. Ex parte etiam obiecti formalis, idem actus est bonus. Quia refunditur in DEI honorem & Deiparæ cultum, actus autem in DEI cultum elicitus, non potest esse indifferens nec malus, alias Ecclesia permitteret proponi fidelibus rem colendam, quæ superstitioni subiaceret, quod nefas est dicere. Ex parte deniq; Intellectus, nihil deest actui huic quin sit sufficiens ad bonitatem. Quia actus virtutis, non deposcit ex parte Intellectus actum fidei Diuinæ circa materiam singularem quam attingit: non enim postulat actum quo credatur illud quod sentit, esse reuelatum à DEO, sed sufficit ipsi iudicium prudens, dictans veritatem & bonitatem rei, idq; non temerè, sed conformitèr ad iudicium multorum grauissimorum Doctorum; Sed actus depredicandi immaculatam Virginis conceptionem publicè, continet hæc omnia, vt iam sufficientèr probatum est in corpore Libri huius, Ergò est actus virtutis, Ergò est materia sufficiens ad martyrium, consequentèr ille qui pro immaculatâ Virginis conceptione mortem subiret, absq; dubio inter martyres connumerari deberet. Pro cuius maiori robore

23. Instabis. Defensio conceptus immaculati Beatæ Virginis, non est defensio Articuli fide Diuinâ crediti, quia hæc materia nondum est decisa sub articulo fidei; nec est defensio alicuius veritatis infallibilis, ad fidem in se vel in aliquo virtutis opere, spectantis; sed solum est defensio Opinionis; Sed profundens vitam pro defensione alicuius Opinionis, non solùm inter martyres connu-

connumerandus non est, verùm etiam imprudentiæ & temeritatis arguendus, Ergò &c. Respondeo negando maiorem. Satis enim deductum est, defensionem materiæ præsentis esse verè actum virtutis, ad honorem DEI & cultum Deiparæ spectantem. Accedit. quod nos tot reuelationibus & miraculis firmati, non iam opinatiuè sed scientificè & absq; formidine de opposito, tenemus cum Ecclesiâ, Virginem Beatam immunem esse à peccato originali; proindè talis sententia est sufficiens materia ad martyrium.

24. Dices. Homo hæresi infectus, si vnum mysterium fidei negans, pro alio mortem subiret, nequaquam martyr esset dicendus, quia non pro Christi doctrinâ moreretur, sed pro suâ. Sed etiam defendens Immaculatam Virginis conceptionem, non pro Christi doctrinâ, sed pro suâ sententiâ exponeret se morti; quia materia ista, nec à DEO reuelata, nec ab Ecclesiâ definita est, Ergò &c. Respondeo negando minorem. Primò enim actu talis esset actus virtutis, reducibilis in DEVM; deindè non est inuentum vnius hominis, sed vix non vniuersalis Ecclesiæ iudicio assertum: tandem miraculis & reuelationibus confirmatum, vt Resolutione primâ Decadis secundæ deduximus. Deniq; in proximâ est dispositione ad definiendum, quia tot fauoribus & indulgentijs cumulatum, per quod videtur iam quasi implicitè definitum. Ex quibus omnibus

25. Infero corollariè. Immaculatam Virginem Mariam, multis priuilegijs exornatam fuisse à DEO, præ cæteris hominibus. Primum enim priuilegium e ius fuit. Quod super alios homines, ab omni prorsus peccato erat aliena, quia supra omnes, immediatè post Christum fuit gratiâ plena, idq; tam gratum faciente quam gratis datâ; juxta mentem D. Hieron: Secundum. Quod ipsa sola fuit Mater & Virgo integerrima, & iuxta primæuam intentionem DEI. Tertium. Quod ipsa sola illius Filij Mater est, cuius solus DEVS Pater est. Quartum. Quod DEO corporalitèr familiarissima fuit. Quintum. Quod in vitâ mortali Essentiam DEI clarè videre meruit. Juxta illud D. Hieron: Ser: de Natiu: Mariæ. *Quotidiè ab Angelis frequentabatur, quotidiè Diuinâ visione fruebatur.* Sextum. Summa innocentia. Septimum. Intensissima erga DEVM & homines charitas. Octauum. Adæquata merita in ordine ad conredimendum genus humanum. Nonum. Influxus omnium gratiarum à Christo capite in nos membra eius, per Mariam tanquam per Concaput. Decimum. Impeccabilitas. Et alia permulta, quibus Virgo Beata excelluit.

26. Jam igitùr totum hunc tractatum, quo nouum modum probandæ immaculatæ conceptionis Deiparæ, ex Virginitate primæuâ naturæ humanæ, pro modulo tenuissimi ingenij mei, exposui, concludo verbis D. Anselmi, lib: 6. de concept: B. Virginis cap: 1. vbi sic ait. *Qui diem B. Mariæ conceptionis tollit, Ecclesiæ DEI, aut non attendit benè, aut attendere negligit, vel nescit bonum, quod indè procedit creaturæ DEI.* Et apostrophe faciens ad ipsam immaculatè conceptam Virginem, reddit causam dicti sui, subdens. *Et primò; quia tanti meriti apud DEVM creatura es, vt Mater eius dignissima fieri meruisses, sicut & ipse non tantùm supercastus & mundus, sed & ipsa castitas, ipsaq; munditia est: ità tu quoq; illam ipsam munditiam, de tuâ carne, verum hominem paritura eras, & munda præ omnibus*

esse

esse debueras. Primordia itaq; creationis tuæ, meritò filij sanctæ Ecclesiæ debent venerari, si castam, si sanctam, si à peccati rugâ illam credunt esse discretam. Quod cùm aliter credere nulli fas sit, erubescant insensati, qui tantum diem tantaq; mysteria & Sacramenta, tenebris ignorantiæ excæcati, respuunt celebrare. Hæc S. Anselmus. In quibus verbis, dùm de castissimâ Matre, supercastissimum filium Christum, nasci oportuisse innuit; quid aliud, nisi nouum hunc modum declarandi immaculatam conceptionem B. Virginis, quem hic prosecuti sumus, fundatum in primæuâ Virginitate naturæ humanæ, approbat; ac si diceret: quòd oportuit hanc Virginem fuisse Virginem per essentiam, quæ florem omnis Virginitatis, virginantem totam, Ecclesiam de se produxit. Virgæ ergò isti Virgineæ, de radice Jesse procedenti, sinè maculâ; & Flori de eâ ascendenti CHRISTO, Virgineæ integritatis apici, sit laus, honor, & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Totum hoc Opus, iudicio & correctioni Sacræ Romanæ Ecclesiæ, eiusq; visibili Capiti, Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTI PAPÆ Nono, nunc felicitèr ipsam gubernanti, lubens subijcio, innixus verbis S. Cyrilli in Lib: Thesaur: dicentis. *A Romano Pontifice, nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum rogantes, ipsum venerantes præ omnibus, quoniam ipsius est solius, reprehendere, corrigere, statuere, disponere, soluere, & ligare, loco illius qui ipsum ædificauit & elegit.*



TABULA

LOCORVM S. SCRIPTVRÆ,

QVORVM VSVS IN HOC OPERE CERNITVR.

Prior numerus, Capita, Secundus, Versus Scripturæ, Tertius, Paginas Libri, indigitat.

Vna ISA-

Sicut

Ne-   EPI-

FINIS.



TABVLA

RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Prior Numerus, Paginam, posterior, Numerum Marginalem, indicat.

A

Cano-

 nibus

Tres

Natus

est

N

O

Quo-

FINIS.

ERRATA CORRIGENDA.

Paginâ 18.	Versu	36. *Quis.*	Lege.	*Qui.*
p. 20.	ver:	19. *Illæ.*	l.	*Ille.*
p. 22.	v.	7. *In obedientiæ.*	l.	*Inobedientiæ.*
p. 24.	v.	11. *Coniucta.*	l.	*Coniuncta.*
p. 27.	v.	2. *imò*	l.	*Primò.*
p. 30.	v.	2 *Bulluinam.*	l.	*Belluinam.*
p. 31.	v.	13. *Canonæ.*	l.	*Canone.*
p. 50.	v.	22. *Quæres.*	l.	*Quæras.*
p. 51.	v.	34. *Sic.*	l.	*Si.*
p. 55.	v.	22. *De est.*	l.	*Deest.*
p. 72.	v.	34. *Exultauit.*	l.	*Exulauit.*
p. 74.	v.	6. *Obdomen.*	l.	*Abdomen.*
p. 79.	v.	2. *Qnandò.*	l.	*Quandò.*
Ibidem	v.	14. *Partæ.*	l.	*Parte.*
p. 84.	v.	20. *In fectant.*	l.	*Infectant.*
p. 93.	v.	11. *Neq; oppona D. Amb:*	l.	*Neq; opponas Diuo Ambrosio.*
p. 97.	v.	34. *Seipsos.*	l.	*Se ipso.*
p. 99.	v.	40. *Bruto.*	l.	*bruto.*
p. 125.	v.	22. *Vti.*	l.	*Vi.*
p. 128.	v.	23. *Est carne.*	l.	*Est ex carne.*
p. 139.	v.	5. *Samentum.*	l.	*Sacramentum.*
p. 149.	v.	7. *Senteniia.*	l.	*Sententia.*
p. 153.	v.	28. *Sib.*	l.	*Sibi.*
p. 156.	v.	19. *Dedeformiori.*	l.	*Deformiori.*
p. 177.	v.	39. *Producentem.*	l.	*Perducentem.*
Ibidem in eodem versu.		*Æternam.*	l.	*Æternam.*
p. 179.	v.	24. *Essentientes.*	l.	*Assentientes.*
p. 180.	v.	30. *Sarcenda.*	l.	*Arcenda.*
Ibidem	v.	31. *Totiu.*	l.	*Totius.*
p. 183.	v.	18. *Nunciatis.*	l.	*Nuntiantis.*
Ibidem	v.	29. *Amoum.*	l.	*Amorum.*
p. 184.	v.	39. *Ioannis.*	l.	*Ioannes.*
p. 190.	v.	28. *Degenerare.*	l.	*Denegare.*
p. 192.	v.	21. *Instans.*	l.	*Instas.*
p. 193.	v.	9. *Nutura.*	l.	*Natura.*
p. 204.	v.	7 *Fainæ.*	l.	*Farinæ.*
p. 218.	v:	10. *Doctor.*	l.	*Doctoris.*

p. 226

ERRATA

p. 226. v. 11. *Et DEVS Lux est) tenebræ &c.*
l. *DEVS lux est, & tenebræ in eò non sunt vllæ.*

Jbidem		v.	19. *Siicut.*	l.	*Sicut.*
Jbidem		v.	22. *Sensiua.*	l.	*Sensitiua.*
p.	227.	v.	32. *Sine animâ.*	l.	*Siue anima.*
Ibidem		v.	33. *Vi.*	l.	*Vt.*
p.	132.	v.	30 *Deducus.*	l.	*Dedecus.*
p.	248.	v.	3. *Dicebat.*	l.	*Decebat.*
p;	261.	v.	1. *Formota.*	l.	*Formata.*
p.	266.	v.	18. *Fiilus.*	l.	*Filius.*
p.	268.	v.	17. *Ni.*	l.	*In.*

p. 272. v. 16. Ad ilud. *Mors nostra, & Brutorum.* Adde. *Iam satis abundè docuimus suprà.*

Ibid:		v.	3. *Illarum.*	l.	*Illatum.*
p.	275.	v.	36. *Culpâ inhærente.*	l.	*Culpâ non inhærente.*
p.	280.	v.	11 *Quid.*	l.	*Quidquid.*
p.	285.	v.	17. *Im potentia.*	l.	*Impotentia.*
p.	288.	v.	22. *Chiisti.*	l.	*Christi.*
p.	300.	v.	7. *Obcontractum.*	l.	*Ob contractum.*
Ibidem		v.	32. *Beuta.*	l.	*Beata.*
p.	308.	v.	40. *icet.*	l.	*licet.*
Ibid:		v.	41. *luserit.*	l.	*cluserit.*
Jbid:		v.	42. (*Modò.*	l.	*Modò.*
p.	311.	v.	24. *egum.*	l.	*Regum.*
p.	312.	v.	8. *offeramus.*	l.	*efferamus.*
p.	316.	v.	13. *Actu.*	l.	*Actus.*






VOTVM AD IMMACVLATE CONCEPTAM DEI GENITRICEM MARIAM.

Nomen DEI Matris, ore, & corde, & animâ totâ, complector: Quod vtinam in ore habere tunc possim, cùm Mors, ad vltimum reddendum spiritum, me compellet. Mihi enim omninò persuadeo futurum, vt crudeles aeris exactores, hominumq; hostes, illud timeant, & meum exitum à tributo immunem esse, patiantur. Idem DEI Matris nomen, sit mihi vltimus linguæ loquentis motus, vt illud veluti Oliuæ ramum, in ore ferens, auolem & requiescam, quemadmodum Columba, in salutari arcâ Paradysi. *S. German: Patriarcha Constantinop: Orat: de Annuntiat: B. Virg: Mariæ.*







KOCHANO
DE
BEATA
VIRGINÆ